PHILOTHEA,

ID EST,

ANIMA DEO CHARA:

SIVE

ADMIRANDA DEI ERGA HOMINIS ANIMAM CHARITAS E SACRIS LITTERIS DEPROMPTA:

OLIM, MUSICIS EXPRESSA MODULIS ET MONACHII ANNO M.DC.XLIII. ET M.DC.LVIII. sæpiúsque deinde in variis Theatris decantata:

NUNC

EXEGESIBUS AD EXCITANDAM PIETATEM IDONEIS ILLUSTRATA:

Omnibus qui vitam rectè instituere volunt, jucunda & utilis.

A

JOANNE PAULLINO,
SOC: JESU SACERDOTE.

Cum Privilegio Cæsareo & Permissu Superiorum.

[IHS]

MONACHII,
Typis SEBASTIANI RAUCH,
Sumptibus IOANNIS WAGNERI, Bibliopolæ Monacensis.
ANNO M. DC. LXIX.

SANCTISSIMÆ, ÆTERNÆ,
IMMENSÆ,
CHARITATI:
DEO
Vni, trino, vivo, vero, ſummo:
TIBI,
SEMPITERNE PATER,
OMNIPOTENTI ANIMARVM
CONDITORI:
TIBI,
VNIGENITE FILI,
DVLCISSIMO HOMINVM
REDEMPTORI:
TIBI,
DIVINE SPIRITVS,
CLEMENTISSIMO CORDIVM
SANCTIFICATORI:
TIBI

TIBI QUOQUE,

AUGUSTISSIMA VIRGO

MARIA,

Felicissimæ pulchræ dilectionis

MATRI:

VOBIS,

O SERAPHINI, ARDENTISSIMIS
SANCTI AMORIS INCENTORIBUS:

TIBI,

SANCTE IOANNES, ASSIDVO
VERÆ CHARITATIS MAGISTRO:

TIBI,

BEATE PAVLE, FORTISSIMO
DIVINI AMORIS PRÆCONI:

VOBIS DENIQUE,

O BEATISSIME FRANCISCE DE PAULA:

SUAVISSIME PHILIPPE NERI:

SANCTISSIMÆ HEROIDES, CATHARINA
SENENSIS ET TERESIA:

VIRGINEI ADOLESCENTES, ALOYSI,
ET STANISLAE:

Nimirum

Nimirum

Charisſimis divinę charitatis Pullis

Reddo quod debeo,

LAUDEM, HONOREM, GLORIAM:

Hásque

Pias de mutua Deum inter animámque Charitate cogitationes;

Quas

A vobis Indigniſſimus accepi, ſupplex conſecro.

Facite, quæſo,

Vt quod mihi in calamum dictâſtis, intimis animæ medullis inſcriptum hæreat:

Et quisquis legerit, fructum hauriat:

PHILOTHEAM

Peccantem ſequatur nemo, omnes amantem.

Ita precor

J. P.

APPRO-

APPROBATIO.

EGo Jacobus Raſsler Societatis JESU per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, librum, qui inſcribitur: PHILOTHEA, id eſt, ANIMA DEO CHARA, &c. à P. Ioanne Paullino Societatis noſtræ Sacerdote ſcriptum, & à Cenſoribus probatum, pro poteſtate à P. N. Io. Paulo Oliva univerſæ Societatis Præpoſito Generali acceptâ, typis in lucem dari permitto. In cuius rei teſtimonium, has literas manu meâ ſubſcriptas, & officii ſigillo munitas dedi, Monachii 15. Decembr. 1668.

JACOBUS RASSLER.

PRIVILEGIUM.

EGo Iacobus Raßler Societatis IESU *per Germaniam Superiorem Præpositus Provincialis, concedo Ioanni Wagner Bibliopolæ Monacensi, impensas Typographicas facienti in Philotheam, id est,* Animam DEO Charam, *&c. à P. Ioanne Paullino è Societate nostrâ compositam, jus Cæsarei privilegii; quo Typographi, Bibliopolæ, aut quamcumque librariam negotiationem exercentes seriò inhibentur, ne ullos libros à nostris Patribus scriptos editósque, intra Sacri Romani Imperii, Regnorúmque & Dominiorum, suæ Sacræ Cæsareæ Majestatis hereditariorum fines, simili vel alio characteris genere atque formâ, vel in toto vel in parte recudant, aut aliò recudendos mittant, vel alibi impressos adducant, vendant, distrahant clàm vel palàm, citra consensum ac testimonium prædictorum Patrum. Insuper præfato Ioanni Wagner permitto, ut eo, & Authore invito, dictam Philotheam nemo recudere, atque intra Sacri Romani Imperii fines, & hereditarias S. Cæsareæ Majestatis Provincias importare, & venum exponere audeat. In cuius rei fidem chirographum hoc dedi, manu meâ, & officii sigillo firmatum. Monachii 13. Decembr. Anno M. DC. LXVIII.*

JACOBUS RASSLER.

ANA-

ANATOMIA PHILOTHEÆ ET PRÆLOCVTIO.

Causa scribendi.

MVltis in theatris sæpiúsque spectata est Philothea nostra, Lector inclyte; nescio tamen an etiam satis perspecta. Quæ enim in proscenium dantur, uti sunt oculis auribúsque pascendis facta, ita citò prætervolant, & quamvis in animum aliquando descendant, rarò tamen altiores figunt radices: dum oblivio subrepens memoriam labefactat, omnémque simul, qui sperari poterat, fructum intervertit. Videbar, ergo operæ pretium facturus, si multorum desideriis, qui excusam typis Philotheam sæpius à me flagitabant, facerem satis; & quia, consultò tota ex sacris voluminibus excerpta, ideóque variis in locis tam obscura, quàm fecunda est, eam paraphrasticis quibusdam notis illustrarem, ut qui eam legunt, ipsi sibi theatrum fingere, personas, habitum, apparatum & reliquas Philotheæ appendices in mente repræsentare, quódque caput est rei, excelsas

excelſas cogitationes, pióſque motus animo concipere poſſint.

Philotheam autem appello animam Deo charam, cum Baſilio in Epiſt. & Gregorio Nazianzeno, non neſcius etiam pro Dei amante accipi: quemadmodum & Theophili nomen, tam pro eo qui Deum religioſè amat, quàm qui Deo gratus eſt, à Platone uſurpatur; ídque peropportunè: ut ſcilicet Chriſtianæ mentes intelligant, uti nulla non eſt Deo dilecta; ſic omnes jure quodam cæleſti obſtrictas eſſe, ut ſint Dei amantes, atque ita non minùs ſpecioſo Philotheæ nomine, quàm Theophilæ glorioſa appellatione dignæ habeantur.

Quænam illa Philothea.

Dum ergo Philotheam in proſcenium adduco, ſuam cuique animam Deo nimiùm quantùm dilectam, non tam in publico theatro ſpectandam: quàm in ſecretiore cordis orcheſtra liquidò contemplandam breviter propono, non alio quidem conſilio, quàm ut tamquam in ſpeculo videat, totâ adeò vitâ nil aliud ſecum divinitus agi actúmque, niſi quod cum Philothea in ſcena agitur. Siquidem in prima & ſecunda dramatis meta, quisquis cæleſtium rerum non eſt omnino rudis, pueritiam ſpectat & juventam, uti erroribus plerumque obnoxiam, ita *purgationis* vehemen-

)(ter

ter indigam; in tertia progressum melioris vitæ & annos maturiores cælesti lumine collucentes; in quarta & quinta denique perfectum adultæ virtutis statum, & arctiorem cum Summo Bono unionem contemplatur, quódque consectarium est, impellitur, ut Philotheæ exemplo maculas, quas fortè contraxit, eluere, optimarum virtutum décora menti inserere, ac tenerrimo amore Deum magis magísque stringere pergat, vel discat, atque in animum inducat.

Drama Triplici viæ spiritualis vitæ opportunum.

Nemo sanè, uti spero, non aliquam sui imaginem in Philothea reperiet. Habent enim qui virtutis stadium ingrediuntur, Philotheam suo vitio labentem, sed Dei miseratione *à lapsu resurgentem*: qui progredi gaudent, *certantem & fortiter amantem*: qui verò perfectionem adepti sunt, vident Philotheam in *divinitatis Oceano* absorptam: atque adeò sive tres sanctioris vitæ vias decurrentem, sive tria unius viæ spatia feliciter emensam.

Distributio scriptionis.

Hi ergo omnes, dum Philotheam spectant in scena, facilè quod mente tractent, invenient. In prima quidem parte *viam vitæ & mortis*, sive quod idem est, *virtutis & vitiorum*; huius pericula, illius præmia, rerum humanarum inanitatem, cælestium præstantiam: fraudes,

des, quibus incauta juventus involuitur, lapſum in ſcelera, & animæ peccantis proterviam, obſtinationem, calamitatem. In ſecunda *Pœnitentis animi* ſtimulos, cruciatus, preces, lacrymas, ac denique ex ſevero judice, clementiſſimum Soſpitatorem Chriſtum. In tertia verò ſpectare licet *Reſipiſcentis animæ* ſtudia: dum tota in eo eſt, ut Deum ſemper & ubique amando quærat, orando patiendóque inveniat, inventum fortiſſimè ſtringat, cor & omnia illius honori conſecret. In quarta *Amantis ſponſæ* deſideria, quibus ſponſo, etiam Cruci affixo, fieri quàm ſimillima, & Deo ſuo intimè uniri ſatagit. In quinta denique adumbrantur, quæ nec calamo, nec linguâ explicari poſſunt, morientis ſolatia, animæ in divinitatis pelago feliciter ſubmerſæ gaudia, præmia, beatitas æterna. Habes itaque, Lector inclyte, ſcriptiunculam, non quidem acutam, ſed planam; neque enim vel Comicum agere volui, vel rerum ſpiritualium Magiſtrum potui: ſed prout Philothea in theatro decantata perſonas in proſcenium adduxit, ita ego familiari ſermone loquentes, & quæ ſacer textus preſsè dixerat, fuſiùs explicantes introduxi, útque rei tam ſeriæ nonnihil amœnitatis aſpergerem, memini dialogum à me ſcribi, non concionem.

Scribendi modus.

Non

Non equidem ſum neſcius, multis abhinc annis Philotheam à Sanctiſſimo Gebennenſium Antiſtite Franciſco Saleſio conſcriptam, quâ nihil eſſe poſſit efficacius ad cæleſtem animæ piæ eruditionem, ideóque hanc meam non eſſe neceſſariam; gaudeo tamen mihi licet ignaro, non visâ vel auditâ Saleſianâ Philotheâ, jam ante 26. ampliùs annos eamdem cum Sancto cogitationem fuiſſe, ſcopúmque ſimilem, etſi vires modúsque ſint diſſimiles: Deus faxit, ut fructus non ſit impar: & quia ſola tam cantandi, quàm ſcribendi cauſſa fuit, oſtendere, quantùm bonus Deus animas amet, ut ametur; ipſe quoque det, ut omnes Deum, ſicut amantur, ſic ſincerè & conſtanter ament.

Illud denique prudentiæ Lectoris antè denuntio, me latiùs, quàm par eſt, alicubi evagatum videri poſſe. At neceſſe erat, quandoque ultra fines ſacri textûs excurrere: tum, ut nexus, quem in ſcena taciti geſtus, actio, & ſpectacula faciebant, appareret: tum, ne quid, quod ad rem facit, omitterem. Quæ, ſi faſtidium tibi optime Lector, moveant, me non invito tranſilies. Vale & conatũ boni conſule: quæque bona légeris, Deo; quæ mala, mihi adſcribe.

PHI-

PHILOTHEÆ

PROLOGUS.

MIsericordias Domini in æternum cantabo. *Psal. 88. v. 1.* — David.

Qui suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. *Psal. 112. v. 7.* — Misericordia.

Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. *v. 8.* — Bonitas.

Vacate & videte. *Psalm. 45. v. 11.* — Omnes.

Quoniam suavis est Dominus. *Psal. 33 v. 9.*

EXEGESIS.

CONSIDERATIO DIVINORUM BENEFICIORUM.

§. I.

DAVID PSALTES. In Persona Hominis Christiani.

AGe anima mea, cantemus. Amantis, beati, triumphantis est cantare: jucundum post labores & lacrymas; post pericula & palmas omnino æquum ac securum. Magnum cantan- — Misericordia DEI multiplex.

di argumentum est *Misericordia*: quid dulcius? & quidem *Misericordia Domini*: quid sanctius? nec una solùm, sed *Misericordiæ* multæ & magnæ: quid justius? Non nescis, esse quidem *Deum unum & unam Dei Misericordiam*, quæ est ipse Deus; tot tamen meritò censendas Misericordias, quot sunt Dei *Miserationes*. Sed quanta, putas, est illa *Miserationum multitudo?* sine fine, sine numero.

Psalm. 50. v. 2.

Redi enim mecum in memoriam & numera, si potes, collata in te hucusque Dei beneficia, ac deinceps conferenda à primo vitæ huius miseræ momento, usque ad ultimum oris halitum; quid aio? ab æterno; quando te, uti spero, prædestinavit ad gloriam: *in æternum*, quando tibi beatificam dabit visionem.

Omnino decet esse beneficii memorem, quem pudet esse ingratum: ut, qui grates gratiæ pares referre non potest, saltem obæratum se agnoscat: quod est tam factu facile, quàm dictu. Agnosco sanè liberalem Dei manum, & exosculor, ideóque, cùm aliter gratus esse nequeam, id certè quod possum, faciam, *& Misericordias Domini cantabo*, dum spiro: parùm hoc est; etiam postquam expiravero, non desinam, sed *in æternum cantabo*; neque enim solùm grata mente mecum ipse volvam & revolvam; sed palàm prædicabo, extollam, & laudabo, beneficia innumera, & immensa, quæ manu liberalissima in me immeritum effudit *Misericors & miserator Dominus*; *longanimis, & patiens, & multùm misericors. Audite* ergo, *& narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.*

Ps. 102. v. 8.
Ps. 144. v. 8.
Ps. 65. v. 16.

§. II.

Creatio. I. Fons miserationū. *Deuteron. 32. v. 1.*

AUdite & vos, ò cæli, *quæ loquor: audiat terra verba oris mei.* Cùm nondum essem, atque adhuc sine corpore, sine anima, purum putum nihil: cùm in nihilo, inter ea, quæ non sunt, latitarem, fecit me ex nihilo aliquid, & plus quàm aliquid,

aliquid, hominem. Corpus de terra ministerio parentum formavit: animam ex nihilo solus ipse *ad suam imaginem & similitudinem* condidit. Nónne ergo ipse est, *qui suscitat de terra inopem?* quanta hîc beneficiorum inclusa velut in nuce Ilias? Hinc mihi Cælum, sidera, elementa: volucres cæli, pisces maris: animalia, plantæ & metalla terræ famulantur: hinc quoque sanitas, vires, forma, ingenium, fortunæ, amici, artes, scientiæ, & quidquid natura complectitur, id omne ad obsequium meum à benefica Dei manu in parato mihi est.

Gen. 1. v. 27.

Fons II. Redemptio.

Porrò cùm originalem peccati maculam communi hominum lue incurrissem, atque insuper multis magnísque peccatorum sordibus meâ culpâ fœdatus hærerem *infixus in limo profundi*, &, *quasi jumentum in stercore* computrescerem, ipse de suo sinu misit Filium, Deum de Deo, qui homo factus divinam pereunti manum porrigeret, *de luto fæcis* miserum extraheret, suo sanguine mundaret sordidum, imò &, Deo mortuum suâ morte in vitam gratiæ revocaret. Nónne ergo ipse est, *qui de stercore erigit pauperem?* quot autem ex hoc uno pullulant beneficia? Christi *Incarnatio, Prædicatio, Passio, Resurrectio, Ascensio, & Spiritûs Sancti Missio: Fides, Verbum Dei, Sacramenta, Eucharistia, Deipara.* Ad hæc *Ecclesiastica Hierarchia, & Indulgentiæ, Sanctorum Communio & patrocinia: Martyrum sanguis & merita, dona & fructus Spiritûs Sancti, gratia gratis data,* & quæ sunt huiusmodi complura.

Psal. 68. v. 3.
Ioel 1. v. 17.
Psal. 39. v. 3.

Fons III. Prædestinatio.

Et quorsum hæc omnia? cur obsecro *pauperem* naturæ conditione, *nudum ex utero egressum*, atque insuper ab inferis *latronibus* per peccatum gratiâ, omnibúsque bonis *spoliatum de stercore erexit?* vermem & pulverem, hostem suum, diaboli mancipium? Vera & unica caussa est, *ut collocet eum cùm principibus populi sui. Obstupescite cæli!* hic finis, hic beneficiorum scopus est, ut cælestis faciat regni consor-

Iob. 1. v. 21.
Luc. 10. v. 30.

consortem, ex servo *principem*: nec qualemcumque, sed *populi sui*; ut stabiliat in throno gloriæ, ex mundi carcere extractum: *ut collocet* cum sanctis, qui vixerat cum jumentis; & locum præbeat cum Angelis, verè magnis *Principibus*, custodiæ & gubernationi electorum *populi sui* præpositis, qui locum merebatur cum dæmonibus, verè miserrimis damnatorum carnificibus. O magnitudo misericordiæ! *O multitudo miserationum*! Hinc *vocatio* & *gratia sanctificans*: hinc *illuminationes & inspirationes*, *terrores* & *consolationes*, *auxilia gratiæ excitantis*, *cooperantis*, *perficientis*. Hinc *Angelorum custodia*, *Sanctorum exempla*, *scholarum magisteria*, *sodalitatum comitia*, *religionum agmina*, *librorum subsidia*, *meritorum incrementa*, *in virtute progressus*, *finalis in gratia & charitate perseverantia.*

Ecce! quales & quanti sint hi, licèt tres tantummodo fontes, seu potiùs maria, ex quibus tot præclara beneficia, aliáque sine numero in momenta singula super me; (*Misericordiæ* scilicet, ac *miserationes*) super miserum, se evolvunt: quæ cùm omnia non possint etiam in *æternum cantando* explicari, nónne par est, ut aliqua saltem auribus oculísque haurienda proponam, & veluti in umbra cunctis mortalibus contemplanda proferam, ut ipsi *mecum misericordias Domini in æternum cantent*, & cantando, quia solus non sufficio, *Patri misericordiarum*, *& Deo totius consolationis* pro me gratias agant?

2.Cor.1.v.3

§. III.

Cant. 2.v.7

Ex his licet gustare, quàm suavis sit Dominus.

VOs ergo *filiæ Ierusalem*, animæ fideles, *vacate* à vanis sæculi curis, & mecum huic suavissimo negotio omnem operam studiúmque impendite: *videte* non tam corporis oculis personas, ornatum, gestum, scenam; quàm mentis acie, illa quæ personis ornatu, gestu, scenísque repræsentantur. Quidquid enim nunc in proscenio spectatur, & geritur,

geritur, id in mundi theatro ſemper agitur: Præcipui Actores ſunt Deus, & homo: an vel optari poſſent nobiliores? Argumentum in compendio eſt, ſecura ad cæleſtem Patriam peregrinatio: an ullum majoris eſſe poteſt momenti? Quis in tam nobili dramate ſurdum ferat auditorem, ſpectatorem cæcum? quis toleret oſcitantem, vel aliud agentem? Vacivas aures, apertos oculos, ſed ante omnia, præſentes animos Actores iſti exigunt. Non ludit Deus, niſi ſeriò: ſed neque luditur impunè.

Quòd ſi *vacare*, & *videre* placuerit, liquidò cognoſcetis, maximo animarum fructu; nec minore voluptate dicetis: Amemus, laudemus Deum noſtrum; ſerviamus, adhæreamus Deo noſtro, *quoniam ſuavis eſt Dominus*: ſuavis quidem in ſe ipſo; ſed & ſuavis in mortales: quin ipſamet ſuavitas infinita, omnis ſuavitatis fons & origo: ſummè delectabilis, ſapor ineffabilis, pleniſſimè guſtum animæ recreans, & demulcens, ſine faſtidio ſatians, ſine moleſtiâ ſemper cupidum relinquens *ſuavitérque cuncta diſponens.* *Sap. 8. v. 1.*

§. IV.

Miſericordiæ Dei ſedulò & identidem cogitandæ.

NUnc ergo *vacate*, *& videte*, quoad licet, dum in exilio in arena, in tempeſtate agitis; ut etiam vacetis, ubi vera eſt *vacatio*, & *videatis*, ubi clara eſt *viſio* in patria, in regno, in pace, in beatitudine perfecta atque æterna.

Malè illis, qui Deum non audiunt.

Non vacat ſcelere, qui vacare nugis amat, ſibi vacare negligit: qui omnia videre ardet, ſe ipſum inſpicere fugit. Sed non eſt culpa ſine pœna. Qui enim Sirenes audire, quàm vacare Deo malunt, à Chriſto quondam audient, quod nolunt. *Vocavi, & non reſpondiſtis: locutus ſum, & non audiſtis, & quæ nolui elegiſtis &c. propter hoc, Ecce, ſervi mei lætabuntur, & laudabunt præ exultatione cordis; & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritûs ululabitis.* *Iſaiæ 65. v. 12.*

Qui cælum non aſpiciunt.

Qui modò mundi gloriâ & inanitate capti, averſos à cælo oculos

Isaias 5. v. 12, 13, 14.

Ieremiæ 2. v. 19.

oculos in terram defigunt, immo claudunt, ne meliora videant, quid aliud exſpectent, niſi quod vates prædixit? *Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis veſtris; & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis &c. Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum, abſque ullo termino, & deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes glorioſique eius ad eum.* Quotquot dulcedine voluptatum ineſcati calicem Babylonis haurire gaudent, & guſtare nolunt, *quoniam ſuavis eſt Dominus*; an non meritò timent illud Jeremiæ? *Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum; & non eſſe timorem Dei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.* Bibent ergo inferorum fel, qui cæli mella faſtidiunt, & quibus Timor Dei dulcem peperiſſet Dei amorem, his voluptas fluxa ſempiternam pariet amaritudinem.

§. V.

In ſe ipſo quisq; videre poteſt, quàm ſuavis ſit Dominus.

QUòd ſi vel parùm quisque ſe ipſum inſpiciat, *vacétque* Deo, ſibi, animæ; profectò *guſtabit, quoniam ſuavis eſt Dominus:* obſtupeſcet Dei in ſe clementiam, amabit bonitatem, providentiam ſuſpiciet; timebit juſtitiam, non offendet potentiam, majeſtatem adorabit, laudabit, gratum ſe oſtendet, *miſericordias Domini & miſerationes in æternum cantabit.*

Nemo enim non fuit aliquando miſer.

Job. 14. v. 1

Quis enim eſt, qui non ſit, fueritque miſer? quis umquam immunis publicâ, vel privatâ calamitate? quis umquam eximius ab omni corporis animæque malo, naturæ, fortunæ, peccati miſeria? quis arguet Jobum mendacii? dum hereditariam omnibus, quotquot ex homine nati ſunt, calamitatem minimè falſus deplorat. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miſeriis?*

Cur

Cur verò non cantant omnes? cur tam altum silentium; si nemo est, qui, nisi hominem exuerit, se, quidquid est, habétque boni, id divinæ misericordiæ debere non fateatur? qui quamcumque miseriam exiverit, Dei beneficium grande, immò *multitudinem miserationum* esse, non vel invitus testatum faciat? *qui se de terra inopem* à Deo suscitatum negare, nisi mendax velit? qui inficias ire possit, se de *stercore* vitiorum, heu! nimis *pauperem*, divinâ *erectum* dexterâ? Nónne malum hoc omne ex pessima Dei, suíque oblivione? quâ Deus, & divinæ miserationes, humana infirmitas, ac miseriæ obliterantur in animo, & ingratæ mentis ignaviâ penitus sepeliuntur? Nónne prensantur præsentia & terrena; quia cælestia, si creduntur, non cogitantur: inquinatur animus; quia pretiosum sanguinis Christi balneum mente jam excidit? violantur divinæ & humanæ leges; quia Deus est oblivioni traditus?

Pauci tamen misericordias Domini cantant.

Quia pauci cogitant, plerique obliviscuntur.

§. VI.

QUid autem hac oblivione turpius? quid perniciosius? quid in oculis Dei execrabilius? si feræ sunt beneficiorum memores, séque ut possunt, gratas exhibent, homo obliviscatur Dei? vivat ingratus supremo Numini? adeò quidem, ut hæc tam frequens hominum perversitas justam Deo querelam extorqueat: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit?*

Sed oblivione pessima.

Isa. 1. v. 3.

O ergo, quisquis es auditor, & spectator, *vaca* obsecro, & *vide*: ita per animam tuam te oro, & obtestor, attentè, serióque tecum considera, non semel tantummodò, ac iterum, sed sæpe sæpius, atque, ut ita dicam, sexcenties expende, & rimare, *quàm suavis Dominus universis*; maximè autem tibi: volve, & revolve *misericordias Domini*, præsertím tibi toties exhibitas: disquire, & pondera beneficia Dei hucusque in omne quidem humanum genus; sigilla-

Utilitas ex frequentiore beneficiorũ consideratione.

tim verò in te collata: perpende finem, quem tibi præfixit, vias quibus te duxit: pervestiga, quomodo te *suscitaverit de terra, erexerit de stercore, collocare velit cum principibus:* hæc, atque id genus alia, frequentissimè pertracta, & non subrepet obliviosus ingrati animi torpor: non reptabis humi, sed altiùs semper volabis: non frigesces segnitie, sed divino amore magis magísque exardesces, &, gustata Dei suavitate, fateberis: *memor fui Dei, & delectatus sum:* donec omnino tam sincerâ & cælesti delectatione captus, Deóque intimè conjunctus, dicas: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum: adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.* Tunc enimverò ad liquidum cognosces, quanta sit miseria, ut alias taceam, nihil ab æterno fuisse: sine gratia vel per momentum temporis extitisse: fide, spe, charitate umquam caruisse: cæcam, mutam, surdam, infirmam, egenam sauciatam animam circumtulisse; Dei inimicum, Diaboli servum, gehennæ pabulum, iræ filium vixisse. Tunc videbis, te his eripi malis à solo Deo potuisse: amabis tam bonum Patrem, qui voluit misereri: tam magnum Dominum, qui potuit, ideóque *misericordias Domini in æternum cantabis.*

Ps. 76. v. 4.

Ps. 72. v. 25.

Ps. 62. v. 9.

Nunc ergo dilige diligentem: aspice, qui te numquam non videt: sequere, qui te vocat: time, qui te observat: cogita, qui te solicitè curat; lauda, qui te fovet, pascit, ornat, cumulat beneficiis.

Non ingratus vives, si amaveris. Ama, & compensasti; Hoc unum sufficit amanti. Ut autem amando fias Theophilus, memento, Philotheæ germanum te fuisse, útque æternùm esse velis, non velle Dæmones; ut sis,
Cælites omnes exoptare.

PARS

PARS I.

DIVINUS AMOR IN ANIMAM ETIAM INGRATAM ET REFRACTARIAM.

SIVE

PHILOTHEA PECCANS.

Scena I.

ECce! ego do coram te viam vitæ, & viam mortis. *Ierem. 21. v. 8.*

Provid. & Angel. Tut.

Spatiosa via est, quæ ducit ad mortem: & multi sunt, qui intrant per eam. Arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. *Matth. 7. v. 13. & 14.*

EXEGESIS.

§. I.

Providentia. Salve anima Deo dilecta. Vt video, anceps, & solicita incedis, circumspicis curiosa, attonita miraris, & veluti peregrina ubi locorum, gentiúmque degas, unde veneris, quo-

Ingressus in mundú.

modo in has oras adducta ſis, quò tendas, non ſatis intelligis. Dicam ergo, quod neſcis, & hac te curâ liberabo. In exilio obambulas, longè à patria. Quæris, quâ culpâ? Non tuâ, ſed alienâ. Parentes tui, unius pomi furtivo vetitóque eſu ſummæ perfidiæ & læſæ Majeſtatis divinæ rei, exulem exules genuerunt. Paradiſus ipſis domicilium fuit: cælum pro patria futurum erat, niſi gulam innocentiæ, malum paradiſo, ſerpentem ſupremo Numini ſtolidè ſuperbi, & turpiter edaces præhabuiſſent. Hæc ergo terra, quam calcas, ô Philothea, deſertum eſt; hic mundus, quem pervagaris, campus eſt militantis, hoſpitium tranſeuntis, exilium proſcriptæ. Vita, quam vivis, iter peregrinantis: corpus, quod circumfers, carcer eſt animæ captivæ. In hunc delata es mundum ex maximo inani, ex nihilo, ex abyſſo non exiſtentium. Quòd autem ſis aliquid, & iſti conjuncta corpori, quòd vivas, ſentias, intelligas, partim genitoribus debes, totum Deo rerum omnium Conditori, qui voluit, ut eſſes mundus parvus in magno, hoc eſt, homo. Sed quia omnis homo ingreditur, vel (ut meliùs dicam) effunditur in hunc mundum, parvus, nudus, debilis, flens, infans, ſordidus, quódque luctuoſiſſimum eſt, hereditariâ peccati labe à parentibus fœdè & lethaliter infectus, iræ filius, cæli perduellis, mente ſaucius, gratiæ indigus, paucis, *miſer & miſerabilis*, non aliter te huc veniſſe puta. Jam ergo ſatis, opinor, tenes: atque utinam mente retineas: ubi ſis, unde, & quomodo huc fueris deportata.

Primus rationis uſus.

Mundus exilium.

Homo, peregrinus.

Apocal. 3. *v.* 17.

Sed quò tendis? hîc Rhodus, hîc ſaltus. Naſci miſeram, ſatis eſt: an miſera vis etiam denaſci? Ex nihilo veniſti; ſed non redibis in nihilum. Hic non licet ſemper perſiſtere, ubi *non habes permanentem civitatem*. Migrandum tibi erit, quando non putabis, non voles. Imò ſi ſapis, exire aliquando geſties: gravis pœna, magnus dolor erit tibi, in exilio, in tugurio, in cavea tamdiu verſari. Ad patriam ergo contende, ad para-

Angel. Tutel.

Cælum, patria.

Hebr. 13. *v.* 14.

paradisum, ad cælum. Adverto; magnis illuc passibus ambulares, si viam nôsses. Et quis non? *Ecce* admirabilem Dei *misericordiam*, plurimarum fontem miserationum. Adsum de cælo missus ab æterna Majestate Dux viæ, & auctor vitæ, qui Dei jussu & nomine ex hoc educam te labyrintho ad suspiratæ patriæ amœnissimam libertatem. *Ecce!* res nova & stupenda. Qui te paradiso exclusit, cælum tibi pandit: qui *cælos sicut pellem extendit*, viam tibi aperit. *Ecce* qui morti te addixit, vitam tibi offert, non fluxam, brevem, laboriosam: sed quietam, jucundam, sempiternam.

Dux, Angelus.

Ps.103. v.3.

§. II.

ACcede propiùs, & specta. Quod auribus insusurro, id etiam oculis subjicio; tu mente seriò complectere. En! hàc itur ad vitam perpetim in cælesti gloria ducendam: illac itur ad mortem in cruciatibus tartari nunquam finiendam. Dexteram insiste viam, & felix ambulabis. Sinistram fuge, & lævam sortem effugies. Fateor equidem; *spatiosa est* ista, quam ad lævam aspicis, plana, trita, strata tapetibus & rosis, compluta undique deliciis, & honorum opúmque illecebris, ideóque *multi* catervatim *intrant*, saltant, volant *per illam*. Tu cave sis facias. Finem respice: quò ducat attende. *Ad mortem ducit*, ad rogum, ad æternas pœnas. *Arcta* verò *est* ista, quæ tibi dextera est, non diffiteor: aspera, injucunda, ardua, saxis vepribúsque septa, per hostiles cuneos, ferarum insidias, sanguinis sudorísque rivos emetienda: atque idcirco eam plurimi ignorant, non multi quærunt, *pauci inveniunt*, pauciores ingrediuntur, inventam paucissimi absolvunt. Non tamen hoc viæ vitium putes; sed viatorum. Delicato etiam rosa fit spina: effeminato nihil non est asperum, grave pusillo; nihil autem generoso arduum, nil difficile amanti, insuperabile forti. Tu vide, aspera quò ducat via. *Ad vitam,*

Prima vocatio.

A Via mortis ad viam vitæ.

tam, ad vitam ajo, eámque cæleſtem, atque omni ex parte beatiſſimam.

Via vitæ, mandatorum obſervatio. 1. *Ioan.* 5. v. 3. *Matth.* 11. v. 30. Poſita in libertate hominis. Dei gratiâ facilis. Liberi arbitrii præſtantia. *Daniel* 12. v. 3.

Atque ut planiùs rem intelligas, ſic habe. *Via vitæ*, ſunt mandata Dei: per hæc ambula, & ad vitam pervenies. En, quàm expedita ambulatio, via minimè ſalebroſa! An grave ſit homini ſervire Deo, cuius *mandata gravia non ſunt*; *jugum* autem *ſuave & onus leve?* Experire, & ſenties. Interea fidem habe veritati id aſſerenti. Itaque in poteſtate tua eſt, ut, quod voles, eligas. Oſtendo viam, ne imprudens aberres; optionem relinquo, ut prudens, quod melius nôſti, eligas: volentem inducere in illam cupio; non ſoleo pertrahere reluctantem. Si cogerem, injuriam putares: ſi neceſſitas adigeret, præmio locus non eſſet. Si liberè ſaniora ſequaris conſilia, laudem mereberis: vituperium, ſi invita. Meum, eſt, te ad id, quod bonum, tutúmque fuerit, invitare, hortari, ducere; tuum parére, ſequi, progredi. Quacunque iveris viâ, ad *perpetuas* ibis *æternitates*.

Philothea.

ANguſtiæ mihi ſunt undique *Daniel* 13. v. 22. Quis poteſt ſalvus fieri? *Marc.* 10. v. 26.

EXEGESIS.

§. III.

Philoth. Deliberatio. Hortor naturæ aſpera averſantis.

O Me miſeram! Ergóne procreata ſimul & proſcripta fui? in patria extra patriam dego? meum infelix carcerem ego ipſa circumfero? rea, antequam nata? ſine vinculis captiva, ſemper peregrina, numquam, dum vixero, quieta? Patria cælum eſt, ſed poſitum in excelſo: vita iter, ſed longum & incertum. Placet tamen hæc patria utique feliciſſima; nec via diſpliceret, niſi tot ſcopulis & ſenti-

ıtibus horreret. Quid ergo? an ſpatioſæ inſiſtam viæ? rident equidem roſæ, blandiuntur ſenſuum illecebræ, al-iunt vitæ commoda: divitiæ, honores, libertas, gaudia ripiunt, dum mulcent. At viæ tam jucundæ terminus iàm funeſtus! quantus poſt gaudia luctus! quanta poſt ɔes egeſtas! quantum poſt regna & ſceptra opprobrium tormentum!

Delicatorum hominum querelæ.

Aggrediárne ergo viam à dextris arctam? calcabo dacter ſpinas? feram cruces? heu, dura ambulatio! ıomodo inter tot aſpera durabo? quousque progrediar? n fortè naſcentur è ſpinis roſæ, ſcopuli vertentur in gem-as? quot cruces, tot erunt currus & arcus triumphales? d oh! quot interim ferenda vulnera, & quamdiu? nón-dum vivo, usque ad ſandapilam? *Anguſtiæ mihi* profectò *ıt undique*, mi bone Dux & Comes. Et hinc & illinc gor: ad dexteram ſpinis, ad lævam flammis: ſi has fugi-, in illas incido: ſi illas declino, his me immergo; & il-& iſtas ſimul exire nequeo: Ad dextræ viæ coronam & lmas, per ſiniſtræ delicias & plumas, ut video, non itur. terutrâ tamen eundum eſt: vel hic vel ille exſpectandus vitæque exitus. Quis autem prudens præ roſis eligat ıtes? quis verò niſi maleſanus æternas non timeat flam-s? Nolo æternùm perire: ſalvari cupio; ſed omni vitâ ere, cruciari perhorreſco. Mortem fugio, ad vitam pro-o; ſed longâ morte ante mortem mori timeo. O vita, ılus, ô gloria! quàm eſt ardua, exaſperata, inacceſſa ad via! Etſi nemo non velit ſalvus eſſe; ſi tamen alia non ur via, *quis poteſt ſalvus fieri?* quis niſi ferreus, ſibíque inimicus ad vitam evadet? quis niſi naturam tranſcen-, ſalutem apprehendet?

Regnum

Provid. Tut. Angel.

REgnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth. 11. v. 12.*

EXEGESIS.

§. IV.

Angel. Tutel.

QUid ais, Philothea? cave ſic loquaris. *Quis poteſt ſalvus fieri?* dubitare ignavia, ne dicam, amentia eſt, vel incredulæ mentis impietas. Si nemo poſſet, fruſtra daretur optio, nemo ſalvus eſſet. Sunt autem innumeri: poſſunt omnes, ſed gratiâ Dei; nemo ſuis tantummodo viribus. Poſſunt generoſæ mentes, quod nequeunt viles animæ; quia nolunt; poſſent & ipſæ, ſi cum Deo vellent. Qui vocat, vires dat Deus, quíque *vitam* offert, etiam vitæ viam aperit, ſed animæ cordatæ, & ad beatam cæli patriam anhelanti. Omnes hanc ob cauſam condidit mortales, qui indigebat nullo. Non enim tam fulgidam ſtellis regiam ſibi fabrefecit, qui ab omni retrò æternitate ſine cælo, ſine terra, ipſe ſibi fuit omnia, & feliciſſimus in ſeipſo. Sed ne ſolus eſſet beatus, creavit quos bearet: & ne quis ſe excluſum arbitraretur, uti cunctis hominibus ſuam impreſſit imaginem; ita Filium pro omnibus miſit, qui vitam pro omnibus daret, & *viam vitæ* quâ verbis, quâ exemplis doceret, vocaret, animaret omnes, ſequacibus foret adjumento, & vires ſuo emeret cruore.

Quilibet ſalvari poteſt.

Omnibus cælum, cælo omnes facti ſunt.

Sed animis opus eſt. De vita, de regno agitur, prôh quali! offertur vita, quæ mortem neſciat: quæ pericula, famem, ſitim, frigus, æſtum, morbos, dolores, & quidquid malorum eſt, ignoret: Vita bonis inexhauſtis affluens, caſtis plena deliciis, infinitis deſideriis ſuffectura. Regnum perpetuâ pace tranquillum, immenſis opibus refertum, gloriâ & majeſtate clariſſimum, verbo, cæleſte: in quo ſupremus

Præmii magnitudo animos extimulat.

mus Monarcha Deus, quotquot admittit, reges facit, suæque participes divinitatis. Quis non insurgat, non exardescat?

Et hanc tu vitam, hoc regnum tam vili æstimas pretio, ut operæ non sit pretium pauculas propterea sudoris sanguinisque stillas fundere? Næ, næ tu vehementer erras, aut nimiùm pusillo es animo. Magnæ res magno væneunt pretio. *Regnum cælorum* etiam cùm multo sanguine venditur, donatur. Sed age, dic: quanto putas illud stare cruoris oceano? etiam sine gutta occupatur. *Vim patitur*, & vim exigit. Vim ipsa tibi facito, & occupâsti, Dum meticulosi molliores quærunt vias, interea *violenti rapiunt illud.* Quin sponte occurrit animis ad grandia natis, mundi suíque victoribus. Fac quod nolles bonum: fuge quod velles, malum, & magnam cælo *vim* splendidè *violenta* intulisti, calcâsti omnes generoso pede spinas, muros sidereos expugnâsti, in omne ævum regnatura. Effrænes animi cupiditates preme, frange, edoma: & nullæ supererunt spinæ, nulli ampliùs obstabunt scopuli: sensim *arcta* dilatabitur *via*, evanescent *angustiæ*, crescet animus, augescent vires: tu curres, volabis ad patriam, ad vitam, ad regnum.

Sanctâ violentiâ opus est.

§. V.

MAsculos ergo sume animos, Philothea, & tanto dignos nomine. Deo dilecta es: turpe foret Deum non diligere. Quid ergo trepidas? Amor nihil timet, per tela ruit & ignes: quidquid etiam ferat, onus non sentit: si metuit, refugit, lassatur; ignavus est, aut nullus: agendo & patiendo fortia, roboratur, & inclarescit. Si non amas Deum super omnia diligendum, oppidò ingrata es & vecors; si, ut debes, amas, nihil non illius causâ pateris & facis. Nihil ille, quod in te amaret, reperit, nisi quod ipse dedit; & tamen dilexit: Tu in illo summa habes omnia,

Providentia.

Amor Dei omnem superat asperitatē.

quæ

quæ diligas; & non ames? absit. Quòd si amas, *viriliter age, & confortetur cor tuum*, non te panicus timor à Virtutis tramite avertat. Ad cælum condita nihil humile cogitas, nisi degeneraveris. Ad vitam, ad regnum vocata, nullam putabis viam asperam, quam videris directam & securam: quæ quò fuerit durior, hòc erit brevior: quò tibi arctiorem dabit semitam, eò securiùs ducet ad metam.

Psal. 26. v. 14.

Pro cælo laborandum.

Nónne qui ad patriam anhelat, is flumina, montes, maria non curat? qui in agone certat, pulverem, ictus, vulnera contemnit? qui serit, occat, metit; sitim, æstum, sudorem non æstimat? Cælum patria est, præmium, merces est: si cucurreris, pugnaveris, laboraveris, habebis. Peregrina es? Ergo Cæli clavigerum audi: *Obsecro vos tamquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Hoc nimirum est cælo vim facere, montes, flumina, maria superare, ut ad beatam patriam pertingas. Bellatrix es. Itaque Doctorem Gentium ausculta: *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, labora sicut bonus miles Christi*, ita ipse ad Timotheum suum: sed & ad te; modum quoque pugnandi docet. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Tu autem, ò homo Dei, sectare justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.* Istud nempe est *regnum cælorum violenter rapere*: pugnare, luctari, vincere, ut æternæ gloriæ palmam obtineas. Operam tuam locâsti mercenaria? Cælestem patremfamilias observa. *Quid hîc statis*, inquit, *totâ die otiosi? ite & vos in vineam meam. Tollite jugum meum super vos, & discite à me: quia mitis sum & humilis corde. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Sic, sic per *arctam viam*, & angustam portam cum *paucis*, inter servos bonos

1. Pet. 2. v. 11.

Abstinendo à malo, faciendo bonum.

1. Timoth. 6. v. 12.

2. Tim. 2. v. 3.

1. Corinth. 9. v. 25.

1. Timoth. 6 v. 11.

Matth. 20. v. 6.

Matth. 11. v. 29.

Portando crucem.

Matth. 16. v. 24.

Matt. 19. v. 17.

&

& fideles, ancilla, imò filia, sponsa *intrabis in gaudium Domini tui.* An fortè mercedem sine labore, sine certamine palmam speras? Falleris. *Non coronatur, nisi qui legitimè certaverit.*

Matth. 25. v. 21.

2. Tim. 2. v. 5.

§. VI.

Naturæ magisterio

ET, quæso te, non rubore suffunderis, dum malesana mundi mancipia vides? quot aggrediuntur pericula? quàm acerbas absorbent contumelias? quos exhauriunt labores, ut fluxam honoris auram captent, ut opes perituras congerant, ut aliquam sordidæ voluptatis guttulam degustent? An tu minore sumptu æternas cæli delicias compares? Pro pauculis terræ palmis, ne dicam coronis & sceptris, quantum sudoris & sanguinis passim funditur? quantâ contentione animi, quantis curarum spinis, vigiliarum tormentis, laborúm, sumptuum, fastidiorum cruciatibus, vitæ, famæ, salutis denique detrimentis pugnatur? An tu pro sempiterna beatorum gloria, pro regno felicissimo & perenni malè sparsas sudoris guttas existimes?

§. VII.

Sanctorum exemplo.

NOn ita Martyres, non Apostoli, non Viri feminæque sine numero, omnis ætatis, & ordinis, cælum fecere parvi. Ludus illis erat calcare spinas, scopulos transcendere. Jucundum fuit rotis infringi, ignibus torreri, pelago mergi, in crucem agi. Sub cultris, gladiis, úncinis; inter ferarum rictus, sagittarum imbres, sanguinis rivos, laniati, discerpti, liquati exclamabant: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis:* non unam tantummodo daturi vitam, sed mille: certi nihilominus parvo sibi stetisse cæli regnum; *Id* enim (ajebant) *quod est in præsenti momentaneum, & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimi æternum gloriæ pondus*

Rom. 8. v. 18.

2. Cor. 4. v. 17.

 operatur

operatur in nobis. Potuerint ergo pueri & puellæ impuberes, ſubire acinaces, inſilire in rogos, ferre novaculas; tu ſpinas pavida horreſcas? illi proprio cruore madidi enataverint ad beatæ vitæ littora; tu non niſi laneâ ambulare viâ velis?

§. VIII.

Chriſto Duce.

ECqua tandem fronte Servatorem tuum aſpicies, per arduam Golgothæi montis ſemitam inter latrones enitentem? cruce onuſtum, ſpinis redimitum, ſputis fœdatum, plagis obſitum, vulneribus lacerum ſanguine madentem? & hæc, tuâ causâ, cæli Dominum, Dei filium? Nónne, ipſomet teſte, *hæc oportuit Chriſtum pati. & ita intrare in gloriam ſuam?* Tu molli culcitrâ deferri velis in gloriam non tuam? Itaque ſpinoſam, Philothea, inſiſte viam. *Anguſtiæ* tibi *ſunt?* ſed majores crede apud inferos futuras; ampliſſimam contrà apud Cælites libertatem. *Vbi enim Spiritus Domini, ibi libertas;* nemo magis liber, quàm qui Deo ſervit: cui nemo ſervire poteſt, niſi qui ſibi ipſi dominatur. Te ergo vince. Nulla clarior victoria, fortior faciliórque pugna. Quod enim jubente voles Numine, poteris adjuvante. Violentia cæli, eſt victoria ſui. Si te viceris, cælum expugnâſti.

Luc. 24. v. 26.

2. Cor. 3. v. 17.

Victoriâ ſui.

§. IX.

Hoſtes animæ, qui à cæli via improvidam avertunt.

SEd ecce! prima dimicandi occaſio. *Mundus* eſt, qui tibi occurrit, floridam mentitus puellam; tu inſidiatricem noveris: cave audias, cave credas etiam juratæ, cave ſequaris invitantem. Non procul erit adulatrix *Caro*, & callidiſſimus, veterator *Orcus*, quibuscum ſecunda & tertia, pugna tibi imminet. Tres ergo ſuſtinebis hoſtes, ſed ut vides, effeminatos, etiam muliebri nomine vulgo notos:

Con-

Concupiſcentiam oculorum, *concupiſcentiam carnis*, *& Superbiam vitæ.* Arma ferunt ludicra potiùs, quàm funeſta. Illi enim pro telo eſt *Vanitas*: huic pro tragula *Voluptas*: iſti pro clava *Dignitas*. Tu contrà, licèt inermis, audacter dimica. Mundum fuge, Carnem fræna, Orcum conſpue, & viciſti. Certanti aderit Chriſtus, arma ferent Angeli.

1. Ioan. 2. v. 16.

SCENA II.

Mundus.

EGreſſa ſum in occurſum tuum, deſiderans te videre; & reperi. *Proverb. 7. v. 15.*

PARAPHRASIS.

Mundus per ſocios malos infeſtus.

O Me beatam! quòd te conſpicor, Philothea. Diu in votis habui te videre, tibi loqui, tibi inſervire. Sed neſcio quæ infauſta ſors hucusque tui copiam negavit. Nunc tandem fauſtis avibus egreſſa feliciter te invenio. Salve millies. Tam ego te ſalvam cupio, quàm me ipſam, hoc eſt, lætam, opulentam, ſplendidè felicem. Et ne inania hæc putes eſſe verba, adſum ut me meáque omnia tuis obſequiis devoveam. Amicam habebis in me ſuaviſſimam, tuis commodis, ubi ubi volueris, ancillantem.

Chriſtus.

EXivi à Patre meo & véni in mundum. *Ioan 16. v. 28.* Salvum facere quod perierat. *Luc. 19. v. 10.*

EXEGESIS.

§. I.

Chriſtus Dei Filius, optimus hominis amicus.

SAlus te amet, Philothea. Quin imò, ſi agnoſcis, jam te amat, quando te ſalute Salvator ipſemet impertit.

Ioan. 1. v. 18

Mirari desine. *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris*, ego sum, de Deo Deus, æqualis Patri, æternus, immensus. *Exivi* autem *à Patre*, at non deserui: véni in mundum, sed locum non mutavi; quia *cælum & terram ego impleo*, ubique præsens, ubique Deus: non tamen ubique ut homo. *Exivi* itaque, unde non abii: & *véni*, ubi semper fui; dum propter vos homines humanam indui naturam, novóque & mirabili modo sum adspectabilis mortali oculo in terris, qualis non eram in cælis: hîc natus ex Virgine Matre, sine Patre; ibi genitus ex Patre sine Matre: hîc pannis involutus, ibi nec immensis orbium globis inclusus: hîc infans, ibi gigas; hîc infirmus, ibi omnipotens: hic nudus, ibi *amictus lumine sicut vestimento*; Adsum ergo nunc tuâ causâ, qui propter te *véni in mundum*; *exivi à Patre*, ut te in Patriam reducerem. Perieras cum omnibus: *véni, ut te salvam facerem* cum paucis.

Ierem. 23. v. 24.

Psalm. 103. v. 3.

§. II.

AGnosce fratrem, & Ducem accipe. Eamdem mecum ingredere viam. Præivi, tu mea lege vestigia, etsi cruenta. Mundi Dominum sequere: non mundum. *Mundus* quidem *per me factus est*; sed non immundus. Degeneravit à seipso, & factorem suum *non agnovit*. Ex quo vetitum spoliavit pomo lignum, *totus in maligno positus*, ipse Dæmoni cessit in spolium. Mundus aio, non hæc quam vides machina in hominis usum à me fabrefacta; sed homines mundi, qui excusso legis divinæ fræno, rebelles Numini, pro lege habent lubentiam, pro fine voluptatem: omnia utilitate metiuntur, honesti & æqui immemores, fluxos quærunt honores, æternitatis obliti, cælum denique insuper habent; apud quos pudor exulat: impietas, perfidia, luxus triumphat. Ex horum numero & ista est præstigiatrix, quæ tam suaviter tibi struit insidias. Ecce! corrugat frontem,

Ioan. 1. v. 9.

1. Ioan. 5. v. 19.

Mundus & illius fraudes.

tem, indignatur, fremit sub larva. *Egressa est in occursum tuum.* Sed unde? tacet, erubescit, salva res. Ex inferis nempe prodiit: quo patre nata? lethifero serpente. *Egressa est* itaque uti vipera è sterquilinio, uti leæna ex antro: *desiderans te videre*, sed, ut solet basiliscus, videndo necare. *Et reperit* quidem, sed ne magno tuo infortunio te solam reperiret, ego feci; tu fac, ut Christianam heroïdem in te repererit. At, inquis, bella, jucunda, blanda est, amicitiam prensat meam, obsequiis se meis addictam venditat: tantæ humanitati inurbana non respondeam? officia recusem? amicitiæ commodis, solatiisque renunciem? Si sapis, anguem fugis in herba latentem. Quidquid vides, dolus est, mendacium, fumus est. Oculi tam scintillantes & lubrici, fascinant mentem improvidam: genæ purpurisso fucatæ pestiferam mephitim exhalant. Quot crispati crines, tot sunt laquei; quot verba, tot jacula: quot manuum basia, tot animi venena. Dum videt mordet: blanditur ut capiat: servit, ut dominetur; ubi te sub jugum miserit, experiere tyrannidem. Quæ priùs bella fuit, personam exuet: fœda, tetrica, crudelis jugulabit incautam, vitâ exuet, quæ est Dei gratia, ex Philothea faciet Dei inimicam. *An nescis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei?* *Iacob. 4. v. 4.* Ut ergo amica sis Deo, cum Mundo inimicitias exerce. Omnia habet qui Deum habet amicum.

INtexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto. *Proverb. 7. v. 16.* *Mundus.*

PARAPHRASIS.

Sociorum illicia.

QVæso te, Philothea, ad me aliquando divertas. Gratia erit, te hospitio excipere. Aliam amicitiæ tesseram non peto. Est ubi lautè cœnes, triclinium: ubi hilariter ludas,

ludas, aula: ubi molliter quiescas, lectulus pretiosis supernè tapetibus, quos Ægyptia manus acu pinxit decorè stratus; infernè funibus reticulatim implexis delicatè suffultus, ut suaviter in multam lucem dormias. Venies, nisi me despicatui habes. Hic mihi mos, hæc mea est voluptas, hospites habere frequentes, & cum illis vivere in Apolline.

Christus. LEctulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina; laquearia nostra cypressina. *Cant. 1. v. 16.*

EXEGESIS.

§. III.

Otium, periculosus lectus.

OCclude aures, Philothea, ut venenum pectore excludas. Serpentum hæc sunt sibila, hæ malorum sociorum sunt voces. Ad hypocausta, ad musea, ad cubicula invitant, ut dum genio indulges, ingenium perdas: dum alienos mores induis, pudorem exuas; dum otiando, garriendo, ludendo nihil agis boni, nihil non agas mali. Negotiosum istud otium pro quiete habent. Tu cane peius & angue hunc fuge lectum, funes, tapetia.

Et mihi *lectulus* est, nec solùm unus: non funibus intextus, sed cælesti artificio, rosis liliísque consitus, divino murice purpuratus. Atque unus quidem semper ad manum est; quia præclarus mihi & pretiosus: quem tamen cum multis, præsertim intimis amicis, maximo illorum bono communicare gaudeo.

Crux Christi, lectulus floridus.

Hanc crucem vides? quid expallescis? Non est hic lectulus tam durus, ac foris apparet; sed verè *floridus.* Clavos equidem cernis & spinas: non rosas & lilia; quia necdum amas, qui te prior amavit. Rosas & lilia videbis, senties,

ties, ſtringes: non ſpinas & clavos, cùm verè amaveris. An fortè ignoras obedientiam, patientiam, fortitudinem purpureas eſſe cæli roſas? demiſſionem, charitatem, continentiam, fidem & ſpem pulcherrima paradiſi eſſe lilia? Hos tu flores gemmis pretioſiores in deliciis non invenies; in Cruce tenebis. Non te ergo teneant, quæ vides; ſed animent, quæ non vides. *Quæ enim videntur, temporalia ſunt,* evaneſcunt: *quæ autem non videntur, æterna ſunt,* & perennant. Experto crede: hoc ipſo in lectulo ego quondam inter ſpinas & clavos obdormivi velut in roſeto; quia te tam tenerè dilexi: ſentiebam ſpinas in corpore, roſas in mente: *Iam hyems tranſiit,* fugerunt ſpinæ; *flores apparuerunt in terra noſtra.* Manſerunt lilia & roſæ. Qui verò meum hunc lectulum recuſat, malè cubat, etſi byſſo ſericóque incubet, nusquam quieſcet; quia numquam ſecurus: Ubi autem Crux, ibi ſecuritas, & cum ſecuritate jucunda quies.

Cæli flores.

2. Corinth. 4. v. 18.

Cant. 2. v. 12.

§. IV.

SEd, quæ mea eſt benignitas, non ſemper in hoc *Crucis lectulo* dilectas mihi animas, quamvis dolorum perquam cupidas, hærere cogo. Alter mihi lectus ſupereſt, in quo collocare amicos ſoleo; ubi ſentes, clavi nulli; anguſtiæ, turbæ nullæ: inquietudo, moleſtia nulla; ubi alta requies, ſecuritas ſumma, caſtæ deliciæ, profundus ſomnus, jucunda ſomnia, felicitas plena. An alias deſiderare roſas & lilia potes? Pectus meum inſpice: cor videbis & in corde *lectulum*, quem voco *Amoris.* Hîc anima dormiendo vigilat, tacens loquitur: quieſcit, non tamen eſt otioſa: dum claudit oculos, mirabilia contemplatur; paſcitur divinis epulis, liqueſcit amore, deficit & deficiendo proficit. An placet hic lectus? Si plura nôſſe cupis, Joannem, diſcipulum *quem diligebat IESVS interroga:* Magdalas, Catharinas, Auguſtinos, Franciſcos percontare; dicent plura, non poterunt omnia.

Pectus Christi, dulcis lectus.

Ioan. 21. v. 20.

§. V. Ad-

§. V.

Cælum domus.

ADhæc domos etiam habeo complures. Ex multis aliquas tibi indico, offero cunctas, è cedro & cypresso fabricatas; imò quasdam auro, margaritis, gemmísque structas. Ecclesia, Solitudo, Religio, Templum, Cælum, domus meæ sunt; satisne amplæ, securæ, pulchræ? In his ipsa habitat Sapientia, regnat justitia, floret tranquillitas, coruscat sanctitas; jucunditas, beatitas triumphat. *Tecta domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina* si dixero, parùm dico, ne tamen ruinosa credas, & carie aliquando excedenda, vel olim tempori in prædam cessura timeas, *cedrina & cypressina*, dixi, odorifera & æterna aio: Tu ex tectis & laquearibus auro vestitis ipsas domos, si sapis, æstimas, & quem lectulum in illis tibi sponte offero, acceptas.

§. VI.

Nemo sine Cruce.

QUid suspiras? quid mœsta vultum avertis? Crucem ut video, delicata plus nimio formidas. At quoquò te converteris, occurret. Parvam refugis, in magnam impinges: unam abjicis, multæ vel invitis humeris incumbent. Ut nemo sine aëre spirat, ita nemo sine cruce vivit; interest autem bona, an mala sit, quam subire cogitas. Optima est, quam bonus imponit Deus; pessima quam mundus, Caro, Orcus, pessimi carnifices. Itaque meam amplectere crucem, nisi in malam crucem ire velis.

Felix cui bona. Quam imponit Deus.

Crede hanc, quam tibi offero, esse tutam in hoc pelago navim, baculum in lubrico, frameam in prælio: Certum habe, hanc esse currum triumphalem, cæli scalam, sceptrum regni, clavem cælestium thesaurorum. Hinc Paulus tam ardenter illam dilexit, ut diceret: *Mihi* autem *absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi: per quem mundus mihi crucifixus est & ego mundo.* Si ergo *post me venire*, & mecum *in gloriam intrare* velis, *tolle crucem tuam & sequere me; qui enim non accipit crucem suam & sequitur me, non est me*

Galat. 6. v. 14.

Matth. 10. v. 38.

dignus

dignus. Meam piis oculis aſpice, mente complectere, amore ſtringe; tuam verò generoſo pectore & obviis ulnis amplexare. Quæcumque adverſa tibi ingeſſero, læta ſuſcipe: ſi non immiſero, ipſamet, quod patiaris, quære. Quidquid meâ causâ ſuſtinueris, pro cruce tibi erit; ſed à mea veniet dextera: ſi meæ junxeris Cruci, ex duabus una fiet, ſed levior. Feres, ſed non ſola; tecum ego portabo, vires ſuggeram, levabo onus, dulcorabo amaritiem, ſudorem detergam, palmam & coronam dabo perſeveranti: atque ita *Crux* tibi erit *lectulus*, non cruciatus.

§. VII.

Mundi fallaces lectuli.

CONtrà, ſi *mundi lectulus* te delectat, capta es: quidquid pro lectulo fallax obtrudat, cippus eſt, cataſta potiùs, quàm ſponda; equuleus, non torus: culeus non thalamus: Jam *otium* tibi pro lecto offeret, mollicellum Satanæ pulvinar: Sed cave funes, ne corpore conſtricta velut in cippo marceſcas, habeáſque viva pro lectulo ſepulchrum. Jam *opum acervos* exaggerabit in toros, ſplendidam Mammonæ pompam. Sed fuge laqueos; non quieſces: ſed dies noctéſque in fuliginoſa Pluti cataſta curis diſtenta miſerè pendebis.

Otium.

Opes.

Modò in *voluptatum nidulo* te componet: Tu compedes devita, execrare cœnum: niſi te ſubtraxeris, in hara inter porcos & hircos, aut ſi quid eſt his fœtentius, infeliciſſima jacebis. Modò *faſces & infulas*, *conſulatus & ſacerdotia*, *famæ plumas & carbaſa* tibi ſubſternet. Tu vincula time; aut patricidarum ſupplicio mactanda, cum ſimia adulationis, gallo luxuriæ, cane invidiæ inſuta culeo, carebis igni, aëre, aquâ, terrâ, tandem & cælo. Procul ergo, ô mea Philothea, fuge à lectulo huius prædatricis.

Voluptates.

Honores.

Non invitat ad domum, quia non habet, niſi apud inferos. *Meus eſt enim orbis terrarum*, quò ſe per ſummum ſcelus intruſit. Hunc, ubi ubi poteſt, *intexit funibus, ſternit*

Pſ. 49. v. 12.

nit tapetibus pictis ex Ægypto; rectiùs dixisset, fictis in Averno. Meritò tibi suspecta sunt, quæ picta sunt. Nihil venit ex Ægypto boni. Prandia, ludos, cœnas promittit; at si prandes in Apolline cum Mundo, cum Cerbero in stygo cænabis.

Mundus.

ASpersi cubile meum myrrhâ & aloê & cinnamomo. *Proverb. 7. v. 17.*

PARAPHRASIS.

Narium deliciæ.

SI ad me invisere non dedignaberis, Arabiam ingredi felicem te putabis, & tota voles esse nasus: ita omnia fragrant, & odoros ventulos aspirant, cinnama, myrrham, aloën redolent, quæ parietibus, mensis, sellis, cortinis, aulæis in tuam gratiam aspersi; sumptu, si venias, non pœnitendo.

Christus.

LAbia mea, lilia distillantia myrrham; genæ meæ sicut areolæ aromatum, consitæ à pigmentariis. *Cant 5. v. 13.*

EXEGESIS.

§. VIII.

Odor Christi mirificus.

O Anima dilecta, si te trahit fragrantia, ad me concede. Non indiget *cubile meum* odoriferis liquoribus. Ubi ego sum; tota se effundit suaveolentia. Ex præstantissimis odoramentis totus sum compositus, sed cælestibus: totus ex sanctitate, ex castimonia, pietate gratiâque compactus; scilicet Homo Deus. *Sicut cinnanomum & balsamum aromatizans, quasi myrrha electa, quasi storax, & galbanus & ungula,*

Ecclef. 24. v. 20.

gula, *& gutta*, *& quasi Libanus non incisus*, solâ meâ præsentiâ sine adscititiis pigmentis ubicumque fuerim, semper & abunde *vaporavi habitationem meam.* Neque nunc cesso *dare suavitatem odoris*, sed hoc ago, ut ad dilectas mihi animas mera cinnama loquar, balsamum ore fundam, ut *labia mea* tamquam repanda *lilia*, *distillent* sapientiæ *myrrham*: *genæ meæ* non secùs ac *areolæ aromatum* virtutum exemplis *consitæ à pigmentariis* cæli mirabilem cunctis suavitatem afflent.

In labiis doctrinam, in genis vitam ostendo, utique divinâ quadam fragrantiâ plenam; quia Sanctam: dulcorem in ore, in vultu decorem fero meritò amandum: quia cælestem. Ita scilicet fragrare decet corpus hoc meum, *in quo omnis plenitudo divinitatis inhabitat*: ita par est suavissimè olere animam hanc meam Deo hypostaticè conjunctam: quod non nesciunt felices animæ, quæ ad casta humanitatis meæ oscula admittuntur.

Coloss. 2. v. 9

§. IX.

SEd ita quoque convenit, devotas mihi mentes cælestem redolere fragrantiam, veluti divini capitis sacrata membra. Sunt enim in mystico meo corpore pro oculis, Ecclesiarum Præsules: pro auribus, in sacro tribunali Judices: pro labiis, Ecclesiastæ & Moderatores: pro genis denique, fideles animæ virtutum odoratis surculis admirabili venustate pictæ. Hæc *mea labia* non ut torrentes impetuosè spumant inanibus sermonum fluctibus, sed parcè & leniter salutares dividunt succos: non jucundis, floridisque verborum lenociniis prurientes aures demulcent, sed prout res exigit, modò consolationis balsamum propinant, modò salutiferam pœnitentiæ *myrrham distillant*, illud liberaliter, ut prosint, impertiunt; hanc, ne graves sint, quasi guttatim

Sanctarum animarum fragrantia. Concionatores, labia Christi.

animis per aures infundunt. *Lilia* sunt, ideóque casta: sed & *labia*, quia docent sermone. Quî ergo fieri possit, ut *genæ* hisce *labiis* vicinæ (mentes salutis cupidas intelligo) non fiant *sicut areolæ aromatum* amœnissimis meritorum floribus, pulcherrimis virtutum fructibus, & suavissimis gratiæ plantis *consitæ*! quorum *pigmentarii* sunt Angeli, pigmenta sine fuco, odor sine fumo; Hos sequere odores, *& Christi bonus odor* eris *Deo*.

2. *Corinth.* 2. *v.* 15.

§. X.

Peccati fœtor.

QUò enim & tu sis animo, qua indole, Philothea, odor manifestat. Quid ita? Columbæ suavi capiuntur odore, putido fœtore corvi. Non est odor, quem mundus exhalat; fœtor est. Si hunc sequi est animus, ad corvos abi. Scatet mundus putrefactis ubique cadaveribus: & bene oleat? passim acervat animas Deo mortuas; & non fœteat? sordido peccatorum cœno, quibus nihil potest esse graveolentius, quaquaversum inundat: & non puteat? Næ ipsemet malè olet, cui bene olet mundus: quem aversatur Deus. Non sic sulphureus Pentapolitarum rogus, non Averni lacus, non Mæotica palus, nulla denique mephitis ita beatas nares offendit, ut mundi sentina, non nisi inferorum cloacis comparanda. Et huius te *cubile* delectet? At, inquis, *aspersit* illud *myrrhâ & aloë & cinnamomo*. O te simplicem & incautam! quare *aspersit*? cur non lavit? nimirum pauper est: parùm habet boni: unde aspergere potest tenuem fortè voluptatulam; certè copiosam affundere non potest. Adhæc, an putas, *cubile* suum aspergeret, nisi fœteret? Quod putidos tantum habet incolas, quid nisi hircos, porcósque stabulari solitos oleret? Et cur à *myrrha*, *aloë*, *& cinnamomo* aliquas melioris odoramenti guttas emendicavit, quas aspergeret? annon ut *cinnamomo* intestinum aleret incendium? *aloë* visceribus longam infunde-

Mundi odores periculosi.

funderet amaritudinem? *myrrhâ* sopitis animi sensibus omnem ex mente recti honestique memoriam eliminaret? Hoc tu *cubile* dicas, & non potius haram, carcerem, macellum? Hos tu odores patulis haurire naribus decernas?

An ignoras, qui delicatis gaudent odoribus, qui muschum, ambram, balsama capillis inspergunt, vestibus involuunt, corpori affricant, hoc agere, ut bene oleant, quia malè olent? An nescis lasciviæ pestem non modò per oculos, & aures, sed etiam per nares irrepere? An te fugit, quæ hunc luxum pœnæ sequantur? *Auferet Dominus in illa die armillas, & mitras, & murenulas, & olfactoriola &c. Et erit pro suavi odore fætor & pro Zona funiculus, & pro crispato crine calvitium. Ascendet fætor eius, & putredo eius, quia superbè egit.* Itaque cave delicatam narium lubentiam: procul fuge à blando huius meretriculæ cubili. Arabiam te ingredi quidem putabis, sed minimè felicem: intrabis candida, sed Arabe nigro nigrior exibis. Ut aqua maximè sapit, quæ nullum habet saporem, ita satis bene olet corpore, quisquis non olet malè.

Isaia 3. v. v. 20.

Ioel 2 v.20.

§. XI.

Optimus odor est, quem à me trahit anima: Sanctitas est, cuius fragrantia cælum implet, Beatos exhilarat, Deum delectat. Hac ego vel in stabulo abiectus attraxi Angelos ex astris, ex Oriente Reges. Hac servi mei in suis tumulis sepulti rapiunt corda, replent animos, & ad sua ossa piè visitanda attrahunt mundi Monarchas.

Fragrantia Sanctitatis à Christo.

Quid casto corpore suaveolentius? quid purâ mente jucundius? neque lilia, vel rosæ: neque cinnama, vel styraces, neque Darii myrothecia castimoniæ odorem possunt adumbrare. Certè castus animus cælesti delibutus balsamo

Castitatis.

mo, uti procul est corruptione, ita longè à fœtore: quem Virginitas reddit incorruptum, & quod mireris, *incorruptio proximum facit esse Deo.* Quid denique ardens in Deum pietas? an non excellens est odoraria? quid aliud religiosæ preces, suspiria, lacrymæ, quàm thura, aromata, & pretiosæ succini guttæ? nónne *dirigitur oratio sicut incensum in conspectu Domini?* nónne gloriosi illi sidereæ aulæ proceres habent *singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum? Nónne lacrymæ viduæ in maxillam descendunt? A maxilla* autem *ascendunt in cælum, & Dominus exauditor delectabitur in illis?* His atque id genus aliis bonarum mentium odoramentis domum, cubile, vestes, corpus, animum imple, & cælestem redolebis Arabiam: fragrabis ut columbæ in vita; flagrabis ut Phænix in morte: corpus quidem in terram descendet; animus verò ad cælum ascendet *per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii.* Si meus te pascat odor, tuo me superósque omnes odore pasces. At novi hostes imminent, nova prælia, hòc sæva magis, quò magis blanda.

Sap. 6 v. 20. Religionis. *Ps. 140. v. 2. Apocal. 5. v. 8. Eccles. 35. v. 18. Cant. 3. v. 6*

Caro, Orcus.

VEni, fruamur bonis quæ sunt. *Sap. 2. v. 6.*

PARAPHRASIS.

Hamus aureus, divitiæ.

QVid moras nectis, soror Philothea? quin Mundum séqueris tam suaviter invitantem? Ecce quot & quantis affluat bonis! Quidquid terra auri, argenti & gemmarum: quidquid mare piscium, ostrearum, unionum: quidquid aër volucrum, lucis & spectaculorum: quidquid horti, campi, silvæ habent florum, frugum, ferarum, id omne nostris

nostris fecit usibus provida mater natura. Nostra sunt *quæ sunt*: desipimus, nisi *fruimur*. Age, nos comitare, ubi nobis bene sit. Accipe quæ Mundus offert. Bonus esse nequit, qui bonis frui negligit.

VEni, mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ & justitia. *Prov. 8. v. 18.*

2. Angeli in persona Christi.

EXEGESIS.

§. XII.

QUi Deum habet, omnia habet. Omnia in eius manu sunt, à cuius Verbo sunt omnia. Hæc ergo tibi prensanda manus est, Philothea, tam larga, quàm magna: quæ semper dat, accipit numquam. Et quid accipiat Deus, cui nihil deesse potest? & quid tandem non det petenti, qui se ipsum dedit non roganti, quique petere docuit, ut essent, quibus dare posset: numquam non habebit, quod det? Verè dives, qui omnia dat omnibus, & divites facit, quos non piget accipere. Magnæ soli Deo sunt divitiæ: quia pro ærario voluntatem habet omnipotentem, ex qua, cùm voluit, cælum, terrámque deprompsit: cùm volet, *cælum novum, & terram novam* nutu faciet: Ampla illi possessio est, quæ neque mari clauditur, neque terræ finibus arctatur, neque cæli cardine continetur.

Thesaurus Christi inexhaustus.

Isa. 65. v. 17

Opes ergo mihi excellentes sunt, & sine *superbia superbæ*, præ quibus aurum, gemmæ, ut lutum vilescunt: palatia, regna, imperia sordent. An non sapientia, vita, sanctitas præ omnibus sunt thesauris? gratia, virtus, gloria præ mille mundis? non immeritò *opes superbæ*; quia cum *justitia* conjunctæ: totis quærendæ viribus; quia nullis casibus obnoxiæ: solæ quantumvis cupidam mentem expleturæ; quia

Veræ divitiæ.

æternæ. Has qui non habet opes, pauper est, etsi mundi Dominus: nemo habet, nisi qui à me accipit. Qui habet, argento non inhiat; quia non indiget: auro dominatur, non servit: gloriâ, quam contemnit, affluit: *justitiâ* quam præ Regum thesauris eligit, gloriosus. Hæ divitiæ animos implent, non arcas: spernuntur in terra, in cælo pretium habent, ídque solæ comparant, quod nullæ opes possunt.

§. XIII.

HUc igitur te, Philothea, huc vos, quotquot estis, animæ fideles convertite, ad meas divitias manum extendite. Implebo cuiusque sinum, licèt inexplebilem. *Accipite disciplinam, & non pecuniam: doctrinam magis, quàm aurum eligite. Melior enim est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne delectabile non potest ei comparari.* Quidquid porrò desideratis, dabit sapientia. Vitam vultis? *longitudo dierum in dextra eius. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam; & qui tenuerit eam, beatus.* Gloria vobis in votis est? *Ego sapientia. Per me Reges regnant: per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam. Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio, ignominia.* Thesauros quæritis? *In viis justitiæ ambulo, & in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Si dubitatio mentem pulsat, testem audite Regem ex æquo sapientem & felicem; imò felicem, quia sapientem. *Optavi*, inquit, *& datus est mihi Spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis & sedibus. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Quid amplius mens humana desideret? Quid desit sapienti? Quæ brevior ad omnem felicitatem via, quàm sapientia? Non quidem illa, quam Mundus plenis buccis crepat, quæ magniloqua, tecta, mendax, callida: quæ *terrena, animalis,*

Sapientia, thesaurus.
Proverb. 8. v. 10.
Proverb. 3. v. 16. 18.
Proverb. 8. v. 15.
Proverb. 3. v. 35.
Proverb. 8. v. 20.
Sap. 7. v. 7.
& v. 11.
Sap. 7. v. 14
Non autẽ mundi sapientia, sed Christi.
Iac. 3. v. 15.

animalis, diabolica est: terram, carnémque sapit; sed *quæ desursum est sapientia, primùm quidem pudica; deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.* Sapientia quidem amplissima, & rerum altissimarum scientia, sed in compendium non grande redacta, *Timor Dei*; timendo enim discitur, absolvitur timendo: Huic ergo sapientiæ, quisquis sapit, inhiat, cui nulla ætas gravis, aut immatura: nullum ingenium hebes, aut ineptum: nullus sexus, conditio nulla debilis, aut indigna: nullum tempus, locus nullus importunus, quin ex illiteratis Philosophos, ex pueris Magistros, ex piscatoribus mundi Doctores momento faciat, non perituris opibus & perenni gloriâ cælo, terráque admirandos.

& v. 17.

Timor Dei, genuina sapientia.

Eccles. 19. v. 18.

Crede mihi, Philothea: quàm liberaliter hæc ego tibi bona offero, tam sincerâ fide commendo. Non fallo; sum Veritas: neque quod ostendo, subtraho: sum Bonitas; Dabo, si accipias. Si acceperis, nil petes ampliùs satiata funditus; quia summo bono plena. Tuum erit, quod semper fuit, semper est, numquam non erit, nimirum Deus. Hoc uno semper frui licebit, cæteris non nisi raptim, dum vixeris uti.

§. XIV.

Vide itaque, quàm nulla sit fides habenda his Furiis, quæ sorores se tuas mentiuntur. Fœda voluptatum & opum avara cupiditas sub larva delitescunt. Ad prodigam peculii sparsionem invitant, ut, cùm dilapidando non tibi fuerit ampliùs, quod des, sit quod aliunde vi dolóque rapias. Multa pollicentur, præstabunt nihil: utrumque thrasonibus commune: qui quod nequeunt, fingunt: rident, dum fallunt.

Fallacia mundi bona.

Quibus nemo frui potest, etsi velit.

Fruamur, inquiunt, *bonis*, *quæ ſunt*. Annon jugulant ſe ipſas? Quæ illa ſunt bona? ubi locorum? quo jure, quóve modo parta? Si creata ſunt, fluxa ſunt: ſi in mundi ambitu incluſa, parva ſunt: ſi de cælo veniunt, aliena ſunt, & commodata in bonos uſus, non donata in malos. Quæ principio & fine terminantur, atque ad menſuram temporis veniunt, ac recedunt, bona bonis eſſe poſſunt; at non diuturna: quæ arctus mundi ſinus complectitur, in parvo magna eſſe nequeunt: qui alienis utitur ut ſuis, prædator eſt. Poſſidetur, non poſſidet, qui mundi bonis ſe immergit: quæ dum amplectitur, nihil ſtringit: *quæ* enim *ſunt*, paullò antè non fuerunt, neque pòſt erunt. Dum ergo præſentis menſuram temporis non excedunt, non niſi per momentum, velut in tranſitu, tanguntur. Quomodo igitur frueris, ô mea Philothea, *bonis quæ ſunt*, ſi Deus non ſunt? Quî conquieſcet mens tua, ubi nulla quies? An ſtabis, ubi fugiunt univerſa? An gaudebis, dum ſemper perdis, quod acquiris? Finis ſine fine Deus eſt. Si hunc finem aſſecuta fueris, gaudebis, quieſces, perfrueris. Utendum cæteris, quæ Deus non ſunt, ut hunc finem conſequare. Ille *eſt*, *qui eſt*: quia per ſe ipſum, & in ſeipſo eſt: alia cuncta quæ ſunt; non ſunt, niſi quod ab ipſo ſunt. Contemne ergo *quæ ſunt*, ſed momento citiùs non erunt; complectere autem, quæ modò ſunt, erúntque ſemper.

Exod. 3. v. 14.

Caro, Orcus.

VIno pretioſo & unguentis nos impleamus. *Sapient. 2. v. 7.*

PARAPHRASIS.

Ganeonũ ſtudia.

NOn potes capere, quàm jucundum ſit ſiccare calices, & pretioſo Maſſici nimbo animam mergere anhelantem;

tem; quàm ſapidum, natare mero, & inter poculorum ſyrtes dulce naufragium pati. Sic pungentes curæ vino ſepeliendæ ſunt: ſic nubilæ mentis tempeſtates vitrearum campanarum ſonitu frangendæ. Abſit autem à noſtris menſis Nomentana vitis, aut vappa. Saporem noſtræ potionis pretium augeat. Nihil palato ſapidum, niſi quod rarum & peregrinum. Si græcandum eſt, græco more fiat, nempe largiter & pretioſè. Caput ungatur opobalſamo, lingua compluatur Falerno, ad ſaturitatem, & ultrà, dum lubet, pluat. Dandum aliquid amicitiæ, nonnihil voluptati, plurimum lætitiæ. Ad quid enim vinum? piſcibus aqua, hominibus vinum pro elemento eſt. Bibamus ergo, quamdiu liquori locus eſt. Tum denique ceſſabit manus fundere, cùm guttur capiendo non ſufficiet.

VVa eorum, uva fellis eſt, & botri amariſſimi. *Deuter. 32. v. 32.*

Amor divinus, Angelus.

EXEGESIS.

§. XV.

HEu, Philothea! manum abſtine ab hoc poculo. Fulget, at fallit. Aureus eſt calix, ſed *Babylonis, meretricis magnæ*. Plenum nectare putabis. Falleris: *plenum* dicas *abominatione, & immunditiâ fornicationis eius.* Non ſpumat vino, ſed vomitu Plutonis: non propinat dulcedinem, ſed longam affundit amaritudinem: dum te ſalutem bibere credideris, mortem hauries. Et quid aliud hi œnopolæ tibi obtrudant, quàm ſordes, venena, mortem? Si vineam, vitem, uvam noveris, mox vinum odore & colore noſces. *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ.* Hem! infanda nomina, cælo inimica, ſulphure & igne jam olim

Mundi poculum. *Apocal. 17. v. 1. & v. 4.*

Vitis, Vinea. *Deuteron. 32. v. 32.*

olim decocta, & nunc quoque ex hominum memoria penitus delenda! Maledicta terra, quam nisi maledictam; sulphuream sulphurea; fœtida fœtentem ferat vineam? Nónne vitis à solo vitium trahit? Quid igitur ex hac vinea speres, in qua nil nisi dracones, pro vitibus serpentes, pro uvis siliquæ felle & veneno turgidæ? *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile,* utique *ex uva fellis, & botris amarissimis.* Ecce ergo quàm detestandum sit hoc poculum, quàm execrabile vinum! Et ne nescias, vinea gehennæ fundus est: Dracones, Dæmones; vitis, invidia: botri, voluptatis illecebræ: color, odor, sapor carni blandiens: vinum denique multiplex ebrietatis malum, luxuriæ, rixæ, blasphemiæ: aliáque scelera, quæ cum vetita voluptate hausta, omni veneno nocentiora animæ vitam momento tollunt, nullis umquam humanis viribus revocandam. Proinde procul abjice mundi craterem; uvam tutiùs proculcabis, quàm degustes. Mihi crede: nimiùm fallax est hæc *uva:* mel spondet, sed *fel* propinat, inexplebilem epularum sitim accendit, omnem verò cælestium rerum gustum extinguit: modicam suavitatis guttam obsipat; æternam conträ in inferorum ganea infundit amaritudinem. Vides, quàm *pretiosum vinum? fel draconum*; quàm delicatum *unguentum? venenum aspidum insanabile.* Ah! nimis *pretiosum est*, quod cælo emitur, pro quo venditur anima: nimis pingue *unguentum*, quod æternas alere flammas potest.

v. 33.

§. XVI.

Venter, insatiabilis vorago.

NIsi ergo insanis, ganeam declinas, ut gehennam devites: *Vino & unguentis* te posse *impleri* credis? Quin priùs ostendunt tibi, quem impleverint? ventrem usque ad fauces cibis meróque infarciant, ut crepent; gula necdum plena erit? Si mare nectaris ingurgitando absorbeant, accendent sitim, non extinguent. Patrimonia, fundi, oppida,

pida, regna abliguriri possunt; ingluviem ventris implere nequeunt. Qui hodie satis hausisse videbitur, cras novâ siti accensus, ampliùs haurire volet. Nota sunt heluonum incendia, quò magis affundendo sopiuntur, hoc magis exardescere solita, & neque, si sepulchrali humo tecta sint, cum vita extinguenda.

Crápulæ pæna.

Luc.16. v. 24.

Tragicas divitis Epulonis voces nôsti? *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* An impletus est, dum viveret? an saltem post mortem sitire desiit? Cur ergo pendentem ab extremo digito aquæ guttulam mendicat? quámque olim nauseabat, nunc pro summo beneficio postulat? Et tamen, O longa sitis! quam abhinc 1600. & 30. annis petiit guttam, non impetravit, nec est umquam impetraturus. At, quî fieri potest, ut tam horrendè sitiat? an non *epulabatur quotidie splendidè?* an hauriendo segnis erat inter combibones, inter epulas jejunus, inter pocula abstemius, inter lautissimas invitationes siccus? Neutiquam: *Epulabatur splendidè*, potabat largiter. Pæna culpam loquitur. Ardet lingua flammis, quia natabat mero: parùm bibere jam vellet, vel guttulâ contentus; quia nimium olim hauserat, neque cyathis satur. At hic fortasse solus tam immaniter post fata sitit? Noli hæc tibi somnia fingere. Innumeros habet gehenna eiusmodi sititores: quorum ne numerum quondam augeas, gulam refræna, popinas fuge, pocula declina, æquales haustus respue, vino non secus ac pharmaco útere: sic sanitatem bibes, mentem non obrues: sedabis sitim, non nutries flammam; ad cæli epulas ibis, sulphureos Stygis calices non gustabis.

Moderatus vini usus.

§. XVII. Du-

§. XVII.

Proverb. 31. v. 4.

Temulentiæ damna.

DUra tibi sunt, ut video, hæc præcepta, sed duriora dat Regibus mandata rerum omnium gubernatrix Sapientia. *Noli Regibus, ò Lamuel, noli regibus dare vinum.* Miraris tam severam abstinentiæ legem? Causam quæris? *Uvæ fellis & botri amarissimi* multas dabunt, nunc paucas accipe, & numera. An ulla salus, ubi immoderatus vini usus? *Certè nullum secretum est, ubi regnat ebrietas*? Sed quæ potest esse securitas, quæ pax, quæ fides, quæ felicitas, ubi secretum nihil? Nonne vini copia submergit justitiam. Timet ergo non immeritò sapientia vinolentis principibus, ne *fortè obliviscantur judiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.* Nonne vinum alit libidinis æstum, suadet adulteria; verecundiam verò, honestatem, pudorem proscribit? Monet itaque Doctor Gentium: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Nonne crapula humanum genus magna ex parte delet, funera multiplicat, civitates exhaurit. Exclamat igitur Sapiens: *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Et quæso te, unde morbi, tremor, rubor? unde hebetudo, ignavia, infamia? unde egestas, rixæ, cædes? nonne à vino nimio, veluti à pessima vite, gula scilicet, *botri amarissimi*? *Cui væ, cuius patri væ: cui rixæ? cui foveæ! cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis*? Unde Noëti probrosa nuditas, geminatus Lothi incestus, tam turpis Israëlitarum apostasia, nisi ex ebrietate? Unde Amnonis cædes, Elæ Regis clades, & ruina? Holofernis interitus totiúsque exercitûs strages, nisi à poculis, à vino, à gula?

Ephes. 5. v. 18.

Eccli. 37. v. 34.

Proverb. 23 v. 29.

§. XVIII.

TU, ergo, Philothea, *ne intuearis vinum, cùm flavescit, cùm splenduerit in vitro color eius,* color aureus incautos fascinat

fascinat oculos: oculi facilè persuadent linguæ: lingua prodit mentem: palatum cordi parat insidias, liquor infusus ori caput occupat, rationem opprimit, fas júsque eliminat. In hunc modum *Ingreditur quidem blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Lethifero enim peccati veneno animam inficit, gratiæ vitam tollit, nobiliorem hominis partem, Dei nempe imaginem, quâ maximè à belluis differt, eradit, æmulúmque beatorum spirituum transformat in feram. Pro pudor! Audite cæli infame hominis ebriosi dedecus. Sciens degenerat volénsque in bestiam. Et tu, ò Magne Pater Cælitùm! hæc aspicis, & toleras? *Tu minuisti eum paullò minùs ab Angelis, gloriâ & honore coronâsti eum:* At ipse vesano vini amore, ut gulæ obtemperaret, *cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Ebrietas hominem in bestiam transformat.

Proverb. 23 v. 32.

Psal. 8. v. 6.

Ps. 48. v. 21

Quid enim hominis in homine ebrio superest? dum potu ventrem implet, Sapientiæ & consilii sedem, intellectum evertit: scientiarum artiúmque domesticam officinam claudit: fidei sacræ & profanæ aram violat: haustum de cælis lumen, quo divinas, humanásque res agnoscat; stolidè extinguit, sensus hebetat: membra omnia nervósque probroso quodam veterno opprimit, ut neque in verba vocem flectere, neque stabili pede gressum figere, nec denique socios, locum tempus, se ipsum cognoscere, Deum, hominésque cogitare possit. An non istius modi mortales idola Bacchi dixeris, ídque de illis verè pronunciaveris? *oculos habent, & non videbunt; aures habent, & non audient &c.* An non meritò apud inferos piceati crateris ignibus demerguntur, qui Rationem, Dei imaginem, vini diluvio submergunt?

Ps. 113. v. 7.

Verùm, non nescio, sitis urget alios, alios trahit voluptas. Vino vitibúsque carere nequeunt mortales, quis ambigat? At modicum prodest, nocet multum. Sitim levare

re fas est, ventri sacrificare nefas. Ne sitias, non est oppidò laborandum: sed ne malè sitias. Siccas rigare fauces quovis liquore pronum est: arentem saturare animam ut operosum, ita pernecessarium est. Huic siti ut occurras, suadeo: Aliâ verò de vinea petenda vitis: aliud quærendum vinum, innoxii & absque scelere fecundi calices.

Christus. EGo sum vitis vera. *Ioan. 15. v. 1.* Si quis sitit, veniat ad me. *Ioan. 7. v. 37.* *En*? calix meus inebrians, quàm præclarus est! *Psal. 22. v. 5.*

EXEGESIS.

§. XIX.

Vitis vera. Christus.

ECce tibi, Philothea, vitem generosi vini feracissimam! ecce calicem divino plenum nectare! Me aspice, & vitem vides: cor meum intuere, & calicem spectas. Quid subrides? an fidem negas Veritati? *Ego sum vitis.* His oculis tu quidem hominem cernis, sed mentis acie, si vis, vitem aspicis: non quæ ex informi trunco sit nata, sed divinâ stirpe pullulaverit: non inutile fabris lignum, sed jucunda Superis planta: non è terræ gremio progressa, sed virgineo sinu enata; quæ non humi depacta terrenum succum bibit, sed radice in cælo defixa cælestem trahit liquorem. *Vitis* ergo *vera*, non silvestris: *vera* non infecunda: *vera* non exarescens: *vera*, sed divina, semper florida, semper palmitibus & uvis gravida.

Christi palmites.

An nescis meos esse palmites, quotquot sunt animæ fideles? uvas cælesti mensâ dignissimas hominum rectè facta? vinum denique præstantissimum, mentis sibi benè consciæ hilaritátem, & æterna beatitatis gaudia? Inter hos palmites,

mites, te quoque, mea Philothea, accenseo, & pretioso gratiæ succo te nutrio, quamdiu lethifera peccati falce non fueris recisa. Tu ergo ad me accede, ex divina manu sitim extingue, meum prehende calicem. Neque tu sola, sed *si quis* etiam alius *sitit*, & ipse *veniat ad me*, ex meo bibat pectore; faxo ut sobria ebrietate semper bibat, numquam fastidiat: semper sitiat, numquam arescat: semper satur, semper anhelus, sitiendo fruens, gaudendo & fruendo sitiens; quia meum hauriet cruorem, meam gratiam, meam doctrinam, mores, Spiritum, & ipsam cum Spiritu bibet divinitatem.

Christi calix.

Vinum.

Præclarus sanè *calix*, omni auro gemmísque pretiosior; cor Dei hominis: *inebrians* mentem deliciis, dum animam implet solatiis, ut quisquis ex illo hauserit, non inveniat ultrà, quod desideret; quia in me uno invénit omnia, quæ mens creata exoptare queat. Felix ebrietas, quæ mentem terrenis eripit, cælestibus transmittit.

§. XX.

QUid hæres, Philothea? quid moramini mortales? quin advolatis ad me? *Ego sum vitis*, non de suburbanis Gomorrhæ, sed *de vineis Engaddi*, amœnissimá felicitatis regione. Ecce! cúm Deus essem, homo factus sum, ut *ego vitis* esse possem, *vos palmites*. Vestrâ causâ ligatus fui, non molli vimine, sed duris funibus & catenis: non ad viridem ulmum, sed infame crucis lignum: non leniter inflexus, sed brachiis pedibúsque immaniter distractus: non miti cultro putatus, sed ferreis clavis & crudeli lancea perfossus: non spoliatus foliis, sed exutus vestibus: & humanâ denique formâ per summam crudelitatem impiè privatus, ut vos succo gratiæ divinæ animarem, cælesti potarem nectare, vestrámque sitim restinguerem. Ad me igitur *Venite, emite absque argento & absque ulla commutatione vinum & lac.* Mihi

Christus patiens. Vitis admiranda. *Cant. 1. v. 14. Ioan. 15. v. 5*

Isaia 55. v. 1.

hi quidem magno ſtetit, quod vobis propino cruoris mei vinum; vos autem gratis bibetis: Ego amarum exhauſi paſſionis calicem; vobis dulciſſimum appono poculum. Ego calcatus, ut uva, nectar è cordis meditullio expreſſum offero: vos piis faucibus infuſum avido cordis ſinu excipite: uberes ego lacrymas profudi, ut arida hominum corda rigarem; vos dulces Chriſti lacrymas & quidem ſanguineas læti bibite. Adhuc dubitatis? Ergóne plus poſſit ſanguis feræ? qui lambentes aquilæ pullos ad amorem prædæ accendit, quàm apud homines cruor Salvatoris? plus valeat purpureus mori ſuccus, qui elephantos ad prælia inflammat, quàm apud ſervos pretioſus Domini ſanguis, pro ipſiſmet mancipiis amore nimio profuſus? Inhumanum eſt humanum fundere cruorem; ſed divina res eſt; divinum potare ſanguinem, vini accidentibus occultatum. Deus fit, qui Deum bibit. Non ergo ſitiet; quia omnem mentis aridæ ſitim exhauriet ſolus, qui eſt omnia. Quidquid enim boni quisquam ſitiat, in Deo totum ſanctè prodigus abliguriet, quémque mille mundi implere nequeunt, unus mundi Conditor ſatiabit.

Pretioſus Chriſti Sanguis, vinum.

Veniat itaque *ad me* gratiæ fontem, qui ſitit gratiam: *ad me* Oceanum dulcedinis, qui voluptates ſequitur: *ad me* honoris & gloriæ Dominum, qui gloriam ambit: *ad me* compendium felicitatis, quem premit infelicitas: *ad me* divitiarum abyſſum, quem cruciat paupertas: *ad me* denique ſalutis portum, quem ulla jactat calamitas. *Calix meus* tam *præclarus eſt*, ut omnia complexus, omnibus abundè ſatis faciat, uno hauſtu omnem eximat ſitim, dum pro vino propinat Deum.

§. XXI.

Pſalm. 103 *v.* 15.

QUid hoc *vino* potentius? *in quo* æterna hauritur *veritas*: quid hoc liquore gratius? qui *lætificat cor hominis*: quid

quid hoc poculo sapidius? quod ipsa *miscuit sapientia*: quid purius hoc *vino?* quod natum vite virgine, terrâ virgineâ, vinitore Deo *germinat virgines*: quid pulchrius uvâ *candidâ & rubicundâ, electâ ex* multis *millibus?* quid jucundius, quid gloriosius, quid tandem optabilius hoc *calice?* qui fideles, & cælestia sitientes animos *de torrente voluptatis* divinæ *potabit*, idque non parcè, sed *inebriabit ab ubertate Domûs Dei*. Delibavit pauculas ex hoc calice guttas Rex citharœdus; & mox mundi pocula fastidiendo, exclamavit. *Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?* quid pauculis hisce verbis aliud dixit, quàm: Non mihi offerat terra totius orbis gazas, non regiæ mensæ lautitias propinet, non sceptra & coronas ingerat: non ista sitim levant; major est cordis sinus, quàm ut his crepundiis expleatur. Etsi mihi cælũ suis blandiatur deliciis, sidera substernat plantis, solis affundat radios pro veste, capiti empyream nectat coronam, choraulas submittat Angelos, æternos polliceatur annos, ambrosias ministret dapes, sine te, Deus, non satiat mentem; manebo vacuus, & miserabilis sititor. Tu unus sine omnibus mihi sufficis; quia solus es omnia. *Quemadmodum* ergo *desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Ita ille. Hunc Philothea sequere, & Regem & Sapientem. Si sapis, hîc bibes; si desipis, bibendo sapies.

Proverb. 9. v. 5. *Zachar. 9. v. 17.* *Cant. 5. v. 10.* *Psal. 35. v. 9.* *Psalm. 72. v. 25.* *Psal 41. v. 1*

COronemus nos rosis antequam marcescant: ubique relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. *Sap. 2. v. 8. & 9.*

Mundus. Caro, Orcus.

PARAPHRASIS.

INvitant nos florida hortorum gaudia, collium theatra, camporum æquora: quin imus, Philothea, & adspirantibus

Juventutis cura, Bacchanalia vivere.

tibus Etesiis delicias veris sectamur? violas & lilia carpimus? manus, aurésque floribus stipamus? caput odorifero rosarum serto incingimus? Ita floridam decet juventam. Serena fronte & ridenti vultu incedere, jocari, cachinari; gestire nos oportet, & inter lætas fidium, vocúmque cantus, inter tripudia & plausus hilaritati meliores vitæ annos consecrare. Morosis senibus linquamus curas, & tædia. Præsentis diei fruamur usurâ, de crastino parùm soliciti, quia incerti. Viden' ut flosculi exeunte marcescant vere? ut æstate decoquantur herbæ, auctumno poma decidant, & hieme appetente folia quoque defluant? quod quisque non maturè légit, perdidit: sic nostrum est, quod involamus in juventute, quod oculis & ori, dum sani sumus, indulgemus, quod corporis animíque voluptatibus occupamus, dum vivimus. Post fata quid futurum sit, tempus dabit. Beatè vivamus, dum licet: ita felices, si non erimus, saltem fuimus.

Præsentia amare, futura negligere.

Angeli, Christus.

FLores apparuerunt in terra nostra. *Cant. 2. v. 12.*

EXEGESIS.

§. XXII.

Misera mundi beatitas.

O Misera beatitudo, quæ fugaci florum pede nititur! ô infelix felicitas, quæ cum rosis flaccescit! Quid tibi videtur Philothea? An ulla esse potest sincera in lacrymarum valle lætitia? in amarissimis pelagi aquis dulcedo? inter insultantes fluctus & jactationem requies? quomodo ergo lætitiæ signa relinquent isti, ubi nulla est lætitia? Insaniunt, qui liquida sibi à mundo gaudia pollicentur. Flores quære, non in sterili deserto, sed in paradiso. *Terra nostra* florum est ferax, sed supra caput est. Ea quæ sub pedibus

dibus eſt, *maledicta eſt, ſpinas & tribulos germinat:* quos hodie oſtendit floſculos, craſtina luce marcentes ſepelit. At terræ noſtræ floſculi nullas timent hiemes, non flacceſcunt ad ſolis ignes, ſemper vernanti coma caput hilares coronant; ſcilicet æternitatis ſucco madidi. At non videntur, inquis. Eò tu nobiliores eſſe cogita, quò minùs ſunt conſpicui. Si corporeis oculis adſpectabiles eſſent, vel bos illos aſpiceret. Quæ pretioſa ſunt, plerumque latent. Semper ſunt, non ſemper apparent. Animus ſe ipſum dum inſpicit, ſi purus eſt, paradiſum videt: *hortum voluptatis, quem plantavit Dominus Deus* aſpicit. Sed & Angeli vident; quin & perſæpe homines pulcherrimam florum cæleſtium ſcenam ex anima ſancta emicare vident. Et tibi, niſi cæca es, quoties *flores apparuerunt* in caſtis mentibus? quoties in Sanctis, in Sanctiſſimorum Regina Virgine, & me Virginea prole cæleſtes roſeti ac lilieti divitias ſpectâſti? Vel nunc mentis oculos pande, & mirabilem videbis florem, inque uno flore totam paradiſi elegantiam. Hic unus ſufficiet in coronam.

Gen. 3. v. 17 18.

Geneſ. 2. v. 8

EGo flos campi, & lilium convallium. *Cant. 2 v. 1.* Ego ſum via, veritas & vita. *Ioan. 14. v. 6.*

EXEGESIS.

§. XXIII.

MItte caducos flores, Philothea. Me accipe & florebis. *Ego* ſum *flos*, ſed divinus: *flos de radice Ieſſe*, ſed æternus: *flos campi*, ſed cæleſtis. Multiplex humanitatis meæ excellentia mihi pro foliis eſt, pro candore puritas, pro purpura ſanguis, pro odore ſanctitas: bonitas teneritudinem, virtutem omnipotentia, divinitas vitalem ſuccum impertit.

Flos florũ, Chriſtus.

Iſaiæ 11. v. 1

Si

Psal. 49. v. 11.

Si alios desideras flores, & illos in me habebis. Omnis *pulchritudo agri mecum est.* Ubi ego, ibi paradisus, nemini clausus, semper apertus: quem nec serpens periculosum, nec Angeli romphæa facit inaccessum. Ut scilicet *Ego* sim *flos campi*, non horti, non sepe, non muris inclusus, sed omnium votis manibúsque expositus: de quo quisque quod velit, decerpat, totum omnes abripiant, omnibus ex integro suffecturum; quia omnium florum præstantiam unus complector. Præ cæteris autem sæpius lilii formam induo, quia niveum casti pectoris candorem amo, cupióque dici *lilium convallium*, castarum, sed humilium sponsus & corona mentium.

Christus via, veritas, vita, felicitatis compendium.

Verùm quid te multis detineo promissis? Tribus omnia verbis dicam. Beata esse vis? Ecce me. *Via veritas, vita ego sum.* Ad beatitudinem properas? sine *via* non pervenies, sine *veritate* non agnosces, sine *vita* non fruéris. Ad Deum tendere, est beatum esse in terris: Deum, uti est, videre, videndo gaudere, gaudendo vivere, est beatum esse in cælis. *Ego sum via*, sed brevis, ne deficias: secura, ne pereas: directa, ne aberres; jucunda, ne desperes. *Ego sum veritas*, sed prima, ut me audias: increata, ut credas; divina, ut diligas; æterna, ut firmiter adhærescas. *Ego sum vita* non fluxa, sed mortis nescia: non tempore circumscripta, sed æternitatis ulnis dimensa: non laboriosa, sed quieta; nullis obnoxia malis, sed cælestibus bonis redundans. Me igitur sequere, & *viâ* regiâ perges: mihi crede, & *veritatem* perspicies: me ama & *vitam* tenebis nullis sæculis finiendam. Et tu adhuc mundi coronas, rosas, gaudia suspiras?

§. XXIV.

Stulta mundi lætitia.

NOn adverteris, Philothea, præposterum insanientis Mundi consilium? palpabiles astutæ Carnis dolos non tangis?

gis? Coronari volunt, antequam vincant. Non est hîc triumphandi locus, sed pugnandi. Turpe est invadere coronam ante certamen. *Coronemus, nos*, inquiunt. Quis autem nisi arroganter amens seipsum coronat? quis nisi puer aut puella *rosis*? Et quàm flaccida, quámque fallax est hæc gloria seu voluptas, coronare se rosis? An non tota hæc pompa puerilis & scenica paullò pòst marcescet in manibus, arescet cum sertis, & fimeto cedet cum floribus?

Hortorũ pericula.

Ad hortos te pelliciunt. At moneo; ne nimiùm fide hortis. Ignoras ex horto ejectos esse primos parentes, quòd in horto deliquerint? Nuspiam minùs securè degit innocentia. Latet anguis in herba, sub rosis spina. O quot Adolescentes inter flores perdidere florem, in hortis circumventi insidiis, quas domi eluserant? Quot in illis illecebræ, tot laquei: quò libertas maior, eò minor providentia: quò plures virtutis hostes, hòc certior clades imminet. Quod non possunt horti, id faciunt hortorum nymphæ, voluptates,

Innocens pulchritudo. Christi venustas.

Si tanta est florum gratia, camporum amœnitas, montium colliúmque voluptas; quæ tamen cum auctumno evanescit: quantam opinaris esse paradisi venustatem & deliciarum copiam, quæ servit æternitati? si tam eleganter flosculis terra pingitur, reorum carcer; quàm mirificè fulgebit stellata cæli regia, beatorum aula? si tam potenter trahit hortorum illecebra; cur non potentiùs rapiat pulcherrimi Conditoris divina prorsus elegantia? Quod possunt lutosi colles, non possit is, qui est *desiderium collium æternorum*, ideo Nazarenus, quia totus floridus? an fortè ulla deesse potest venustatis gratia illi, qui *lilia sic vestit*, ut nec *Salomon* quidem *in omni gloria sua coopertus sit, sicut unum ex istis*? An illustrius pulchriúsque aliquid cogitari potest Virginis filio, æterni Numinis nato, qui est *candor lucis æternæ, speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius*? Quisquis

Genes. 49. *v.* 26.

Sap. 7. *v.* 26

Matth, 6. *v.* 29.

quis ergo sectatur flores, veros sectetur: ut omnes in uno capiat, IESUM stringat. Hic, hic floridam facit dudum emortuam hominis senectam. Absque hoc non est florida juventus, sed deflorata.

§. XXV.

Homo, flos caducus.

ASpice vernantem juvenem: florem videre te credes. Calet sanguis in venis, rubet in genis purpura, splendet ebur in fronte, micant oculi, rident labia, cor salit, gestiunt pedes. Florem putas? Fœnum rectiùs dices, quippe mox in mortis incumbet falcem, quia caro est. *Omnis caro fœnum, & quasi flos agri omnis gloria eius: exsiccatum est fœnum, & aruit flos:* defluxit, evanuit, fuit. At, nónne ludibrium est sic florere? Nónne juveniles annos virésque luxu proterere insania? in fluxis voluptatibus lætitiam quærere, est aquam cribro haurire?

Isaiæ 40. v. 6.

Fallax mundi lætitia.

Umbra est lætitiæ, non lætitia: pœna, dolor, luctus, ubi mens malè sibi conscia jure timet: non est vigor animi, ubi torpor Spiritûs: non secura quies, ubi mors inhæret tergori, ubi actor, & carnifex dæmon utrumque latus stipat, ante oculos hiant inferi, supra caput justi Judicis vindex gladius impendet. Fallunt ergo, Philothea, fallunt, qui, ut in omne scelus te præcipitem agant, nescio quæ tibi gaudia spondent. Illices sunt, & impulsores, sed ad hamum & retia: faberrimi fabri, sed fraudum & calamitatis: præsultores egregii, sed ad orcum, à choreis ad carceres, à risu ad luctum, ab epulis ad famem, à voluptatibus ad æternos cruciatus. Ita habet oraculum: *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, ut serviamus ei? & quid nobis prodest, si oraverimus illum?* Vides quàm graphicè depingat hos lurcones? quod non dicunt

Iob. 21. v. 12. v. 13. v. 14. v. 15.

dicunt verbis, mente gerunt & factis exprimunt, ideóque *in puncto ad inferna descendunt.* Eant nunc ipsi & morosis senibus relinquant curas; tu salutis gere curam tuæ: quam qui non curat juvenis, senex perdit incurius. Pergant illi immergere sese præsentis vitæ commodis, futuræ obliviosi; tu futura prospice, præsentia contemne; hæc enim momento durant, illa perennant. Quæ hodiè neglexeris parare bona, cras licebit deflere, non reparare. Non meretur diem crastinum, qui malè combussit hodiernum. Delirent ipsi, & se in sordibus glorientur felices saltem fuisse: tu nullam puta felicitatem, quæ fuisse dicenda est. Nemo felix, quem non jussit æternitas felicem. Turpe infelicitatis genus est, felicem fuisse, cùm semper esse licuit.

Maturè ineunda cæli via.

§. XXVI.

ME igitur audi, chara Philothea, in meas transi partes. Quidquid illi pollicentur, dare nequeunt; ego cumulatè præstabo, qui sum & possum omnia. Ego te coronabo non rosis, sed stellis: ego in hortos transferam, non Assyrios, sed Empyreos: ego choreis inseram, non mortalium, sed Angelorum: ego deliciis accumulabo, non transituris, sed perennibus: ego denique inducam in partem & possessionem, non terræ civium, sed in partem *sortis Sanctorum: in spem gloriæ filiorum Dei. Illorum autem pars erit in stagno ardenti, igne & sulphure, quod est mors secunda*, numquam moritura. Quid enim? annon dignus est inferis, cui cælum non sufficit? indignus Deo, qui Deum non æstimat?

Grandia Christi promissa & certa.

Coloss. 1. *v.* 12. *Rom.* 5. *v.* 2 *Apocal.* 21. *v.* 8.

Philothea.

VAdam & affluam deliciis & fruar bonis. *Eccles. 2. v. 1.* Hoc enim mihi videtur bonum, ut comedat quis, & bibat, & fruatur lætitiâ numero dierum vitæ suæ. *Eccles. 5. v. 17.*

PARAPHRASIS.

Consilium juvenis inconsulti.

SUrdo fabulam canis; facesse: molestus es orator. Jam decretum est. Ad quid oculi, aures, os, nisi ut pascantur? ad quid vina, dapes, horti, ludi, fides, plectra, nisi ut demulceant? Cur datæ opes, vires, forma, tempus, deliciæ, bona, nisi ut fruar? Si dum vivo non comedo & bibo, profectò mortua jejunabo. Stat sententia. Vitam læta transigam. Sat maturè veniet luctus, si cum morte veniat. Tu vale: at vos salvete. Ducite quo lubentia est: lubentem ducitis.

SCENA

SCENA III.

DVo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. *Ierem.* 2. *v.* 13.

Chriſtus.

EXEGESIS.

§. I.

Senſuum delicias ſectari, turpe eſt & periculoſum.

INfelix, Philothea, quò ruis? *Vadam* inquis, *& affluam deliciis, & fruar bonis.* Ergóne delicias quæris; inter ſpinas, bona ſperas à malis? *Vadam* ais; at quò? non vides præcipitium? non advertis te feſtinare ad barathrum? Cur mecum non manes? quem deſerùiſſe, periiſſe eſt? apud quem nemini poteſt eſſe malè: ſine quo nemo bonus, nihil uſpiam boni. *Tibi* quidem *videtur bonum, ut comedat quis & bibat.* Sed pudeat iſta vel cogitare. An nihil ſupra belluam ſapis? an aliter ac tu, pecudes, ſi poſſent, loquerentur? Maiora tibi parata ſunt bona, quibus gaudent Angeli, & tu cum porcis inter glandes & ſiliquas heluari geſtis? nimirum *ut fruaris lætitiâ omnibus diebus vitæ tuæ.* Sed quam tu lætitiam ſomnias offenſo & minitante pœnas Numine, conſcientiâ ſcelerum tuam protervium morſibus acerbis arguente? Et quot futuros putas eos *omnes dies vitæ tuæ?* an unum unicum ſpondere tibi potes? In mea manu ſunt: ego do, ego aufero: me jubente citatis advolat quadrigis horula, quæ

diem claudit, & facit persæpe etiam ex primo ultimum. Sed age, fruaris quali quali lætitiæ umbrâ *omnibus diebus vitæ tuæ*; de æternitate quid censes? an ullam esse credis? certè nemo dubitat, nisi qui cum fide & rationem perdidit. Ergo tu sola ibis à deliciis pecudum ad gaudia Beatarum mentium? tu sola pro sceleribus mercedis loco gloriam capies cælestem? An verò meritas dabis pænas apud inferos, & quidem pro pauculis *diebus vitæ tuæ* annis æternis numquam finiendis, semper omnibus caritura bonis, omnibus plectenda malis, gemino scilicet digna supplicio, utroque tamen æterno?

§. II.

Gemina peccati malitia.

DVo nempe *mala* perpetras, quoties peccas, ut olim *populus meus*, an non meus dicam, nescio. Ille à me defecit, ad idola transiit: tu à me profugis, ad Luciferi castra turpi transfugio deflectis. Scelus est, Dominum deserere; crimen, ad hostem se transferre, in meam utrumque injuriam, cladem verò tuam. Duplex quoque impietas, à Deo se avertere, ad res fluxas converti. Illud mihi contumeliosum, non tamen noxium; sed & hoc, & illud tam pudendum tibi, quàm perniciosum. Quæ enim major excogitari potest amentia, quæ gravior calamitas, quàm beatitati inhiare, sicut viator siticulosus *aquæ vivæ*, sed *fontem derelinquere*, & perfluas *fodere cisternas*?

Res omnes terrenæ sunt cisternæ dissipatæ.

Quidquid in rebus creatis terrenam voluptatulam sitienti animæ propinat, *cisterna* est: quæ pluviam collegit aquam, plerumque sordidam, nec sine labore hauriendam: sed parcè vel hanc ipsam ministrat; quia *dissipata*, & rimis plurimis fatiscens, quod supernè cæpit, infernè & à lateribus perdit bonum, & cum boni gustu omnem voluptatis copiam. Vinum dum influit, effluit: esca dum sumitur, consumitur: odor dum auram penetrat, in auras abit: Jucunda

cundâ colloquia, peregrinarum rerum narraticunculæ, concentus musici, volucrum garritus, dum aures pulsant, transeunt. Opes accendunt habendi sitim, non sopiunt: deserunt inhiantem, Dominos insperatò mutant, momento citiùs disparent. Honores sequentem fugiunt, alieno arbitrio veniunt, & recedunt. Risus, ludi, joci, velut in scena comparent, & luctuosâ catastrophe, dum plaudunt, etiam explodunt. Et tu properes eiusmodi *cisternas dissipatas* fodere? tanto studio & labore, tantis impensis & sudoribus res caducas sectari gaudeas? dies noctésque irrequieta te fatiges, ut ex fluxis terræ bonis modicas voluptatis guttulas mendicatò & raptim delibes? quando satiabere? quomodo desideria tua explebis, dum semper hauriendo hauries nihil? Quid enim haurias ex *cisternis dissipatis*? Aquam fortè? sed neque hanc, quia *continere non volent aquas*. Quidquid tandem moliaris, quidquid excogites, ut hæc terræ gaudia durent, nihil efficies: non *valent continere aquas*, etsi ringaris. *Dissipatæ* sunt, rimas agunt hæ *cisternæ*. Rimosas facit Tempus, & fortuiti casus; dissipat fragilis naturæ conditio, hominum invidia, doli, cupiditas: tandem dissipatrix inexorabilis, amara mors, & justa Numinis sententia, nihil sinit esse diuturnum, quod est mortale & terrenum.

§. III.

Solus Deus, fons veræ lætitiæ indeficiens.

QUi ergo fieri potest, ô Philothea, ut ad has *cisternas* provoles, & *fontem aquæ vivæ derelinquas*? Me, inquam, *fontem* lætitiæ & suavitatis, pacis & abundantiæ, lucis & gratiæ, salutis & vitæ, gloriæ & beatitudinis æternæ deseras? Me *fontem* non clausum, sed apertum: non parcum, sed prodigum: purum, non sordidum: dulcem, non amarum: inexhaustum, non siccitati obnoxium: obvium, non inaccessum: non temporaneum, sed perrennem: non terrenum,

renum, ſed cæleſtem & divinum? *fontem?* ſcilicet, imò fluvium, mare, Oceanum omnis boni immenſum? An non meritò æternâ ſiti plectitur, quisquis hunc *fontem* deſerit? jure ſulphureas inferorum bibit fæces, quisquis divinas cæli *aquas* faſtidiosè negligit & contemnit?

Provident. Angel. Cuſtos.

SEquitur quaſi bos ductus ad victimam. *Proverb. 7. v. 22.* Et quaſi columba ſeducta, & non habens cor. *Oſeæ 7. v. 11.* Ignorans, quòd de periculo animæ illius agitur. *Proverb. 7. v. 23.*

EXEGESIS.

§. IV.

Peccator bove ſtupidior.

MAgne cæli terræque moderator! juſtas fundis querelas, meritò vindictam meditaris. Sed non neſcis, quod facit Philothea, faſcinatæ mentis eſſe delirium, commiſeratione dignum. Cæco fertur impetu, quò ruat neſcia. Mentem eripuit blandientis Mundi illecebroſa pellacia. Certè *ſequitur quaſi bos* ad præſepe & ſaginam, ut ventrem impleat; ad campos & prata, ut laſciviat: quem ſequatur, quò fine, quibus conſtricta vinculis, turbato animi ſtatu non advertit: ligatis oculis non videt. *Sequitur* anteambulones peſſimos; quia credit bonos: Mundum, Carnem, Dæmonem ex inferis victimarios, popas, laniones. Ad paſtum ire ſe putat, ad triclinium, ut ventri ſacrificet: non ad macellum, ad ſecurim, ad necem, ut ipſa orço cadat hoſtia: ſuâ ſponte incedere quô lubet, ſibi fingit, ſed illaqueata, & catenatis implexa tenetur cupiditatibus, amore, deſiderio, ſpe, audaciâ, conſuetudine peccandi. His abripitur *quaſi bos ductus ad victimam.*

Ote

O te miseram & infelicem Philotheam! cur vincula non rumpis? cur te in libertatem non asseris? non pudet esse captivam, & veluti ream duci? Bos etiam, cùm se irretitum sentit, cùm macellum aspicit, totus exhorrescit, fugam molitur: tu hilaris & exultans ad interitum properas? securim jugulo imminentem non expavescis? ergóne stupido bove hebetior, minùs quàm pecudes advertis damna in tuum caput ruitura? non persentiscis cladem, quæ te exspectat?

§. V.

Columba excors & seducta.

NImirum dementata es: rationem evertit furor, furorem concitavit gustata sensuum illecebra: sed decepta es, *sicut columba seducta, & non habens cor.* Vides columbam innocentem, candidam, ex nidulo progressam? Hæc columbarium, in quo tuta degit, & ab hero pascitur, dum otiosa obambulat, angustum sibi carcerem putat. Ergo egreditur, circumspicit, serenum videt cælum, volucres in aëre remigantibus alis huc illúcque errabundas ferri. Et mihi sunt alæ, inquit, non gratis appensæ. Quid moror? cur non & ego vires meas experior, fortunam tento? artem, quam natura docuit, exerceo? quid prohibet, quò minùs in libertatem ipsa me vindicem? Ita volat, socias invenit balsamo inunctas, pingues, & variis per aëra gyris lusitantes, modò hîc, modò illic frumenti grana rostello pedibúsque anxiè clepentes: his sese adjungit, has sequitur, cum his incauta vorat, bibit, ludit; nec interim pensi habet aucupis sagittas & laqueos, milui ungues & rostrum, donec alterutri præda fiat. An non *seducta est, & non habens cor?* mentis inops & improvida, vecors & stolida, sine consilio, ratione, cura, sensu? Sed ignoscimus; columba est, & caret boni malíque judicio: naturâ rapitur, non regitur intellectu, qui cor est animæ.

At

At verò tu Philothea, quam ſupremus omnium Dominus charam vocat *columbam*, ambit ſponſam, ſuo ſanguine in ſacro fonte dealbatam, pectore ceu columbario, & ſuaviſſimo ſui cordis nidulo fovet & tuetur, angelicâ dape ſacratiſſimi corporis paſcit, & in deliciis habet; tu, inquam, *ſeducta* cum corvis inter cadavera volites? odore fugaciſſimo paſcaris, nidum tuum deſeras, inferni inſidiatoris pedicas, cupidinis ſagittas, mundi laqueos non obſerves? ſine judicio, providentia, & ſolicitæ mentis vigilantia, in præceps eas amens, *& non habens cor?* hoc enimverò & dolendum & mirandum eſt.

§. VI.

Qui mente recta caret, corde caret.

HAbes equidem illam in pectore teneram carnis particulam, quæ, principium vitæ & motûs, *cor* dicitur, quia vivis & movéris: at habes cor excors; quia non habes cor cordis, hoc eſt, mentem. Hanc, etſi tuam dicas, non habes; habent illi, quos amas. Ubi amor, ibi cor, ibi mens, ibi cura, ibi cogitatio, deſiderium: ibi gaudium, voluptas: ibi memoria, ſenſus, imaginatio, tota denique anima. Cor ergo tuum jam Mundus, Caro, Orcus habet; tu non habes: mens tua, amor, ſtudium, anima, cor in patinis & poculis in chartis & teſſeris, in ludis & jocis habitat: in luxu & deliciis jacet: voluptate captum, fraudibus irretitum, infernalibus conſtrictum laqueis hoſti peſſimo, aucupi ſævo, Tyranno crudeli, inferorum Principi in prædam ceſſit. Sed cave! qui regiam occupat: urbem cepit: qui cor in poteſtate habet, totam ſibi *animam* vendicat. Ergo de *anima* res eſt, non de nihilo. Quod maius periculum creari poteſt homini, quàm cùm *de periculo animæ illius agitur?* quid enim? incurrat diſcrimen fortunarum, honoris, famæ, vitæ; quid damni ſentiet, ſi anima in tuto ſit? quid verò Cræſi opes proderunt? quid faſces & imperia, quid gloriâ & triumphi,

Animæ pericula omnium graviſſima

phi, quid denique mille mundi juvabunt, si anima naufragio pereat? si à Deo relicta, Cælitibus exosa, omni gratiæ ornatu exuta, detestandis sordibus fœdata, lethiferis sauciata plagis, æternis mancipata ignibus, Deo mortua, in pœnas semper viva, tormentis crucietur numquam finiendis? O terrificum & lamentabile *periculum animæ*, quod summam atque ultimam secum trahit calamitatem!

Sed *ignorans* in laqueos te induisti. Rectiùs diceres incauta, temeraria, stupida, contemptrix. Quis enim sine scelere & ignominia nescit, quod nemo non scit, quod fides docet, suadet ratio, pulpita sacra declamant, exempla testificantur, Angelus monet, conscientia occlamando manifestat? Non dicitur ignorare, qui vult nescire: uti non est cæcus, qui oculos claudit. Occupat quandoque mentem caligo, sed eam detergit, qui non amat desipere: sicut statim pulverem ab oculis arcet, qui exoculari timet. Amat periculum, qui fugere dum potest, negligit: & prudens labitur, qui periculum imprudens contemnit. *Qui* verò *amat rem periculosam, amat periculum, & in illo peribit.* *Eccles. 3. v. 27.*

§. VII.

UNde vel hinc disce, Philothea, quàm propè absis ab interitu. Ea deperis, quibus nihil est periculosius. Anguem sinu foves. Quid enim aliud juveni libertas? effreni, voluptas? flexili prava societas? segni otium? furenti arma? ambitioni culmen? luxui pecuniæ? vir mulieri? mulier viro? Quid epulæ & choreæ? chartæ & aleæ? pocula & pateræ? theatra & spectacula? risus & joci? verba impia, & lascivia? imagines procaces & obscœnæ? libri faceti & amatorii? Quid exquisitus nitor in vestibus? delicata mollitudo in lectis? cupediæ exundantes in mensis? annulati scorpii in capillis? pigmenta in genis? fragrantia in chirothecis? plumati apices in pileis? aurum & argentum *Et passim plurima.*

in turgidis marſupiis? Peſtifera ſunt toxica, quæ etiam viſa, audita, tacta, nedum hauſta, necant; dum pietatem extinguunt, honeſtatem oppugnant, timorem Numinis expellunt, in ſcelus ex ſcelere proturbant.

Itaque ſic habe, Philothea. Ubicumque patrandi ſceleris offertur occaſio, *ibi de periculo animæ agitur*: actum eſt de anima, cùm perpetratum eſt ſcelus. Et tu tam parvi facias animæ periculum, ut *ignores*, neque proſpicere cures? aut, ſi videris, ſpernas? Siccine *perdis animam tuam in furore tuo?* An fortè duas tu ſola habes animas, ut unâ perditâ, ex altera ſalutem ſperes? an fortaſſis in poteſtate habes, novam tibi animam fingere, quam perditæ ſubſtituas? An animam, & te cum anima peſſum ire tibi pro ludo eſt?

Iob. 18, v. 4.

§. VIII.

Animæ præſtantia.

SEd quid putas eſſe animam hominis ratione præditam? ſi neſcis, Spiritus eſt anima, mens immortalis & corruptionis expers, beatorum Spirituum æmula, libertate arbitrii prædita, divinarum humanarúmque rerum capax, melior inferioris mundi portio, ſuperioris heres. Anima eſt Imago Numinis, delicium cæli, gratiæ gazophylacium, gloriæ ſigillum, domicilium virtutis, Spiritus Sancti templum, omnipotentiæ prodigium, ſapientiæ divinæ compendium. Gemma eſt, quam ut compararet Dei filius, ſeipſum *dedit*, & *omnia ſua* pro auctario adjecit. Theſaurus eſt, quo ut potiretur cæli Dominus, in terras deſcendit, atque ipſos tres & triginta annos deſudavit: Sponſa eſt, quam ut ſibi devinciret, Deus homo factus pretio ſui ſanguinis, vitæ animæque impendio émit. Hanc præ Angelis amat: quidquid præter animam dederis, gratum non habet; illam ſi dediſti, omnia facilè contemnit. Hanc fecit, ut bearet; tibi dedit, ut redderes. Quomodo reddes, ſi carni, mundo, Dæmoni pro exiguo lucello, pro tenui honoris aura, pro

pro brevi ac sordida voluptate vendidisti? si ergo non habes, quam reddas animam, nónne pœnam exspectas eò majorem, quò pretiosiorem, tuóque Domino chariorem gemmam alienâsti?

O ergo, mea Philothea, *serva animam tuam, & da illi honorem secundùm meritum suum. Peccantem in animam suam quis justificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam suam?* Itaque pande oculos, ut *periculum animæ, quo de agitur*, agnoscas. Si ignorare pergas, non ignorabit Deus, ut plectat ignorantem: ignorabit, ut parcat temerè peccanti. *Si quis enim ignorat, ignorabitur.*

Eccli. 10. v. 31. & 32.

1. Corinth 14. v. 38.

Amor.

VSquequo deliciis dissólveris filia vaga? *Ierem. 31. v. 22.* Vsquequo parvula diligis infantiam, & stulta, quæ sunt noxia cupies? *Proverb. 1. v. 22.* Vsquequo gravi corde? ut quid diligis vanitatem & quæris mendacium? *Psalm. 4. v. 3.*

EXEGESIS.

§. IX.

QUousque tandem *filia*, (hoc equidem dulci nomine indigna; quia *vaga*, atque à Paterno Dei sinu profuga:) filia tamen; quia ego nondum Patrem exui: quousque fluxas sequéris delicias? quamdiu vagabere per sensuum illecebras, ut aliquid fugacis voluptatulæ aucuperis? nondúmne animadvertis actum te agere, & delicias captari posse, non capi? neque enim cepisse censendus est, qui, quod cepit, mox amittit. Inter manus effluunt deliciæ: dum stringuntur, evanescunt. Nondum scilicet es satura; sed nec eris: fatigare possunt voluptates, non satiare: fastidium pá-

Deliciæ fugaces.

rere, non quietem. Itaque frustra in delicias te effundis, frustra captas, quæ dum capiuntur, capiunt, & ligando mentem, simul corpus animámque pessima dissolutione enervant. Quæ autem dissoluta sunt, jam interitum spectant.

Dissolvunt, & paralysin animæ creant. *Ierem.* 2. *v.* 20. 1. *Tim.* 5. *v.* 6.

Enimverò *deliciis* jamjam *dissolveris*, Philothea, quando amore voluptatis *rupisti vincula, dixisti: Non serviam:* quando amens excussis impiè habenis, tui juris esse, legibúsque soluta, non ex Dei nutu, sed arbitrio tuo vivere gestis. Jam ergo tibi sepulchrum paras, & vivum cadaver circumferre incipis: *Quæ enim in deliciis est, vivens mortua est*, non secus ac quæ paralysi prostrata jacet. An nescis, quæ calamitas hominem opprimat, quando frigidus & tenax humor nervorum principia tangit atque obsidet? An non mox influxu spirituum intercluso friget, rigétque corpus, sensus sopiuntur, torpent membra? an stare, vel ambulare licet? an movere manus aut brachia concessum est? quid in hoc rerum statu, etsi spiret adhuc, à mortuo differt, nisi quòd ægrè spiritum trahat? Quod autem humor est corpori, hoc deliciæ sunt animæ: nervos occupant, memoriam, intellectum, voluntatem obsident, spiritum excludunt, mentem sopiunt, gratiæ divinæ calorem extinguunt, animámque terræ affligunt. Hinc torpor fidei, spei, charitatis: hinc frigus in rebus divinis, segnities in præceptis, stupor in negotio salutis, cæcitas in periculis, durities cordis, oblivio æternitatis, calamitas æternæ mortis. Sed quid mirum, si in mortem incidat, quæ morbum amat? si quæ vix quidquam Spiritûs divini haurit, brevi exspiret? Et tu vesano *deliciarum* studio excæcata, ut crepundia fecteris, cum tanto animæ dispendio dissolveris?

§. X. Certè

§. X.

CErtè mera ſunt crepundia, quæ in deliciis habes, infantiæ delinimenta; non honeſta adultæ virtutis oblectamenta. Infantes nucibus gaudent, bullas ſectantur, in arundine obequitant, dulciaria affectant, ſomno, ludis, otio, riſu, libertate capiuntur: ſeria oderunt, pretia rerum non æſtimant, noxia præ utilibus quærunt, futura non prævident præſentibus contenti. Donemus hæc ætati: pauculi labentur anni, & nuces abjicient, cogitabunt grandia, erubeſcent pueriles ineptias, damnabunt errores. Infans eſſe quivis debet, nemo videri vult: infantiam invitus tolerat, non amat. Tu verò, Philothea, non erubeſcis, ſed *diligis*, non jam infans, ſed *ſtulta, quæ ſunt noxia, cupis*? Quid, ſunt obſecro, delicata fercula, exquiſita vina, cupediæ, & aliæ menſarum lautitiæ? dulciaria ſunt, quæ tantùm pariunt fellis, quantùm habent mellis: abliguriuntur, & pereunt. Quid magni cenſus, auri argentíque pondera? nuces ſunt, & quidem caſſa nucleo putamina; franguntur & vulnerant, ideóque nullo apud Cælites ſunt in pretio. Quid plauſus & honores, fama & nominis celebritas? bullæ ſunt; inflantur, & volant; crepant atque in auras abeunt. Quid amicorum turba, ſociorum cohortes? crepitacula ſunt: ſonant, dum manibus portas; depone, & ſilebunt. Quid veſtium luxus, lecti mollities, & quidquid porrò eſt deliciarum? Arundines ſunt: frangi faciles, perfida fulcra, fallaces appendices, quibus nemo ſapiens fidit: qui fertur, ferre debet? qui gaudet, fatigatur: qui nititur, neceſſe habet prolabi.

Animæ Infantia perniciosa.

Deliciæ mundi, crepundia.

Dic age, an non crepundia ſunt, quæ delectant, non juvant: quæ damni plurimum afferunt, ſolidæ utilitatis nihil? An fortè deliciæ ſanitatem ægro, imbecillo vires, pauperi fortunas, ſtulto ſapientiam conferre poſſunt? an ex

ignobili illustrem, ex infortunato felicem, ex malo bonum facere solent? an pericula avertunt, vitæ securitatem præstant, mortem arcent? Neutiquam, quin imò fortunas, vires, famam accidunt: felicitatem, sapientiam, virtutem eliminant: discrimina mille accersunt, mortem accelerant, animum sceleribus inquinant, Deo inimicum, superis invisum reddunt, & reum damnationis æternæ constituunt. Nónne ergo cùm hæc magni facis, nimium quantum tuo quidem vitio parvi te æstimas? quæque in oculis Dei magna esse poteras, sponte tuâ vis esse *parvula*, pusilla, contempta, vilis, abiecta? *infantiam*, quâ nulla infelicior, diligis! & *stultitiam*, quâ nulla detestabilior, sectaris? delicias *quæ sunt noxiæ*, & quibus pestulentius nihil, cupis, ampléćteris, adoras?

Sed periculosa.

§. XI.

Quia cor degravant.

SEd usquequo? quando modum, finémque impones vituperabili infantiæ, stultitiæ execrandæ? an exspectas, dum alius amentiæ simul & vitæ filum incidat? Pallida mors jam falcem acuit: divina justitia modò gladium evaginat. Ad nutum Numinis ictum facient; & absolves infantiam, simúlque meritas stultitiæ dabis pœnas. Tunc funestus erit casus: gravis, mihi crede, lapsus, è gremio misericordiæ, in manus Justitiæ. Non potest molliter cadere, quem magna moles opprimit. Ingenti gravatur sarcinâ, qui *gravi est corde*. Neque tu negabis tibi cor esse præ plumbo grave, licèt penitùs inane. Etsi enim *diligis vanitatem, & quæris mendacium*, res utique levissimas; cor tamen iis adeò gravatur, ut quò longiùs à cælo abit, eò propiùs infernum descendat. At negas, Philothea, delectari te inanitate, sectari figmenta? Convincam. Quidquid terrenum, & corpori jucundum est, umbra est, *vanitas*, nihil, *mendacium* est: fugit, perit, fallit.

Somnia,

Somnia, te lautè epulari, regiè vestiri, aureos habere montes, toti mundo imperare: ubi evigilaveris, quid habebis? nónne *vanitatem*, *mendacium*, nihil? nónne turpiter delusa, falsa, infelix eris, & misera? Sic quoque dum vivunt impii, deliciis, opibus, famâ, & id genus quisquiliis, se beatos prædicant. Nempe vigilando somniant: at mors facit, ut dormientes vigilent, videántque nihil fuisse quod in vita aliquid esse somniabant. Salomonem interroga, unum pro mille testibus futurum. *Ædificavi mihi domos*, inquit, *plantavi vineas, feci hortos & pomaria: extruxi mihi piscinas aquarum: possedi servos & ancillas: armenta & magnos ovium greges: coacervavi mihi argentum & aurum, supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalem: feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum: Et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Audis, quàm feliciter in delicias se effundat? sed somniat miser & improvidus. En vigilem. *Cúmque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.*

Fallunt ut somnia.

Eccles. 2. v. 4. & seq.

v. 11.

Quid sentis, Philothea? an meliora speras? an tu Salomone acutiùs vides? an falsum arbitraris? sensit ille his inaniis plenum *cor* oppidò *gravari*, à cælo, à recto & honesto deorsum trahi, ex scelere in scelus deprimi, terræ affligi, nec ad sublimia, ad sapientiæ arcana, ad æterna bona erigi posse. Et tu modò, si non sentis, sine sensu es; senties autem, quando jacebis *vanitatę & mendacio* depressa, sceleribus sepulta: tunc videbis, te fuisse *gravi corde*, quando apud inferos, aut proximè inferis defossa inter supplicia sudabis, ingemisces *infantiam*, *stultitiam* damnabis, & agnosces tot conscientiæ pondera, quot *mendacia* terrenarum voluptatum.

Væ,

Christus. VÆ, qui potentes estis ad bibendum vinum, & fortes ad miscendam ebrietatem! *Isaiæ 5. v. 22.* Væ, qui trahitis quasi vinculum plaustri iniquitatem! *v. 18.* Væ vobis! quoniam recessistis à me. *Oseæ 7. v. 13.*

EXEGESIS.

§. XII.

Ridiculus error. delicata fortitudo.

TUnc, mihi crede, væ tibi, væ tuis, væ malis erit omnibus! Certatis enim nunc poculis, at olim certabitis suppliciis: nunc ad æquales haustus invitatis, olim coacti piceas flammas haurietis: nunc amystide bibendum decernitis, olim sulphureo gurgite ora & guttura proluetis inviti. Nunc equidem palmas quæritis in umbra, non in pulvere: vino madidi, non sudore diffluitis: excubatis ad mensas & dolia; non ad vallum & tormenta. Hæc modò vestra est *potentia*: sic pugnare, sic vincere gloriosum ducitis. Ad convivia, ad luxum, ad crapulam, pompam, temulentiam abunde est virium, pecuniæ, temporis; robusta sunt capita, stomachi *fortes*. At verò cùm jejunandum, orandum, laborandum pro patria, anima, cælo; tunc enimverò stomachus languet, dolet caput, attrita est valetudo, magnam temporis, pecuniæ viriúmque inopiam causamini.

Ebriosorum certamina.

Egregii sanè heroes, in ganea leones, in acie lepores, ad pocula prompti, ad arma trepidi: inter dapes turgidi, ad vulnera vel visa pallidi: quibus pro sanguine vinum, pro telis pateræ, pro victrici lauro hedera est. Sed olim vos inter fungos & stipites Orci numerandos credite. Quid enim? an fortitudinem in gutture & capaci ventre potiùs, quàm in dextra & generoso pectore collocatis? At verò & equo

equo venter eſt immanis, & potus ampliſſimus. An non pudenda eſt victoria, alios priùs vino ſepelire, deinde ultimum inter combibones mentem exuere, aut titubando inter aliena brachia è ſtatione velut è lymphatorum prælio diſcedere? Imbellis hæc eſt fortitudo, pernicioſa nimis *potentia.*

Væ igitur *vobis*! ſubibitis enim profectò, niſi cavetis miſerabile in portu naufragium. Qui vino rationem obruit, peiùs mergitur, quàm qui Oceani fluctibus opprimitur: hi quidem corpus æquore ſalſo ſuffocant, & ejiciunt in littus; ille animam ignitis vorticibus ſubmergit, & ad æternitatem trajicit, omni littore deſtitutam. Si grave vobis eſt, carere mero, abſtinere poculis, gulam fraudare; næ, gravius erit, cæli nectare, *torrente voluptatis*, paradiſi deliciis æternùm excludi! Si durum, vel unico die ſiti excruciari, longè durius erit, innumeris omnino ſæculis inter flammas ſitire. Si acerbum eſt ſupplicium, abſynthio, felle, colocynthide potari; multò tamen erit acerbius, pice, ſulphure, liquati plumbi flumine ſine fine inundari. Teſtem vultis oculatum? En Zachariam vatem. Vidit ille amphoram, domeſticam ebrioſis ſupellectilem. *Et ecce mulier una ſedens in medio amphoræ:* quæ illa, niſi temulentia? *impietas* nimirum maxima, *cuius Deus venter eſt.* Sed quid illâ factum? *& projecit ultor Angelus eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius.* Ita ſcilicet, quorum animus in amphora ſedet, eorum guttur plumbum hauriet: quique calicibus gaudent, *calicem indignationis iræ & furoris Domini* bibent, non ebibent, ſupplicio tam horrendo quàm longo, quia æterno.

Pſ. 35. v. 9.

Zachar. 5. v. 7.

Philip. 3. v. 19.

Apocal. 16 v. 19.

Ierem. 25. v. 15.

§. XIII.

AT non ſola vobis gula negotium faceſſit: plura vos vitia trahunt in exitium, dum vos vitium *trahitis* ex

vitio,

Vitiorum catena.

vitio, & non contenti ſimplici nexu, vincula catenata texitis. Temeritati certè ſuperbiam, huic gulam, gulæ jungitis avaritiam; ut hæc ſubminiſtret, quod illa dilapidet. Sic avaritiæ pro appendice nectitis invidiam, huic iram, iræ crudelitatem; ut ubi propria deſunt, aliena ſuppleant, & quæ vi dolóque parta ſunt, ſerviant ebrietati. Sed neque ebrietas incomitata venit, quin ignaviam, petulantiam, libidinem accerſat: jurgia, rixas, odia adducat, illoti oris ſcommata, contumelioſa in homines verba, & blasphemas in Deum voces ſecum trahat.

Quot vitia, tot vincula.

Et non advertitis hæc eſſe tot *vincula*, quot peccata? non cernitis ex tot funiculis ſenſim fieri rudentes? tot laqueis vos irretiri, quot ſceleratis deſideriis manus datis? ubi mens, ubi ratio? quæ iſta eſt dementia? vos hæc inferni lora hilariter collo injicere; ut nimirum ſplendidè torquati incedatis? Vos captos & ſub infami jugo poſitos tunc demum liberos putare? *Væ* igitur *vobis*! quia nimiùm quantùm ſtolidè infelices eſtis, & apertis oculis cæci. *Vincula* ſunt, ne dubitate, vincula ſunt ſcelera, ab Orci lictoribus injecta: nodus plusquam Gordius prava eſt peccandi conſuetudo, quem niſi qui gladio ſecat, nemo ſolvit: deteſtabile jugum eſt miſera in malum proclivitas, voluntariâ quadam labendi neceſſitate gravis: probroſum *plauſtrum*, impietas: infernales rotæ ſunt impudentia, Dei oblivio, mentis cæcitas, & emendationis deſperatio.

Et hunc vos triumphalem Dæmonis currum cum tripudio ducitis? Vos Satanæ jugales, ceu hinnientes equi inferorum phaleras non erubeſcitis? per ſpatioſas vetitæ voluptatis vias incauti præcipitéſque ambulatis? *Væ vobis*, quia ſenſuum illecebris dementati in malis obduruiſtis. Auriga peſſimus flagella ingeminat; & toleratis atque exoſculamini: infamiam, morbos, mortem accelerat; & ridetis. Ad metam turpiſſimæ aurigationis, ad fumantes Tartari

tari portas vos urget; & ruinam non prospicitis. Triumphat sanè tyrannus, sed de vobis: felicem se credit, at vestra infelicitate: congiarium dabit, nempe ex sulphuratis congiis pœnas, & quidem sempiternas.

§. XIV.

TUnc enimverò, quod non potuit fides, docebit infelix calamitas, tantùm vos ad Orcum, quantùm ad illicitam voluptatem accessisse: tantò longiùs à Deo, quantò ad illecebras propiùs. Malè tunc erit vobis; quia me modò despicitis, mandata odistis, consilia negligitis, exempla aversamini, promissa contemnitis, minas etiam ceu bruta fulmina ridetis. Malè igitur erit vobis; quia ex eorum estis numero, qui *lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*, bonis omnibus indigni. Malè erit vobis; quia *dicitis malum bonum, & bonum malum*, stulti rerum æstimatores. Malè erit vobis; *quia dilexistis malitiam super benignitatem*, ordine naturæ perverso: quia *terra proferens spinas ac tribulos reproba est, ac maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem.*

A Deo recedere, perire est.

Proverb. 2. v. 14.
Isaiæ 5. v. 20
Psal. 51. v. 5.
Hebr. 6. v. 7.

Malè nimirum erit vobis, quia vos à bono procul. Malè, quia scilicet *recessistis, à me.* Profugistis à Domino ad tyrannum, ab amico ad hostem, à Patre ad carnificem, à luce ad tenebras, à vita ad mortem, à gloria ad pœnas. Quis autem, nisi quos *excæcavit malitia eorum*, à me recedit? quis nisi malo suo maximo summum deserit bonum? annon malè est lapidi, si extra centrum sit? non laborat? annon malè ramo, si ab arbore avulsus? non arescit? annon malè radio, si à sole præcisus? non evanescit? annon malè membro, si à corpore resectum? non putrescit? Et bene sit homini, qui à Deo recessit? vel bene habere possit, qui sapientiam deserùit, potentiam amisit, misericordiam meam impius contempsit? qui divinam pulchritudinem est aversa-

Sap. 2. v. 21

tus, divitias cæleſtes neglexit, beatitudinem ſibi oblatam ſtolidè rejecit? qui ſtultitiam mundi, infirmitatem carnis, crudelitatem Dæmonis ambivit? peccatorum ſordibus ſe involuit, certam in perituris bonis quæſivit inopiam, in pœnis perennem calamitatem ſciens volénſque ſibi comparavit? Malè ergo erit vobis, quia *egredietur ut ignis indignatio mea, & ſuccendetur & non erit qui extinguat, propter malitiam ſtudiorum veſtrorum.* Redite ergo ad me, dum licet: ne tardè redire lubeat, cùm non licebit.

Ierem. 21. v. 12.

Mundus, Caro, Orcus.

VEnite, opprimamus juſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata. *Sap. 2. v. 10 & 12.*

PARAPHRASIS.

Impiorum conſpiratio.

QUid facimus ſocii? an diutius hunc nobisogganire patimur? quouſque aures nobis obtundi ab hoc moleſtiſſimo cenſore toleramus? nullus erit carpendi finis, niſi nos finem patiendi quærimus. Agite; invadamus inviſum caput, *opprimamus* violenter, obſtruamus illi os, ſub noſtris jaceat calcatus pedibus, qui noſtris inſidère capitibus conatur. Sit ipſe *juſtus* ſibi: quales autem nos, boni malíve ſimus, nobis relinquat diſpiciendum. Quidquid agimus ille verbis factiſque *contrarius* impugnat. Ridemus? ſuſpirat: epulamur? jejunat: ludimus? orat: læti ſumus? mœſtus eſt: delicias, opes, honores quærimus? deſpicit: Et quod acerbius eſt, errores noſtros obſervat, graphicè depingit: immodicè exaggerat, & grandiora montibus facit *peccata.* Si ſapimus, probè nos ulciſcimur: In noſtris eſt manibus præda, non effugiet.

Væ!

VÆ! qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ, *Isa. 45. v. 9.*

II. *Angeli.*

EXEGESIS.

§. XV.

O Scelus horrendum! ô detestabilis impietas! sic vos sacrilegas Deo manus injicere? Cæli terræque Dominum, non secus ac rabidi molossi agnum invadere? Vos Regem gloriæ, Principem immensæ majestatis & potentiæ captivum ducere? Et qui estis vos? nónne pulvis, quem ventus difflat? nónne lutum, quod pes belluæ conculcat? nónne limus & argilla, quam figulus manu subigit, digito fingit? pede calcat, abjicit, resumit, reficit, format, reformat ad nutum? An resistit artifici limus? an injuriis lacessit? an sugillat magistrum, incusat *fictorem*, contemnit artem, ingenium explodit? *Numquid sicut figulus, non potero vobis facere, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea:* verè lutum, verè testa fragilis, creta vilis & sterilis, terra inanis & sordida: quam ventus & aura concutit, tempus & ætas conficit, fortuna versat, casus allidit, morbus frangit, mors denique in nihilum redigit. Et vos supremo rerum omnium Conditori Deo oblatrare? protervià inauditâ resistere? contumaci impietate pugnare non vereamini?

Grandis peccatorũ temeritas.

Homo lutum. *Ieremiæ* 18. *v.* 6.

An parùm est, vobis formâsse corpus de terra, animam ex nihilo? Certè non est nihil. Si ergo non ex vobis estis, quidquid estis; cur originis vestræ obliti *fictorem* non agnoscitis? At cælum & terra clamant: *ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Tandem vos, etsi non nescios, docebit ipse rei exitus, quid inter vos & fragilem *terræ Samiæ testam* intersit, quando summus rerum Dominus tamquam *vas figuli confringet inimicos: quando comminuet eos, ut pulverem ante faciem*

Psal. 99. *v.* 3. *Psalm.* 2. *v.* 5. & 17. *v.* 45.

ciem venti, & tamquam lutum platearum delebit eos. Ita enim per Prophetam vos præmonet: *Repentè loquar, ut eradicem, & destruam, & disperdam. Sicut ventus urens dispergam eos, in die perditionis eorum.* Itaque frustra in eius perniciem modò conjuratis. *Venite opprimamus justum.* Quid nocebitis omnipotenti? Acuite in ipsum ungues, dentes, linguam; armate manus, pectora, capita: ipse superabit, si volet, armatos inermis, patiendo. Si verò malit pugnare, *induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium certum: sumet scutum inexpugnabile, æquitatem: acuet autem diram iram in lanceam: & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

Ierem. 18. *v.* 7. & 17.

Frustra æquè ac impiè contra Deum pugnant.

Sap. 5. *v.* 19

Premite nunc justum, non opprimetis: quia *ut palma* altiùs exsurget. Sed nemo nisi injustus *justum opprimit*, nemo *contrarius* est optimo, nisi pessimus quisque. Si *peccata* exprobrari tædet; perpetrare pudeat. Si aliena vos décora perstringunt; propria vitæ dedecora displiceant. Lutum figulo se formandum præbeat, non insultet: Deum homo metuat, non irritet. Nam qui jam dormitare videtur, ut agnus; olim ut leo insurget: & quò blandiore manu tractavit lutum, cùm fingeret; hôc graviore brachio *testam* confringet, quando destruet.

Philothea, Mundus, Caro, Orcus.

GRavis est nobis etiam ad videndum. *Sap.* 2. *v.* 15. Contumeliâ & tormento interrogemus eum. *v.* 19. Prophetiza, quis te percussit? *Luc.* 22. *v.* 64.

PARAPHRASIS.

Judæorum æmuli, peccatores obdurati,

QUid vos, & unde tam grandia, de homulo? si quid supra hominem esset, ab hominibus capi, ligari, teneri non potuisset. En præclarum Principem! Regem inclytum! ubi

ubi corona, ſceptrum, purpura? ubi opes, famulitium, ſatrapæ? ubi thronus, aula, regnum? A nobis fortè hæc exſpectat? en, in promptu ſunt omnia: nónne quadrant? Apagite vos hunc Regem! tandem ſilet, quieſcit, cælum aſpicit: æquè tamen moleſtus eſt, ſeu videat, ſeu videatur, *gravis* in oculis ſpina, in auribus flamma. Velemus ergò oculos, ne ſaltem nos ipſe aſpiciat: percutiamus caput & faciem per ludibrium. Si vates eſt, facilè divinabit, quis ictum fecerit. Si plus quàm homo, non feret diu contumeliam, noſtris elapſus manibus ſibi conſulet. Cernitis? videt ut talpa, loquitur ut piſcis.

EGo redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia. *Oſeæ 7. v. 13.* Ego erudivi eos, & confortavi brachia eorum, & in me cogitaverunt malitiam. *v. 15.* *Chriſtus.*

EXEGESIS.

§. XVI.

ASpicite cæli, & cohorreſcite! Spectate Angeli, & admiramini veſtrum regem, nudatum veſtibus, centone ſqualidum: arundine pro ſceptro, ſpinis pro corona ridiculè inſignitum: colaphis, ſarcasmis, ſputis contumelioſè expoſitum: vinctis manibus, velata facie, convulſis crinibus, inter carnificum manus captivum. Hæc in me audent, qui mihi ſe ipſos debent, peſſimi mortales, peccatores infeliciſſimi, ſervi rebelles & ingrati.

Graves Chriſti querelæ de ingrato peccatoris animo.

Quis enim (ut alia omnia ſilens pertranſeam,) quis exemit eos vinculis? quis è manibus Tyranni vendicavit? quis pro immenſo debito lytrum ſolvit? *Ego* certè ſolus feci, quod nemo potuit? ego peccatorum nexibus exolvi, adamantinis

Redemptio quantum beneficium.

mantinis inferorum catenis exui: ego mundi Principem domui, Dæmonem exarmavi, *ego* non argento, vel auro, sed sanguine divino, vitâ & animâ justitiæ irati Numinis satisfeci. *Ego* inquam, rerum omnium Dominus, æterni Patris unigenitus, Deus summus, optimus, maximus, sponte mea, misericordiâ motus, impulsus amore: & quidem gratis, nullo meo lucro, sed luculentâ injuriâ, ineffabili dolore, vitæque impendio, jam semel *redemi eos*, terræ filios: quod Angelis non feci; atque ita quidem *redemi eos*, usque adeò *copiosâ redemptione*, ut huic mundo, &, si forent, mille aliis sufficeret. Utique tam stupendo beneficio obnoxios mihi facere potuissem, miseros & reos, infames & damnatos, desertos & detestabiles gehennæ titiones?

Psal. 129. *v.* 7.

Annon enim plus hoc fuit, quàm cum Noëto illos diluvio subducere, cum Israëlitis Ægypti jugo eximere, cum tribus pueris è fornacè Babylonica, aut cum Daniele è lacu leonum non sine admirandis prodigiis liberare? At ecce! pro libertate vincula injiciunt Redemptori: pro triumphali lauro calamum, pro civili corona sentes, pro paludamento laciniam offerunt victori, pro epinicio ludibria & sannas ingerunt: quin & detestabili *mendacio* divinitatem, quam sentiunt, mihi abrogant: providentiam, quam palpant, negant: sapientiam erroris arguunt, justitiam crudelitatis damnant, patientiam languoris insimulant, malorum vindicem, scelerum auctorem faciunt: verbo: *Non est Deus*, impudenter & sacrilegè pronunciant, aliáque id genus plura *contra me*, contra veritatis testimonium, contra cæli terræque consensum, impiè & mendaciter, *loquuntur*. Quod si non est Deus, unde ergo sunt ipsi, & ipsis quidquid est scientiæ ac virium? Si à se ipsis; quare non sunt, fuerúntque semper? quare amittunt, quod habent? quod non habent concupiscunt, nec tamen acquirunt? Certè mens ipsa malè sibi conscia Deum, quem tollere cupit, metuit: & quem esse

Peccator, quia Deũ non esse vellet, fingit.

Psal. 52. *v.* 1.

esse nollet, sentit. Hæc ergo *mendacia* dum mihi pro mercede redemptionis obtrudunt, annon impiè sunt ingrati, & strenuè impudentes?

§. XVII.

AT non hîc figit gradum impietas; quia mea quoque longiùs progressa est benignitas. *Ego* enim, quos libertate donaveram, è servis filios, si vellent, paratus facere, quî fierent, docui: ut possent, feci. *Ego* Sapientia æterna jam olim à mundi origine scientiæ cælestis magisterium aggressa, gemino grandíque volumine, cælo scilicet & terrâ divinæ cognitionis characteres omnibus spectabiles proposui, ut ex iis Deum atque in Deo omnia simul condiscerent. *Ego* Veritas increata singulis adjunxi pro hypodidascalo Rationem, Angelorum æmulam, quæ claram facem ex divinitatis radio accensam prælucerct: *Ego* Sol justitiæ solemne habui, illustriora cæli lumina ex gratiæ thesauro, ceu corusca fulgura, vibrare; ut languidas mentes, velut inertes discipulos, per intervalla excitarem. *Ego*, ne ullus ignorantiæ locus esset, *erudivi eos* Patriarcharum exemplis, Prophetarum oraculis, legum præceptis, sacrorum cæremoniis, pœnarum minis, præmiorum promissis, ut virtutum pulchritudine & vitiorum fœditate perspecta, *saperent & intelligerent, ac novissima providerent.* Nondum tamen effeci, ne à dignitate filiorum Dei degenerarent.

Doctrina Christi & exemplũ, grande Dei donũ.

Deuteron. 32. v. 29.

Ergo de throno majestatis in cælis descendi, & scholam veritatis ac justitiæ in terris aperui: spectabilẽ humanis oculis, palpabilémque feci increatam Patris sapientiam. *Ego lux* infinita, sub humano latens corpore, *erudivi* infans infantes, adolescens juvenes, vir viros: docui arcana cæli placita verbis potentibus, factis clarissimis, moribus integerrimis. *Ego* Dei Filius sudore multo, magnâ contentione clàm, palàm, in domibus & desertis, in urbibus & oppidis,

in templo & ſynagogis, in montibus & campis, loquendo admiranda, patrando prodigia, ac tandem in cathedra Crucis doctrinam ſanguine ſignando, quid pro vera beatitudine facere ac pati neceſſe ſit, manifeſtè tradidi, viresque neceſſarias meis doloribus, meo contemptu, mea morte illis comparavi.

Auxilia gratiæ, Chriſti dona ſunt.

Ego denique, ut ex virtutis norma vivere ſcirent ac poſſent, quibus antè robur brachiorum, ſanitatem corporis, famæ decus, ingenii aciem, generis claritatem, aliáque naturæ ornamenta, vitæ commoda, mundi bona prolixè liberalis conceſſeram; illis novo beneficio animæ quoque *brachia*, intellectum & voluntatem corroboravi: fidem, ſpem, charitatem impertivi: mentem gratiâ divinâ imbui, velut arcem vallavi: meâ doctrinâ, nomine, exemplo aliísque innumeris ſpiritualium armorum præſidiis communivi: ut fortiter contra ſuos hoſtes pugnarent, *confortavi*, cæleſtibus auxiliis ſtabilivi, myſteriis armavi, conſiliis inſtruxi. Quid ad hæc ipſi? Conceſſis à me armis in meam utuntur cladem. Robur illis incitamento eſt ad cædes, ſanitas ad gulam, forma ad laſciviam. Ex genere inſurgunt ad ſuperbiam, ex opibus ad crudelitatem gradum faciunt. Ingenio abutuntur ad dolos, meâ doctrinâ ad hæreſes, nomine tremendo ad blaſphemias. Myſteria transferunt in Sacrilegia: ex miſericordia mea trahunt temeritatem, ex patientia peccandi licentiam, ex juſtitia deſperationem. Hoc denique agunt, ut Deum è mundo tollant: quam quidem jam diu *cogitaverunt in me malitiam*. Sed pygmæi in gigantem.

Morte

MOrte turpissima condemnemus eum. *Sapient. 2. v. 20.* Tolle, tolle. *Ioan. 19. v. 15.* Crucifige, Crucifige eum. *Luc. 23. v. 21.*

Philothea, Mundus, Caro, Orcus.

PARAPHRASIS.

EN! frustra sumus: novis iterum querelis aures, animósque nostros vulnerat. Non suos ipse mores exuit, nisi vitâ ipsum exuimus. Accusatore non est opus, ubi culpa in manifesto est. *Condemnemus eum*, quem atro mundus calculo jam dudum damnavit. Sententiam sibi ipse scribit, qui novas mortalibus leges scribere præsumit. Moriatur ergo; non autem honesto lethi genere. *Morte turpissima* vitam abrumpat, ut pœnam dedecus exæquet. Age, quisquis amas ex genio tuo vivere; quisquis deliciis, dum spiras, frui & jucundas mundi leges sequi gaudes, invisum hunc criticum ex oculis unà nobiscum *tolle:* ex anima elimina, è vivis exturba, ex toto orbe proscribe: dicta, facta, memoriam, nomen illius oblitera, & erade: affige *cruci*, dignum arbore tam infelici fructum.

Peccatores Deum, quem è mundo tollere non possunt, ex mente tollunt.

POpule meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? responde mihi. *Mich. 6. v. 3.*

Christus.

EXEGESIS.

§. XVIII.

LOquar, an sileam? querar, an dolorem tacitus premam? Si taceo, triumphat impietas; si loquor, crescit dementia. Magnitudo quidem sceleris nequit explicari; at gravitas injuriæ non potest tegi, aut silentio involui. Si mea tacue-

Christi in Cruce pendentis ad peccatorem oratio.

tacuerit patientia, ipsa loquetur rei indignitas, clamabit terra, cælum arguet ac postulabit vindictam. Loquar ergo. At cui? An Patri meo, quem cæli adorat curia? Vereor, ne iratâ dexterâ fulmen torqueat in sceleftos. An Satrapis aulæ meæ, Angelis? Et hi jam diu divinum nutum exspectant, ut indignationem in sacrilegos effundant. An astris? jam parata sunt delere peste impios: An terræ? jam tremit, & ardet hiatu aperto absorbere sontes. Tibi ergo loquar, Philothea, tibi, quisquis Philotheam imitaris peccantem: tibi, *popule meus*, qui meo gloriaris nomine, & nominis sanctitatem flagitiosis moribus infamas: qui meam verbo sequeris doctrinam, vitâ deseris & condemnas: qui mea colis sacra, & mysteria frequentas; at ea, quæ modò veneraris, mox impiè profanando despicis. Tibi loquar, *popule meus*; quia dum veniæ locus est, *meus* es. Adhuc dolere tu potes, ego ignoscere: tu scelus detestari, ego delere. Ut primum pœnitudo mentem subierit, sequetur venia. *Meus* es, putridum quidem membrum, nondum tamen à corpore meo recisum: *meus* es; mihi factus, mihi emptus, mihi præcipuo amore ex omni hominum numero, populis, gentibúsque dilectus, omni jure mihi debitus, non sine scelere subtrahendus. Loquar autem non ut hostis, sed amicus: non ut Judex, sed ut Pater: non ut actor, sed ut Patronus: monebo suaviter, non durè increpabo: ostendam scelera, non ulciscar: ut ad pœnitentiam te provocem, non ut feram sententiam. Tu me saltem post detestanda crimina audi vocantem, quem nolebas ante culpam in innocentia audire monentem. Interrogo. Responde.

§. XIX.

Examen peccatoris generale.

QVid feci tibi? an non boni plurimum, sine fine, sine modo? an mali aliquid? *Responde.* Dic ubi, quando, quale? An malum facere possit, cuius natura, bonitas? opus, justitia? voluntas, misericordia? qui totus est bonus, etiam

etiam cùm castigat? qui vulnerat, ut sanet; percutit, ut erudiat; excoquit, ut expurget? *Quid ergo molestus fui tibi? Responde mihi:* nisi fortè molestum est, ad meliora te compelli; prohiberi, ne pereas?

Beneficia homini collata universalia

Olim Israëlitas extraxi è domo *servitutis Ægypti*; te ex tyrannide diaboli: illos per *mare rubrum & Iordanis* aquas sicco vestigio deduxi; te per *mare fervens*, & *fluvium ignitum* judicii divini salvum transire feci: illos *quadraginta annis de cælo manna* in deserto enutrivi; te jam 15. sæculis Angelorum pane toto terrarum orbe refeci: illos legibus & sacrificiis per Moysem instruxi; te ore meo suavissimam charitatis legem & sacrosancta mysteria offerre docui: illos *in terram lacte & melle* manantem transtuli; te in meliorem paradiso regionem, in *viventium terram*, in cælestem patriam deducere volui. Quid amplius fecisset pro filio sibi charissimo pater? *Responde mihi.* Negas? Quid igitur *feci tibi*, quòd me aversaris, ut *contrarium*; persequeris, ut hostem; tollere de medio conniteris, ut infamem, ut reum, ut perduellem?

Iosue 24. *v.* 17. *Sap.* 19. *v.* 8 *Iosue* 3. *v.* 17. *Isaia* 57. *v.* 20. *Dan.* 7. *v.* 10. *Exod.* 16. *v.* 35. *Iosue* 5. *v.* 6. *Psalm.* 141 *v.* 6.

§. XX.

Communia multis.

SEd hæc antiqua & jam trita sunt. *Quid* igitur *feci tibi* ampliùs, Philothea? vel potiùs quid non feci tibi? Nónne pro te in angusto virginei ventris carcere delitui? in stabulo inter pecudes & sordes jacui? infame circumcisionis vulnus accepi? in Ægypto exul infantiam ærumnis plenam exegi? *Responde mihi.* Nónne pro te triginta ipsos annos fabro subditus, ignobilis, inglorius, fabrilem artem sacratis manibus *in sudore vultûs mei* patienter exercui? *Responde mihi.* Nónne pro te 40. diebus & noctibus sub dio inter feras, in eremi squalore, sine potu, sine cibo corpus meum emaciavi? tres ampliùs annos itineribus, laboribus, vigiliis confeci? cum invidia, contumacia, perfidia æmulorum, verbis, moribus, miraculis pugnavi? *Responde mihi.*

Gen. 3. *v.* 19

Nónne

Nónne pro te innocens à lictoribus captus? ligatus vinculis? ad quatuor tribunalia raptatus? inque illis pulsatus, damnatus, consputus, ac dirissimis pœnis excruciatus; famam, vires, sanguinem dedi? Nónne pro te quinquagies bis in faciem percussus? in caput & pectus octuagies & ampliùs? raptatus humi septuagies semel? flagellatus sex millibus sexcentis, & quod excurrit, ictibus? centum spinis in capite compunctus? guttas sanguinis mille quadringentas & plures sparsi? vulnera longè ultra quinque millia suscepi? *Responde mihi.* Nónne tandem pro te trabalem crucem, & tuam in illa peccatorum sarcinam, tuli? fel & acetum gustavi? quatuor clavis confixus, siti acerbissimâ afflictus, inter immania tormenta & barbaræ crudelitatis ludibria tres horis pependi? vitam denique pro te posui, & lanceâ confossum cor immolavi? Quid maius pro sponsa sponsus potuisset? Quid igitur *molestus fui tibi? Responde mihi*, quid taces? Cur itaque meam aspernaris clementiam? fugis disciplinam? excutis memoriam? oppugnas charitatem? innovas dolorem? aggravas offensam? injurias multiplici scelere exaggeras?

Revel. S. Brigitt.

§. XXI.

AT tu & hæc æquè communia multis esse dices. Age, ad alia ergo transeamus. *Quid feci tibi*, Philothea, mali? aut quid non feci tibi boni? *Responde mihi.* Annon ego *tibi* (quod millies millenis millibus hominum non feci) Patriam, parentésque orthodoxæ fidei addictos dedi, quorum operâ sacri fontis undâ ablui, & christianis moribus informari posses? Annon *tibi* originariæ labis maculam abstersi? gratiam infudi? cæli hereditatem restitui? *Tibi* sacrato chrismate inunctæ novum robur adjeci, & contra dæmonis astus, mundi insidias, carnis mortísque pugnas arma subministravi? *Tibi* concessi, ut esses adopti-

Examen particulare.

va Patris æterni filia, filii ſponſa, S. Spiritûs templum, beatarum mentium ſocia, delicium cæli, pretioſum terræ margaritum, inferorum tormentum?

Beneficia particularia.

Quid igitur *moleſtus fui tibi? Reſponde mihi.* Quid hæſitas? annon conſcientia te propria flagellat? ruborem tibi exprimit? confeſſionem imperat? Te ipſam teſtor. Sed pergo. Quot quantiſque vitæ periculis, ut te ſubducerem modò per tutelarem Angelum, modò per alios Cælites, cladem aut prævertendo, ſervavi te incolumem: aut ſuperando ſalvam eripui? quot quámque validis præſidiis, ne graviore caſu in meditatum aliquod crimen dilapſa, in mortem animæ incideres, te vallavi? *Reſponde mihi.* Quoties ego tibi oſtendi pedicas, averti laqueos, inſidias detexi, exarmavi hoſtes, atque ita meo brachio te in lubrico firmavi? Quoties ego te, non abſque inſigni divinæ majeſtatis contumelia perfidè rebellem, atque in ſcelerum voraginem lapſu infeliciſſimo à tuis hoſtibus præcipitatam, protinus extraxi, mundavi meo ſanguine, meis ſanavi vulneribus?

Reſponde mihi. Quoties ego te in cœno vitiorum demerſam ceu *ovem perditam* quæſivi? ceu magnes ferrum arcanâ vi attraxi? ceu *filium prodigum* oſculo & amplexu excepi? epulo euchariſtico, quo nihil divinius, nimirum carne & ſanguine meo, te ſaginavi? Cúmque mox, non dicam, *ut canis ad vomitum, & ſus ad volutabrum redires*, ſed ut infans ad ignem ſtultè accederes, méque peccando rurſum proculcares; te, quam fulmine ferire debebam, quam in nihilum redigere, in Orcum detrudere poteram, admirandâ patientiâ ſuſtinui? imò iterum iterúmque ad frugem te revocavi? culpam dimiſi? injuriæ memoriam abolevi? novis gratiæ incrementis te donavi? & cæli favotibus auxi? Quis hæc fecit unquam ſervo Dominus, aut Domino ſervus?

Luc. 15. *v.* 6.
Luc. 15. *v.* 20.
2. *Petri* 2. *v.* 22.

Quid

Quid ergo *molestus fui tibi?* cur me repellis? cur furorem in me tuum effundis? me pessundas? & quem gloriosum in cælo necare non potes, vulnerare gaudes in mente? *Responde mihi* si potes: quòd si non potes mihi, quomodo respondebis Patri? Sed noli spem abjicere: potes, si vis, utrique respondere. Dic: *Peccavi*: pectus tunde, ex intimo cordis sinu suspira, agnosce culpam, detestare impietatem, errorem defle, emenda facinus, & respondisti. En! nunc etiam licèt à te sic despectus, calcatus, ligatus, in crucem actus, ut resipiscas, invito, & exspecto Dominus servam, ream Judex, hominem Deus. En! caput inclino ad osculum, brachia extendo ad amplexum, sanguinem propino in medicinam, vulnera in salutem, cor offero in amoris signum, totum corpus in pignus salutis. Tu reciproco amore nunc *Responde mihi* amanti, ne quondam cum metu & rubore, velis nolis, respondeas judicanti: *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.* Si enim modò te condemnas, absolvis; si accusare refugis, condemnas.

Psal. 118. v. 37.

Amor, Angelus.

HÆccíne reddis Domino Deo tuo stulta & insipiens? numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit & creavit te? *Deuteron, 32, v. 6.*

EXEGESIS.

§. XXII.

Cælitum oratio ad animam peccatricem.

PRô! crudele nefas. Quid agis Philothea? Hanc amanti amens rependis vicem? hanc benefactori reddis gratiam, hoc servatori præmium? pro libertate vincula? pro osculis alapas, pro deliciis fel & acetum, pro rosis spinas, pro gemmis clavos, pro lectulo Crucem reponis? Quâ fronte

fronte pro obſequiis injurias, pro gloria contumeliam, pro amore odium, pro vita mortem referre audes? *Stulta & inſipiens!* non advertis, quæ tu, quis ille? *Pater eſt.* O quàm dulcis! & tuus, qui optimo naturæ titulo te, quanta es, poſſidet. *Dominus* eſt. O quàm bonus! *& tuus*: qui proprio cruore te ſuam *fecit*, & redemptionis jure ſibi mancipatam ſub jugo tenet. *Deus eſt.* O quantus! *& tuus*: qui te ex inani & nihilo factam ſibi imaginem, Angelis ſodalem, mundo Dominam *creavit*. Et huic inſultare non vereris puſilla terræ portio? mortem inferre paras Auctori vitæ? infami ſupplicio mactare vis Dominum gloriæ? in ferali ſtipite ſuſpendis eum, *qui appendit tribus digitus molem terræ?* configis illius manus, *qui cælos ponderat?* pedéſque clavis perforas, *qui ponit nubem aſcenſum ſuum, & ambulat ſuper pennas ventorum?*

Iſaia 40. v. 12. *Ibid.* *Pſal. 103. v. 3.*

Quæ major veſania cogitari poteſt? Si non vis eſſe grata, ſaltem non ſis impia: ſat magna impietas eſt, non eſſe gratam: execrabile ſcelus, manûs inſuper injicere & *Patri* & *Domino* & *Deo*. *Stulta & inſipiens?* an hæc impunè te laturam exiſtimas? Leonem ne laceſſiveris, etiam dormientem. O quoties *excitatus tamquam dormiens, tamquam potens crapulatus à vino*; ſed vino amoris, quod miſericordia propinaverat, repentè exiliit ardens irâ, quam juſtitia ſuccenderat: *percuſſit inimicos ſuos, opprobrium ſempiternam dedit illos?* Tu ſi ſapis, ſtultitiæ tam ſacrilegæ finem facis pœnitendo. Sin? *finis venit, venit finis*, ſed luctuoſus: quem non proſpicis inconſulta, experiere miſeranda.

Pſal. 77. v. 65. *Ezech. 7. v. 2.*

Mundus, Caro, Orcus.

NVnc audi delicata. *Isa.* 47. *v* 8. Fiduciam habuisti in malitia tua, & dixisti: Non est, qui videat. *v.* 10. Stultè egisti. 1. *Reg.* 13. *v.* 13.

EXEGESIS.

§. XXIII.

In fine patent Mundi & Carnis doli.

AUdis scelesta? *finis venit.* Sat datum lusibus hucusque. Antè Christus tibi fabula fuit, tu nobis; *Nunc* ut seriò rem agi videas, quas tulimus personas, ponimus, & quid sub larva latuerit, palàm facimus. Aucupes antè, fatemur, fuimus, donec in prædam cederes; nunc prædones sumus. Quid succenses? Si misera es, tuâ id culpâ magis, quàm nostrâ, accidit.

Culpâ suâ perit, quicumque perit.

Pelleximus, non coëgimus. Videre laqueos, si volebas, poteras; nec defuit, qui ostenderet. Qui clausis oculis currit, lubens cadit. Itaque decepta es; sed volens: nemo te decepit, nisi tu? Tibi imputa, si capta es. Deliciæ fuerunt decipulæ: tu guloso sorice avidior sponte tuâ irruisti: nempe ut inter delicias *delicata* viveres, ut semper corpori esset bene; licèt animo malè. Gravis erat delicatis oculis modestia, gravis delicatis auribus ingesta veritas, gravis delicato gutturi sobrietas, gravis delicato ventri inedia. Horrebas *delicatula*, quidquid religionem, pœnitentiam, virtutem sapiebat. Omnis pro cælo labor erat intolerabilis: quævis aura lethalis, minimus dolor tormentum.

Apocal. 18 *v.* 7.

Nunc ergo *audi delicata* tremendum justi judicis effatum: *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Ita ille, & quidem justè. Decet enim, ut gravitas culpæ mensura sit pœnæ, quæque perpetuò inhiabat deliciis, perennibus subjaceat tormentis.

§. XXIV.

§. XXIV.

QUid indignaris ? quid nos torvùm aſpicis ? quos habuiſti ſocios in ſceleribus, habeto & in ſuppliciis? pátere nunc carnifices, quos ſecuta es ad voluptatum caſtra duces. Jam noſtrâ es in poteſtate. Quidquid agas, capta es: obluctare, quantum potes, non eluctabere. Nihil te modò juvabunt opes & honores, nihil forma, nihil genus & amici, nihil doli & artes, ingenium & aſtutia, temeritas & impudentia. His equidem arundineis innixa fulcris confidenter pugnabas cælo: te Dei hominúmque manus malis artibus evaſuram credebas; at non effugiſti noſtras. Sub larva tibi ſecura videbaris, & ſimulare docta, ad Chriſtiani nominis umbram te componebas; ſed indocto nimiùm mendacio perſuadebas ipſa tibi, *non eſſe, qui videat*. Inde factum, ut foris eſſes ara, intus hara.

Dæmon exprobrat, ad quæ impellit, ſcelera.

Stultè egiſti. Eſt, ne dubita, eſt, *qui videt in abſcondito* Deus, totus oculus, quia omnia cernit: totus pes, quia eſt ubique. *Audi delicata:* audite & vos deliciarum proci. *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite.* An, *qui plantavit aurem, non audiet? & qui finxit oculum, non conſiderat? qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem ſcientiam*, an aliquid ignorabit? Neutiquam. *Dominus ſcit cogitationes hominum*, quomodo dicta & facta neſciat? Utique credetis, quod *dæmones credunt, & contremiſcunt*? Ergo nimiùm quantùm *ſtultè agitis*, ſi Deum omnia ſpectantem non pertimeſcitis. Qui in illius oculis peccat, teſtem ſceleris habet, quem offendit; judicem, quem contempſit: annon & vindicem, quem non effugiet?

Matth. 6. v. 6.
Se ipſum fallit, qui Dei oculos ſe fallere poſſe, credit.
Pſ. 93. v. 8.
Iacob. 2. v. 19.

Mundus. SI affiget homo Deum? *Malach. 3. v. 8.*

EXEGESIS.

§. XXV.

Peccare, & Deum configere, tantumdem est. *Deuter. 4. v. 24.*

ET est adhuc, qui Deum lacessere, imò & configere ausit? Dic impia, quid sentis? an eò usque insanire potest *homo*, ut *affigat Cruci Deum*? *Deus ignis consumens est*, quis accedat? quis comprehendet? quis ligabit? quis clavis configet? nemo, si velit, queat; & nemo, nisi insanus, velit. Quod tamen nemo velle, nemo posse creditur, audeat, non Angelus, non Archangelus, nec ex summo Seraphinorum ordine aliquis, sed *homo*, putredo & cinis? Negas? Configitur certè Deus non clavis, sed culpis; non ferro, sed scelere. *In quo affigimus te?* quærebant olim Judæi: quid respondit Deus? *in decimis, & in primitiis configitis me gens tota.* Illi ergo in decimis, alii in poculis, in epulis, in ludis, in furtis *configunt* Deum.

Quod enim quis odit, quod detestatur, & horret, hoc illi crux est: tantò gravior, quantò magis inimica. Quid verò tam inimicum Deo, quàm peccatum? quod ille graviùs horret, quàm crucem; magis aversatur, quàm mortem, quia si in Deum cadere posset, divinitatem extingueret. *Configitur* utique Deus, cùm Dei filius in crucem agitur, cùm divinus sanguis conculcatur, cùm vulnerum cicatrices refricantur. Tot ergo supremo Numini infert supplicia, quot quisque designat crimina: toties parricida, quoties peccator: hoc ipso incruentus carnifex, quòd sceleris patrati artifex. Et tamen, O infanda temeritas! tot tibi placuit patrare scelera? toties in Deum insurgere? peiorem Cruce injuriam illi inferre? Ergo rea es parricidii, rea majestatis divinæ. In Crucem egisti, quando tot facinora, non nisi à

Dei

Dei filio in Cruce expianda, commisisti? quod ergo cælum, terra, abyssi mirantur nefas, tu perpetrâsti: quod natura vetat, ratio perhorrescit, Angeli damnant, lugent, execrantur Deicidium, tu audacter es aggressa. Jam tenes noxam: modò exspecta pœnam.

INiquitas tua finem dabit tibi. *Tob. 14. v. 13.* Sicut fecisti fiet tibi. *Abdiæ v. 15.*

Caro.

EXEGESIS.

§. XXVI.

HUc ades facinorosa! *Finis venit.* Noluisti finem imponere iniquitati: nunc ipsa *iniquitas tua finem dabit tibi.* Ita ab usque prima mundi origine moris fuit. Si semper vivere daretur, placeret peccare semper: quem ergo peccandi terminum non invenit voluntas, peccatori dat iniquitas. Vixisset sine fine primus hominum: sed rapuit pomum; & *iniquitas* illi *finem dedit* moriendi necessitate. Inundatus erat orbis perversis hominibus; sed *iniquitas* illi *finem dedit* aquis. Fœtebat Pentapolis nefandis sceleribus; *iniquitas finem* dedit flammis. Modum nesciebat sæva Pharaonis obstinatio; *iniquitas finem* fecit in mari rubro: semper altiùs se erigebat Absalonis ambitio; *iniquitas finem* dedit in arboris ramo. Sic Joabi perfidia, Amanis ira, Nabuchodonosoris superbia, Achabi avaritia limites excessit; sed *finem* propria *iniquitas* horrenda metamorphosi, vel sagittâ, gladio, furcâ, laqueo imposuit. Et tibi Nemesis parcet? adest tandem hòc graviore manu, quò pede tardiore.

Habent & scelera metam, quam ubi tangunt, vindictam clamant.

Quid enim? quæ major potest cogitari *iniquitas*, quàm ventrem præferre capiti, sensum rationi, corpus animæ? Dominæ ancillam, Reginæ jumentum? hoc farcire cibis, illam

Peccatum quodlibet summa est iniquitas.

illam fame necare? hoc molliter habere, illam vulneribus conficere? huic vitam maximis impensis quærere, illi mortem per contemptum accelerare? Quæ manifestior potest iniquitas designari, quàm hominem Deo gloriam intervertere, eius dominio se subducere, mandata violare, aspernari majestatem? Hæc divinam excitant justitiam: hæc faciunt, ut *iniquitas imponat* homini *finem*; Vindex Deus, iniquitati. Quare aliud nihil exspecta, quàm, ut *sicut fecisti, sic fiat tibi*, *Oppressisti justum? opprimêris: gravis ille tibi fuit, etiam ad videndum?* æternùm non videbis: *contumeliâ & tormento interrogâsti?* & tu in catasta pendens interrogaberis, & probrosè obmutesces: *morte turpissimâ condemnâsti?* turpiore supplicio condemnabere; quia sacrilega, & execrata, talionis lege indigna, dignissima pati longè graviora. Ergo si, *sicut fecisti, sic fiat tibi*, gratia est, non injuria. Pœna culpam sequitur, culpa cupiditatem.

Æquissimis pœnis plectitur.

Ortus.

CONcupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. *Iacob. 1. v. 15.*

EXEGESIS.

§. XXVII.

Concupiscentia; mortis avia, peccati mater.

FRustra trepidas infelix. *Finis venit?* mors imminet: quid formidas? peccare timuisses, non esset modò, quòd mortem timeres: cupiditati frænum injecisses, procul peccato fores. *Concupiscentia*, *peccatum*, *mors*, infausta sunt nomina, crudelia monstra; sed cognata, & arctâ necessitudine conjuncta: unum ex alio nascitur, sicut ex gallo ovum, ex ovo basiliscus. Concupiscentiam tolle, & peccatum mortémque jam sustulisti. Pessima mater est cupiditas

tas immoderata, & effrænis; quam ex illa ſobolem exſpectes, niſi peſſimam? Cæca eſt, & ſui impotens: leges conculcat, honeſti & æqui rationem non habet: ardeſcit ut ignis, accendit ut ſulphur. Si tamen repugnes, ſi ratione coërceas, ſi conſenſum neges, non concipiet hæc vipera. Quod ſi colludis, ſi blandimenta non excutis, ſi connives, ſi denique aſſenſum præbes, heu! *concipit* quidem illa, ſed ex te; *parit peccatum*, ſed tuâ culpâ.

Quid jam ſuper eſt, niſi ut *peccatum* ſeu mente, ſeu ore, vel opere perpetratum *generet mortem*, ſicut putredo vermem, ignis fumum, aſpis aſpidem? *Mortem*, ajo, animæ: quæ non tam à corpore, quàm à Deo ſeparat, vitâ ſpirituali exuit, gratiâ divinâ ſpoliat, è viventium libro eradit, in flammis inferorum ſepeliendam. Itaque ſerò nimis mori times. Jam tum, quando peccâſti, mortua gratiæ vitam cum innocentia perdidiſti. Non eſt timenda mors, quæ corpus jugulat, ſed quæ animam trucidat. Parùm eſt in cineres redigi, horrendum perpetuis ignibus cremari. Infeliciter vivit, qui cælo mortuus, non niſi in pœnas vivit ſemper duraturas. Hanc tibi *mortem peccatum generavit*, *peccatum concupiſcentia peperit*. Et adhuc cupiditas triumphat? adhuc ſuos, Babylonica meretrix habet amaſios? Nempe malunt molli tramite ad inferos ſaltare, quàm aſpero calle ad cælos eniti. Damnatorum contrà nullus eſt, qui non mallet ex inferorum fundo per rotas & enſes eluctari. Non eſt laborandum, quâ viâ, quámque malè incedas, ſed quò pervenias.

Serò timet mortem, qui poſt peccatum timet.

Via

Mundus, Caro, Orcus.

VIa peccantium complanata est lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. *Ecclesiast, 21, v. 11.*

EXEGESIS.

§. XXVIII.

Plana est ad inferos via.

AUdite peccatores, bonum à malis consilium, quod veritas exprimit, non suggerit charitas. *Via*, quâ incedltis, *complanata est lapidibus*, molliter declivis, & spatiosa, rosis strata & tapetibus. Sed quis viæ *finis*, quis terminus? eheu! *inferi & tenebræ, & pœna.* Vita, quam ducitis, jucunda est, libera, delicata: hinc blanditur voluptas, illinc arridet fortuna: hinc adulantur socii, illinc applaudunt amici: hinc delectant opes & honores, illinc fama & gloria demulcent. Plana sunt omnia, aut certè quantumcumque sint aspera, videntur plana. Siqua emergit avaritiæ spina, mox eam tegit auri sacra fames. Si quem invidia defigit aculeum, imaginaria felicitas obtendit velamentum. Quos gula, luxus, ira lapides objicit, præsens voluptatis sensus emollit. Itaque vestro quidem judicio per planum molliter decurritis.

Sed quem via delectat, finis terreat.

Sed ô stolidi mortales! Cur in viæ finem oculum mentis non conjicitis? quis huius vitæ futurus sit exitus, cur non videtis? En! *finis illorum inferi*, quid tristius? *tenebræ*, quid horribilius! & *pœna*, quid acerbius? Grande tormentum *inferi* forent, absque tenebris: supplicium grave, *tenebræ* sine inferis: magna infelicitas, *pœna* procul inferis & tenebris: horrenda pœna, *tenebræ* & *inferi* etiam absque pœnis. At non sufficit justitiæ: sunt *inferi* pro carcere, & *tenebræ* pro vinculis, & *pœna* pro præmiis. *Inferos* meretur elatio,

elatio, impudentia poſcit *tenebras*, *pœnas* exigit voluptas. O *Inferi*! ô *tenebræ*! ô *pœnæ*! quæ & quantæ! credite expertis. Ecce in compendio. *Pœna* damni, *pœna* animi, *pœna* corporis. Vultis Catalogum? & hunc dabimus.

§. XXIX.

Pœnæ damni.

ANnon damnum & pœna eſt, nullis explicanda ſæculis, aut linguis? Viſione, fruitione, comprehenſione Dei excludi; & quidem æternùm? Unione, amore, laude, gloriâ, ſatietate in Deo carere: & hoc æternùm? Viſione, communione, amore, voluptate ex Chriſto & B. V. privari: & hoc æternùm? Societate, benevolentiâ, gloriâ Angelorum & hominum prohiberi: & hoc in æternum? O quæ pœnæ! quale damnum! illa ſubtilitatis, claritatis, agilitatis, impaſſibilitatis proprii corporis jactura, & quidem æterna? illa cantûs, odoris, dulcedinis, lucis, temperamenti, venuſtatis, aulæ cæleſtis privatio, & quidem æterna? illa pulchritudinis, abundantiæ, libertatis, pacis, ſecuritatis, multitudinis Sanctorum interceptio, & quidem æterna! illa gaudii, coronæ gloriæ, triumphi, varietatis, ordinis omnibus communis interverſio, & quidem æterna?

O jactura! ô damnum! dominatu, aſpectu, conſideratione cælorum, ſiderum, elementorum carere, & hoc in æternum! omnium plantarum, gemmarum totius naturæ perfectâ jucundiſſimâq; notitiâ excludi: omnium dictorum, factorum, cogitationum, totiúsque hiſtoriæ ab orbe condito cognitione prohiberi: omnis artis, ſcientiæ, ſapientiæ divinę, & humanæ, poſſeſſione arceri: aut, ſi quid horum etiam apud inferos locum habet, eo non niſi ad pœnam uti poſſe, omnium denique arcanonum, myſteriorum, & mirabilium intellectu privari, & hoc in æternum!

M O pœnæ!

O pœnæ! ô irreparabilia rerum tam grandium dispendia! quarum tanta est ex jactura calamitas, quanta ex possessione felicitas: quæque non minùs affligunt perditæ, quàm recreant obtentæ! ô miseranda anima, quæ tam stupenda bona perdit, & ignorat! agnoscit, cùm perdidit!

Pœnæ sensûs interni.

At nondum hîc est pœnarum finis. Pœna pœnam longo ordine sequitur & animam premit, mentem excruciat, spiritum torquet corporis damnati inquilinum.

Utique enim Pœna gravis animæ est, desolatio extrema, tristitia summa, pœnitentia sed sera, ignominia probrosa & æterna. Atrox animæ Pœna est invidia frustranea, discordia acerba, odium crudele, furor implacabilis, & æternus. Horrenda animæ pœna est maledictio inevitabilis, blasphemia execrabilis, timor incurabilis, desperatio finalis & æterna.

Pœnæ sensûs externi.

Sed neque hîc pœnarum finis. Dat suas anima pœnas; quia mala domina peiori servo nimiùm indulsit: dat & corpus suas; quia indomitum jumentum animo, ut hero, non paruit, sed sessorem effeminatum excussit, & pessumdedit.

Corporis ergo pœna est ignis, fumus, fletus æternus: tenebræ, angustiæ, querelæ æternæ: fœtor, stridor, horror æternus.

Corporis pœna est, tempestas, grando, glacies æterna: pix, sulphur, fæx æterna: Squalor, clamor, livor æternus.

Corporis pœna est, fames, sitis, inopia æterna: vincula, flagra, patibula æterna: craticulæ, veruta, ollæ æternæ.

Corporis pœna est locus, situs, dolor æternus; lacrymæ, gemitus, cordolia æterna: vermes, monstra, socii, dæmones, & quidquid denique malorum umquam fuit uspiam,

ſpiam, aut erit, damnati pœna eſt æterna. Et quidem vel in unam tantùm, vel, ſi non ſufficiat una, *in* plures, eáſque *perpetuas æternitates.* Age nunc peccator: ſi placet *via complanata lapidibus*, non diſpliceant *inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Quiſquis ergo declinare vis pœnas, viam declina.

OMnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. *Ioan. 8. v. 34.* Stipendia peccati, mors. *Rom. 6. v. 23.* Vſque ad inferos peccatum illius. *Iob. 24. v. 19.*

Mundus. Caro, Orcus.

EXEGESIS.
§. XXX.

QUid moras nectimus? meritas det pœnas impia. Ego ſervilibus compungo notis vile mancipium, & ferreâ catenâ, ne fugiat, coërceo: ut cui dura peccandi conſuetudo pro armilla fuit, dura ſerviendi neceſſitas pro torque ſit. Seipſam vendidit, quando libertatem Dei ſervitio antepoſuit, malum nacta dominum, ſed non unum: imò crudeles tot tyrannos, quot pro fluxa voluptate ſceleribus ſe mancipavit, & illecebras unius horulæ ſectata multiplici impietatis jugo collum ſubmiſit. At non eſt ſævior tyrannis illâ, quàm peccatum in ſuos exercet ſervos: non luto & paleâ gravat, ut Pharao, ſed immanibus pœnarum ſarcinis: non primogenitos interficit, ſed animas occidit: non indomitis equis vorandos objicit, ut hoſpites Mezentius, ſed diris cupiditatibus laniandas exponit: non viva mortuis corpora connectit, ſed mortuas vivis corporibus animas involuit.

Mundus. Peccati tyrannis graviſſima.

Quis ſuperbiæ compedes, invidiæ flagella, avaritiæ ſpinas enumeret? quis gulæ ſarcinas, luxuriæ equuleos, iræ

novaculas explicet? quàm dirâ fame, quàm insanâ siti, quàm improbris laboribus, quàm edacibus curis, quàm variis tormentis animi & corporis dies noctésque, domi foris, clàm palámque, sua opprimant mancipia, quis demonstret? Rectè: meliore non est sorte dignus, qui noluit Dominum meliorem. Si serviendum est, vide cui servias. Qui peccati servitutem horret, peccatum ne faciat; qui peccat, libertatem vendidit. Et tibi insana hic placuit tyrannus? tanti fuit hæc tibi servitus?

Caro. *Stipendiū cruentum.*

Serviisti profectò strenuè peccatis, & scelerum auctoribus, Mundo, Carni, Orco: militâsti fortiter sub nostris signis in voluptatis & impietatis castris; nunc tandem præbe jugulum, & *stipendium* accipe. Heu! quale *stipendium*? ais. Justum est: sidera testor, statutum lege, & firmatum antiquissimâ nascentis mundi consuetudine, *peccati stipendium*, pro contumelia quâ Numen affecisti, perennis ignominia, dolor pro dolore, vulnus pro vulnere, sanguis pro sanguine, pro morte *mors*. Habet, jacet.

Terribile sepulchrū. *Orcus.* *1. Tim. 5. v. 24.*

At hoc in loco non jaceat. *Ad inferos* raptanda est, quò *peccatum illius* præcessit, ut calidum infelici hospitium designaret: quæ usque ad sepulchrum peccavit, non nisi apud inferos sepelienda est. Non fit injuria volenti. Habere potuisset, quod Deus obtulit pro servitute regnum, pro tenebris lucem, pro dolore gaudia, pro suppliciis coronam: pro fame satietatem, pro infamia gloriam, pro morte vitam, pro inferis cælum. Cùr noluit? cur neglexit, contempsit, rejecit? Habeat ergo, quod stulta elegit, ut habeant alii quod sapienter discant, brevem esse viam, sed longum, lamentabilémque casum à cælo *ad inferos*.

CHORUS

CHORUS ACTUS PRIMI.

ANgeli pacis amarè flebunt. *Isaiæ 33. v. 7.* Super contritione filiæ populi mei. *Thren. 2. v. 11.*

Ecclesia & II. Angeli,

Quia egressus est ab ea omnis decor eius. *Thren. 1. v. 6.*

Ecce! quæ nutriebatur in croceis, amplexata est stercora. *Thren. 4. v. 5.*

Eheu! curavimus Babylonem, & non est sanata. Derelinquamus eam. *Ierem. 51. v. 9.*

EXEGESIS.

§. I.

Lacrimabilis animæ casus.

O Triste spectaculum! ô flebilis aspectus! Currite salsæ ex oculis aquæ, & pallidas rivis calentibus genas mergite. Si desit aqua, vicarias det sanguis guttas. Quis enim, nisi ferreum gerat pectus, hæc videat, & lacrymas contineat? Vel *Angeli*, si dolori, ac mœrori in cælis locus esset, amaro planctu infelicem animæ casum deplorarent. *Flent* interea mecum terrestres *Angeli*, quos animorum tangit cura, & *pacis* Deum inter & homines sanciendæ studium solicitat.

citat. Dolent medullitus, nec tantùm recenti adhuc doloris vulnere ſauciati lugent; ſed & deinceps meam vicem dolebunt, fortíſque humanæ imbecillitatem ſalſis lacrymarum imbribus deflebunt; quoties ſecum volvent ruinam, & infandum interitum, *filiæ* quondam magni Dei, animæ Chriſtianis ſacris initiatæ.

Miſeranda clades, peccatum. *Ierem.* 17. *v.* 18.

O Philothea, ubi es? Anne hoc fœtidum cadaver Philotheam appellare fas eſt? Fuerit aliquando. Ego certè nihil Philotheæ nunc in Philothea reperio. Heu! *duplici contritione contrita eſt*: ut teſta figuli in fruſta & pulverem redacta, miſera corpore, miſerior mente: infelix naturæ damnis, infelicior Spiritûs ruinâ: utrobique læſa, nihil jam ſanum, & integrum habet. Jacet intellectus densâ merſus caligine, voluntas pigro frigore concreta, memoria terrenis ſordibus defoſſa, ſenſus gravi veterno ſopiti, cor mœrore oppreſſum, mens malè conſcia timore proſtrata; vires animi acciſæ, corpus ſceleribus enervatum, membra omnia morbis, doloribus, mortíque obnoxia. O funeſta *contritio*! O horrenda ſtrages! Jacet præterea Fides mortua, ſpes infirma, charitas extincta, juſtitia deperdita, fortitudo everſa, temperantia caſtrata, prudentia infatuata: rectè facta ſine merito, conatus ſine fructu: auxilia diminuta, indulgentiæ inanes, merita intercepta, jus hereditatis æternæ abrogatum. Sic nempe *conteri*, & in nihilum redigi, neceſſe eſt, quem peccatum opprimit! At graviùs adhuc *conteritur*, ſuper quem ira *furoris Domini* tandem incumbit.

2. *Paralip.* 28. *v.* 13.

§. II.

Dolenda metamorphoſis.

HEu *filia*! ſi tamen adhuc filia. Mihi quidem ex Dei filio nata es; Sed Patrem noluiſti agnoſcere: Matrem me

me vocabas; ſed contempſiſti, ut novercam. Fuiſti *filia*; ſed te ipſam impiè emancipâſti: è numero *populi mei* fidei profeſſione videbaris eſſe, ſed moribus eſſe deſiiſti. An infame cadaver habeam pro *filia*? ubi gratiæ ralla? ubi cidaris juſtitiæ? ubi veſtis integritatis? Ubi annuli, torques, murenulæ, JESU nomine, cruore & imagine inſignitæ? ubi lux, candor, puritas? ubi fervor, vigor, vita? Ubi cæleſtis ornatus, filiarum *populi mei* index & teſtis? prô dolor! *egreſſus eſt*, ut primùm ingredi cæpit peccatum: migravit, evanuit.

O inviſa & infauſta rerum viciſſitudo! ô turpis à dignitate *filiarum* Dei dejectio! Ecce! quam Chriſtus divinâ ſanguinis ſui purpurâ, ceu regiâ cyclade veſtivit, fuliginoſa nunc Orci palla involuit? Quæ Angelorum epulis veſcebatur, *porcorum ſiliquis* paſcitur? Quæ inter Dei filias educata fuit, ſpurcis inferorum monſtris exponitur: Quæ nive candidior è ſacro fonte prodiit, in cœno volutatur: Quæ divinis deſtinabatur amplexibus, vah! ſtolidè perverſa ſordes diligit, *ſtercora amplexatur*. Et eheu! quod cumulum malorum auget, ac dolorem, ſuprà quàm dici poſſit, exaggerat, *non eſt* remedio locus, non emendationis ſpes, non pœnitentis animi ſignum. Obſtinatum eſt mali genus, morbus inſanabilis, ſpontanea mentis durities, ſurdæ ad conſilia aures, oculi ad pericula cæci, vires ad meliora nullæ. Quid ergo ſupereſt, quàm ut pereat? Heu dolor! eſſe, qui perire velit.

Malum incurabile, obduratio in peccato.

Quid ergo facimus? an curare pergimus? Sed cur operam perdamus? *Curavimus* quoad licuit *Babylonis* æmulam: adfuit hortator Angelus, pericula detexit Charitas, medicinam naſcenti morbo Chriſtus adhibuit. Quo eventu? infeliciſſimo; contempſit, recalcitravit, in medicum

furens

furens insiliit. *Non est sanata:* quia noluit: *derelinquamus eam*; quia prior deserûit. Nemo sanare potest nolentem. *Curari* nolle, summa est amentia: pœna maxima, sed justa, *derelinqui.* O filia Philothea, Philothea filia! Si curationi non est locus, est dolori. Videat Deus amaras matris lacrymas, & reddat matri filiam. Solus potest è somno mortis excitare, qui semper vivit: solus dare vitam, qui numquam moritur.

PARS

PARS II.

DEI AMOR IN ANIMAM POENITENTEM,

SIVE

PHILOTHEA POENITENS.

N SCE-

SCENA I.

Amor divinus, Angelus.

SVrge, quæ dormis; & illuminabit te Christus. *Ephes. 5. v. 14.* Dissolve colligationes impietatis. *Isaiæ 58. v. 6.* Convertere ad Dominum Deum tuum. *Oseæ 14. v. 2.*

EXEGESIS.

§. I.

Magna Dei misericordia, gratia præveniens, vocans, excitans.

ADhuc jaces Philothea? nondum evigilas! nondum te erigis? quousque in cœno volutaberis? quando lethiferum animæ somnum excuties? quando oculos mentis aperies? quamdiu terræ & terrenis affixa rebus hærebis in luto? Non possum, inquies, mortua quî *surgam*? nisi vitam quis restituat, de me actum est. Rectè hoc quidem. Proclive est labi; *surgere* perquàm difficile. Vitam animæ prodigere, Deíque perdere gratiam, sola poteras; recuperare, nisi cum Deo non potes. Sed bene sperare te jubeo. Est qui manum porrigat: *Surges*, si apprehendas. Tu tantùm ne ipsa tibi desis; & non deerit, qui erigat volentem. Cadere, infirmitatis fuit; pertinaciæ foret, non velle surgere: peccare homines solent; resipiscere soli dæmones non possunt, quia nolunt.

Invitatio ad pœnitentiam.

Surge

Surge igitur ex pessimo lethargo, ignava dormitatrix. Confide, animos sume. Qui te excitat, juvabit: qui vocat, suscipiet. Tuum est parere adhortanti, sursum oculos tollere, terrena despicere, agnoscere errata, detestari malefacta, corrigere perperam gesta, flagitare veniam, offensam obsequiis obliterare. Sic fiet, ut excitante Deo *surgas* à morte, velut à somno: *dormisse* te putes, non fuisse mortuam. Tam enim facile est Deo, te in vitam revocare, quàm dormientem expergefacere.

Lethargus animæ.

Mortua quidem es Deo, tibi vivis: morere tibi, & Deo vives. *Dormis* igitur, quia surgere potes, nondum secundæ morti tradita: si voles, surges: si oculos pandas, affulgebit è cælo radius, *lumine* suo *collustrabit te lux mundi. Sol justitiæ, Christus.* O admiranda Dei bonitas! quem in oculis ferre non poteras, te fert adhuc inscriptam in corde: quem peccando opprimere conata es, hic paratus est te oppressam erigere: cui mortem impia inferre gaudebas, is tibi vitam reparare gaudet; memor sui plasmatis, injuriarum immemor, ad miserandum velox, tardus ad irascendum, etiam non rogatus veniam offert pœnitenti.

Ioan. 8. *v.* 12.

§. II.

BEne habet, sensim attollis caput. Bonum salutis principium est, audire vocem excitantis, humo se attollere, damnare cœnum, deserere volutabrum. Etiam lumina cælo explicas, divinum jubar admittis, omnia suprà infráque inspicis? Jam salva res! Nónne jam alia omnia, quàm priùs, vides? Nempe mundus, Caro, Dæmon, tum fallacibus conspiciliis tibi illudendo, tum nebulâ fumóque rebus omnibus oppanso, oculos cæcando te antè fascinaverant: Nunc, quia Servator tui amantissimus suo fulgore dissolvit fascinum, sincerum fidei tubum aperuit, fumúmque discussit, attonita cernis, quàm propè apud inferos, quàm procul

Initium salutis, divinam lucem admittere.

Miserandum animæ statum agnoscere.

cælo consistas, quàmdiu in lethali crimine sine pœnitudine persistis. Vides profectò hinc inferos patentes, fumum, ignem, monstráque tibi parata; illinc cælum tibi iratum, lucem, gloriam, gaudiáque intercepta. Vides hinc mentem peccatis inquinatam, conscientiam anxiè tumultuantem, dæmonem ex vero scelera accusantem; illinc incorruptam Dei justitiam, violatas à te leges, offensum totius orbis Judicem. Vides quàm vilis, sordida, fallax fuerit voluptas, cui inhiabas; quàm pretiosa, pulchra, solida virtus, quam fugiebas. Vides, quàm breve gaudium quæsiveris, quàm longum tormentum inveneris; unde excideris, quò sis prolapsa: quàm parvo pretio quantum bonum vendideris; quàm modico labore quantam felicitatem potueris adipisci. Vides quàm dura Orci servitus; quàm jucundus Dei famulatus: quàm perniciosa libertas; quàm secura continentia: quàm dulcis & felix Cælitum amicitia; quàm horrenda tartari supplicia: quàm admiranda cæli gaudia, quàm leve Christi jugum: quàm denique infirma, abiecta, insipiens, quæ Deum offendit anima; quàm potens, gloriosa, sapiens, quæ sontes judicat, Majestas. Hinc times, pallescis, contremiscis: timorem sequitur pudor, dolor & justa contra te ipsam indignatio: quæris evadendi viam: quod factum est, infectum fieri velles: retro referre pedem meditaris. Sapienter.

§. III.

Pœnitentiæ vis & excellentia

RES quidem ardua est, cum Deo redire in gratiam; sed facilem reddit pœnitentia. Nemo placare potest iratum, qui non ipse sibi priùs irascitur: facilè autem exorat misericordem, qui culpam damnat, & se ipsum pœnitudine flagellat. Itaque noli despondere animum. Naufraga es; sed quâ ad portum enates, tabulam habes, pœnitentiam. Immunda es; sed quo sordes abstergere possis, balneum habes,

habes, pœnitentiam. Sauciata es, sed quâ animæ curationem facias, medicinam habes, pœnitentiam. Rea es, sed pro advocato, qui tuam quantumvis dubiam agat causam, habes pœnitentiam. Hæc non negando, sed fatendo vincit, obiecta diluit dum accusat: suspiriis flectit Judicem, dolore persuadet, lacrymis perorat. Pœnitentia provocat à Justitiæ foro ad tribunal Misericordiæ, sententiam retractat, supplicem absolvit: & dum se ipsum punit reus, mortis æternæ pœnam avertit; atque ut offenso Numini satisfaciat, è Christi látere cruorem pro lytro depromit. Pœnitentia est, quæ peccatum expungit, gratiam reducit, orco eripit, cælo asserit, Deo vim facit, manus vindices ligat, flammeum extorquet gladium, & ad clementiam paternum pectus inclinat.

Hanc scilicet ipse sibi legem statuit Deus, ut Pœnitentiæ fasces submittat Justitia, olivæ ramo vinciendos; cedátque Indignatio Misericordiæ palmam. Ita enim Jeremiæ in calamum dictavit. *Si pœnitentiam egerit gens, à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* En, quanti faciat pœnitentiam Deus! Quem pœnitere non potest, quia errare nescit, is in gratiam pœnitentium se quoque pœnitentiâ duci ait; dum pœnas justè intentat, sed clementer, ac si pœnituisset, indulget. Neque his contentus, etiam Ezechielis ore effatus est. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur; si autem impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam: vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* En, quanta vis pœnitentiæ! Is, quem nullius rei fugit memoria, ipse sibi oblivionis quasi impingit notam, dum peccatorum non recordatur ad confusionem & pœnam delinquentis; sed meminit ad coronam & gloriam pœnitentis. Quid amplius exspectas? Forsitan magnitudo

Ieremiæ 18. v. 8.

Ezech. 18. v. 18 & seq.

do scelerum te exterret? Sed major est Dei misericordia, quàm tua iniquitas: plus potest ille dimittere, quàm tu peccare. Fortè criminum fœditas te percellit? Sed quam nec Euphrates, nec Oceanus eluere queunt, cordis tui lacryma, cruoris Christi guttula dealbat.

§. IV.

Deus invitat ad pœnitentiam. *Isaiæ 1. v. 16 & seq.*

AUdi, quàm dulciter peccatores ad pœnitentiæ lavacrum invitet: *Lavamini*, inquit, *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, discite benefacere, &c. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Tu ergo, etsi corvo nigrior, quas tibi balneas Pœnitentia pandit, lacteolo cælestis Agni sanguine paratas, ingredere, & niveâ columbâ purior egredieris. Quidquid enim sordium aspersit concupiscentia, abstergit pœnitentia; quidquid veneni visceribus infudit malesuada corporis voluptas, extrahit resipiscentis animi compunctio. Sine hac non est ulla salutis spes peccanti: per hanc secura ad gratiam recuperandam via est de offensa Numinis dolenti.

2. Tim. 2. v. 20. & Rom. 9. v. 21. Cælitibus mirè jucundam. *Luc. 15. v. 7. & 10.*

Hæc thaumaturga quotidiano prodigio non tantùm deploratis animi morbis medetur, vulnera sanat, vitæ restituit, contra lethiferos serpentis morsus alexipharmacum præbet; sed & mirabiles facit metamorphoses: dum scoriam in aurum, *vasa fictilia ad contumeliam* convertit *in vasa aurea ad honorem*, inferorum carbones in Empyrei cæli stellas. Hæc dæmonibus luctum, Angelis gaudium, Christo parit triumphum: hæc æterno Patri gloriam, Filio sponsam, Spiritui Sancto templum restituit. Hanc ergo sacram prehende anchoram, resipisce, dole, veniam pete, & *erit* majus *gaudium coram Angelis Dei in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent*

indigent pœnitentiâ. Quis hac voluptate privare velit beatos Cælites? Fatere crimina, deteſtare, ſuſpira, & Servator tuus qui te dolens perdidit, ánxiè quærit, ſuaviter vocat, velut ovem perditam inveniet, inventam *humeris imponet*: triumphali carmine ſibi tibíque applaudet, & in partem lætitiæ vocabit omnes Cæleſtis aulæ incolas, feſtivis modulis cantando: *Congratulamini mihi, quia invéni ovem meam, quæ perierat.* Quis non gaudeat his portari humeris? quis non feſtinet tanto ſuo bono, Deo gaudium parare, æternis olim gaudiis remunerandum?

Luc. 15. v. 6.

§. V.

AT erubeſcis. Si culpam, ſi maculam, ſi tuam inſaniam; rectè: ſi pœnitentiam, confeſſionem, pœnam; ſtultè. Erráſſe turpe fuit; errorem agnoſcere glorioſum potiùs eſt, quàm vituperabile. Quis ſanæ mentis vulnus non erubeſcit, ſed vulneris medicinam? quem peccáſſe non puduit, pudeátne reſipiſcere? qui à via aberravit, an viam relegere verecundatur? qui debitum grande fatendo expungere poteſt, an pudore vincitur, ne fateatur? Et quid fateberis, niſi quod antè tibi, Angelis, Deo, vel etiam mortalibus notum, negare non potes, & olim, cælo terráque audienre, fateberis convicta? Si plagam detegis, curationi locus eſt; Latens in occulto malum fruſtra fatigat Archiatrum. Ingenua confeſſio delicti, eſt medicina morbi.

Peccatori non indecoram.

Deliquerat olim Rex & vates David, fœdatus adulterio & homicidio; ſed faſſus eſt crimen, & abolevit. Vix dixerat: *Peccavi Domino*, cùm mox audivit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Peccaverat Magdalena, puella nobilis, probroſâ morum licentiâ; ſed non erubuit in alienam domum ad convivas irrumpere, lacrymis, planctu, ſuſpiriis Chriſto ſe ream agere, atque ideo accepit clementiſſimam

Sed honorificam.

2. *Reg.* 12. v. 13.

Luc. 7. v. 48. Math. 26. v. 75. Ioan. 21. v. 17. Actor. 9. v. 6. v. 15.

tissimam absolutionis sententiam: *Remittuntur tibi peccata.* Graviter lapsus erat Petrus Apostolorum Princeps, perjurii & Apostasiæ reus; sed *egressus flevit amarè.* Ita perennibus lacrymis scelus palàm fecit, & diluit, adeóque Vicarias Dei partes in terris obire jussus, supremæ potestatis munus suscepit, divino senatûs-consulto tertiùm repetito: *Pasce oves meas.* Impiè crudelis erat Saulus, & in ipsum mundi Servatorem injurius, Christiani nominis hostis juratus, & cruentus persecutor; sed de cælo tactus resipuit, damnavit errorem, ad omnia paratus: *Domine, quid me vis facere?* inquit, primum in numero peccatorum se publicè descripsit, atque hac sua confusione veniam adeptus in Doctorem Gentium evasit hoc diplomate. *Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus.* Hos ergo, Philothea, séquere Pœnitentiæ Magistros. Gloria erit, tantos sequi Duces: erubescendus pudor, à gloriosis eorum vêstigiis pudore absterreri.

§. VI.

Quem verè peccâsse pœnitet, peccati laqueos solvit.

JAm manus complodis, cor feris, & ex imo pectore ducis suspiria. Gaudeo; quia hæc pœnitentis animæ sunt indicia. Procul ergo damnosam habes erubescentiam. Laudo. Sed super-est, ut vinculis & sarcinâ te expedias, quæ liberum tibi incessum adimunt. *Dissolve* igitur *colligationes impietatis:* excute durissimum mundi jugum: exue blandos lenocinantis voluptatis laqueos: abjice adamantinas pravæ consuetudinis catenas: rumpe ferreas Dæmonis numellas, dolosa sociorum retia, infaustas amicorum compedes, fallaces occasionis & periculorum hamos, quibus ad scelerum voraginem violenter abriperis, & in peccatorum barathro constricta detineris. Hæc sunt, quæ tibi manus ligant, ne facias, quod decet, bonum: quæ pedes stringunt, ne viam justitiæ ambules: quæ oculos & aures obnubunt,

ne

ne rectè videas, vel audias: quæ cor occupant, ne illud ad Conditorem eleves, quæ denique te cum *impietate* arctissimo nexu *colligant*, ut faciliùs rumpendo, quàm retexendo *dissolvas*.

Periculosa est inter blanditias mora. Uno ictu vitiorum retinacula incidere decet: arduum quidem facinus, sed pulchrum, & heroibus familiare. Quod si tantùm masculæ virtutis non habes, ut tot uno impetu inimicos jugules, saltem singulari certamine modò hunc, modò illum prosterne, & vincula, quæ rumpi non possunt contorta, dissue, & absque labore franges dissoluta. Ægrè quidem *dissolvitur*, quod amore conglutinatur, voluptate astringitur. Sed amorem mundi vincat amor Numinis, odium impietatis: desiderium salutis, fuga damnationis: voluptatem elidat cæli lætitia, dolor pœnæ: virtutis suavitas, reatûs amaritudo.

Generosus animus etiam abrumpit.

Jucundiora sunt vincula divini amoris, quàm terrenæ voluptatis: quem *pietas* complectitur, feliciter *colligatur*. Non habet quod *dissolvat*, sed quod fortiùs astringat, pro jugo libertatem Spiritûs, pro laqueis virtutum monilia, pro catenis meritorum balthea, pro sociis Cælites, pro amicis Angelos, quibus *colligari*, est beari. *Convertere*, & experimento disces pœnitentiam, divini Timoris filiam, sapientiæ cælestis initium & finem, radicem & coronam, esse super mel dulcem, *& non habere amaritudinem conversationem illius*: dulces esse pœnitenti lacrymas, jucunda corporis supplicia, sapida ventris jejunia, & setosa vestium tormenta præ serico exoptata, atque ita *te conversâ* simul omnia tecum *converti*.

Sap. 8. v. 16

§. VII.

AN tibi grave sit, converti *ad Dominum Deum tuum*? an durum sit, fluxa, & caduca mundi bona dimittere, durabilia & æterna sectari? terrena despicere, cælestia complecti? tenebras aversari, lucem quærere? Annon æquum

Conversio veræ index est pœnitentiæ.

est odio habere malum, bonum amore prosequi? à creatis rebus oculos animúmque avertere, totâ mente & viribus in Deum ferri? Primus enimvero *conversionis* gradus est, ab iis, quæ perditè amaveras, averti. Non potes eodem oculo terram simul ac cælum intueri; nec ad Orientem versare faciem, nisi Occidentem deseras. Et possis uno corde duos fovere hostes? uno spiritu contrariis adhærere amoribus? ad diversa simul centra moveri? ad unum ergo seu polum, seu centrum animæ, necesse habes *converti*. Quò autem servus se *convertat*, nisi *ad Dominum?* quò filia nisi ad Patrem? quò ægra nisi ad medicum? quò naufraga nisi ad portum? quò anima nisi ad Deum? O felix *conversio*! cùm à faucibus inferorum peccatrix anima revertitur: cùm Deo, cui sacrilegè se subduxit, pœnitendo piè restituit: cùm injuriam, quam intulit, obsequiis compensat: cùm admissas impiè noxas spontaneis suppliciis castigat, sui ipsius judex, & carnifex: cùm seipsam odit, ut Deum amet, & quia amat, offendisse dolet: cùm amor parit offensæ timorem, dolor nascitur ex amore.

Vera conversio, peccati vindex.

Illa namque seria est *conversio*, quam præteritæ vitæ severa sequitur expiatio, ut pudeat deinceps pœnitenda facere: voluptas sit, voluptatis odio flagrare: gloria, omnem gloriolæ umbram fugere: unica libertas, divinis se rebus mancipare. Illa demum vera est *conversio*, quâ crapulam punit abstinentia, somnum arctant vigiliæ; quâ risum, jocos, nugas proscribit luctus; luxum temperat parsimonia: pompam accidit modestia: tergum atterunt flagella: linguam frænat prudentia: aures oculósque coërcet verecundia: quâ manus in pauperes effundit, quod gulæ subtrahit: pes servire pietati properat, quem antè iniquitas fatigaverat: cor amore Dei æstuat, quod olim sceleratis ignibus conflagrabat: tota anima in sacrata Christi vulnera, tutissima pœnitentium asyla, se abscondit, quæ prius in mundi sinu

ſinu & vitiorum taberna deliteſcebat. Sic ergo, Philothea, *convertere*, & Judicem convertes in *Patronum*, *Dominum* in Patrem, *Deum* in Sponſum. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, inquit ipſe, qui nec falli poteſt, nec fallere. O admiranda rerum converſio! magnes ferrum, quò vult, verſat: homo Deum ad ſe convertit. Tantum poteſt reſipiſcentis animæ pœnitudo.

Zachar. 1. v. 3.

SCENA II.

Philothea.

PEccavi ſuper numerum arenæ maris, & non ſum digna videre altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatis meæ. *Breviar. ex Orat. Manaſſ.* Peccavi, Pater, in cælum, & coram te: & non ſum digna vocari filia tua. *Luc. 15. v. 21.*

EXEGESIS.

§. I.

Pœnitētis animæ ſui ipſius inſpectio.

HEu me! quid feci crudelis & impia? quò calamitatis devéni infelix & ſtulta? Heu me! ubi locorum fui? quid vidi miſera & ſceleſta? Ubi nunc dego? quid agò perdita & deteſtanda? Si me ipſam inſpicio, quid niſi lacunam ſordium, ſcaturiginem vermium, colluviem vitiorum video? Si cælum intueor, quid niſi tot actores & vindices, quot lucentes in illo faculas numero? Si terram aſpicio, quid niſi delictorum meorum teſtes, & ruinæ auctores cum gemitu cerno?

Et ego, dum in hoc mundi theatro ita sordidata & rea compareo, non confundar, non erubescam? Imminente jamjam vertici meo ultore gladio non contremiscam? non expallescam? Quid faciam? quò me vertam?

Angustiæ.

Peccavi proh dolor! non est inficiandi locus. Eum offendi qui nihil nescit: illum agnosco Judicem, qui omnia videt: Te scilicet Deus. *Quò itaque ibo à Spiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam?* nisi ab irato ad placatum? placabo lacrymis, quem irritavi peccatis. *Confitebor ergo adversum me injustitiam meam Domino, & ipse remittet iniquitatem peccati mei.* Te, magne cæli terræque Rector, supplex adoro, majestati tuæ tremens & pavida me submitto, & quamvis justitiæ tuæ rigorem, quem commerui, formido; clementiæ tamen dulcedinem, quâ sum indigna, spero & imploro. Agnosco nunc demum meam, Deus, impietatem; tu quæso ignosce: accuso scelera, & me condemno; tu ea dissimula, & absolve: me ream sisto, & pœnæ subjicio; tu, obsecro, veniam concede, & parce. *Peccavi*! lugens doléns que fateor: sed, ô utinam! ante vivendi finem, quàm initium peccandi fecissem. Nunc pudet, fuisse impudentem; dolet, fuisse impiam: detestor perfidiam, obstupesco insaniam, execror & odi, quæ in nefas me impulit, voluptatem.

Psal. 138. *v.* 7. *Psal.* 31. *v.* 5.

Fiducia & dolor.

§. II.

Pœnitentis animæ sui ipsius accusatio.

Psal. 146. *v.* 4. *Iob.* 4. *v.* 18 *Soph.* 1. *v.* 12. *Psal.* 74. *v.* 3

PEccavi: an fortè semel, iterum, tertiùm? eheu! Tu, Deus meus, *qui numeras multitudinem stellarum*, numerum nôsti peccatorum. Tu *qui in Angelis tuis reperisti pravitatem, qui scrutaris Ierusalem in lucernis, qui justitias judicabis*, erratorum pondus & multitudinem tenes; ego quî sciam? ah! quoties oculi tam lubrici vagíque proditores, aspectu? aures semper patulæ & curiosæ charybdes, auditu? lingua volubilis & effrænata bestia, verbo? gula insatiabilis & delicata vorago, cibo potúque à recto me abduxerint? ah!

ah! quoties manus, pedésque ad malum proni & celeres, consueta malitiæ instrumenta, agendo vel otiando deliquerint? quoties memoria, malarum tenax imaginum, prodiga bonarum custos per reminiscentiam vel oblivionem occultè noxam contraxerit? ah! quoties intellectus, tam periculosum quàm inquietum animi vehiculum apprehendendo, judicando, ratiocinando à veri & honesti linea deflexerit? quoties voluntas cælestium inanis, terrenarum plena cupiditatum officina, jam amore vel odio, fugâ, vel desiderio: jam gaudio vel dolore, spe vel desperatione: modò timore, audaciâ, irâ exorbitaverit?

Nónne meritò exclamo? *Delicta quis intelligit?* nisi tu? *qui cognovisti sessionem meam: intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam & funiculum meum investigâsti?* Quia ergo numerus peccatorum meorum me fugit, sicut & arenæ littorum, ne justò minùs dicam, ausim dicere. *Peccavi, super numerum arenæ maris.* Quod deest in numero, accrescit in pondere, quia arena ad fundum maris deprimit, quem gravat; peccatum orco immergit, quem premit. Si tu, quot numeras errata, tot exigas tormenta: quid me fiet? quis erit pœnarum finis? quid obtendam? quid dicam? nisi cum Davide. *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.* Sed, si rectè novi bonitatis tuæ indolem, *superexaltat* tuum *misericordia judicium*, transcendit justitiam & temperat; dum cohibet, illustrat, & clementiæ conjunctam, ut sol oppositam sibi lunam, serenat.

Psal. 18. v. 13.
Psalm. 138. v. 2. & 3.
Psalm. 118. v. 137.
Iacob. 2. v. 13.

§. III.

Iusta verè pœnitentis verecundia.

ET ego tam densis innumerabilium peccatorum nubibus obvoluta *videre altitudinem cæli* præsumam? Non sinit tanta erratorum moles oculos attollere. Quin, etsi possim, fas non est; si liceat, non decet. Altissimum cæli theatrum spectet digna barathro peccatrix? pulcherrimam stellarum

larum regiam, tot maculis deturpata tigris? felicissimam beatorum aulam, tam infelix captiva? augustam Numinis sedem, adeò vile dæmonis mancipium? exoptatissimam filiorum patriam, profuga & contemptrix ancilla? Est aliqua cælum videre voluptas, non ergo cónvenit scelestæ. In terram rea defigat oculos, quam adamavit: cui, quod ex ea corpus accepit, reddet: neque hoc etiam spectaculo digna. Sed in horrido terræ centro paratas sibi contempletur flammas, dignum scilicet facinorosis spectaculum.

At ignosce, cæli Rector clementissime, si furtim eò provolat oculus, quò suspirat animus, licèt indignus. Est etiam cælum spectare pœna. Quis enim videat, quod perdidit, & non doleat? quis se tam nobili domicilio exclusum audiat, & non erubescat? quis tam vastæ splendidæque molis artificem secum cogitet, & tantæ majestatis ac potentiæ Regem toties, támque graviter à se offensum non formidet? Pátere ergo ut eminus aspiciam, quod negatur intueri cominus. Juvat vel solus cæli aspectus, etiamsi cruciet: corroborat fidem: dum delectat, spem auget: dum invitat, accendit charitatem: dum timorem incutit, ciet lacrymas, suspiria extorquet: grave pœnitentis animæ supplicium, sed & non leve resipiscentiæ incitamentum.

§. IV.

Vix audet Deum vocare Patrem.

SI Patriam cerno, Patrem mente recolo. Ah! quid imprudenti excidit? nimiùm dulcis est hæc memoria, excelsa nimis appellatio. Metuo vocare Patrem, quem exspecto Judicem. Si *filia* ego essem, haud gravatè tu Pater & esse & dici velles. Sed quia *peccavi in cælum & coram te*, quomodo te compello Patrem meum, *qua non sum digna vocari filia tua?* An si *filia* essem, in Patrem injuria forem? an *coram te*, in tuis oculis seditiosa & impudens mali aliquid molirer? an tibi pugnarem, & teste cælo ad tuos hostes

hoſtes deficerem? Quis ſervus inſpectante heró delinquit? quis furum nequiſſimus cernente Judice ſacrilegas templo manus injicit? Si non movet reverentia, terret pœna. Et *ego peccavi in cælum* & Cælites, te vidente; peccavi *in te*, cælo Cælitibúſque arbitris; & *vocari* velim *filia?* fui quondam, quod non ſine dolore commemini, & fuiſſe gaudeo; ſed quid juvat, ſi non contingat rurſum eſſe, quæ vellem numquam non fuiſſe?

Quid dicam? *Peccavi Pater*: da veniam amori. Niſi enim te amarem, de tua non dolerem offenſa. Quæ non ſum *filia*, deinceps ero. Agnoſco Patrem, adoro Deum. Neque dicas, te quondam fuiſſe Patrem. Confiteor equidem cum univerſa peccatorum fæce: *Ecce tu iratus es, & peccavimus. Facti ſumus ut immundus omnes nos, & cecidimus quaſi folium univerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos. Et nunc tamen Domine, Pater noſter es tu: nos verò lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Ne ergo iraſcaris, Domine, ſi dicam: *Opera manuum tuarum ne deſpicias; vulnera manuum tuarum, precor, ut inſpicias. In manibus tuis deſcripſiſti me; aſpice ſcripturam, & ſalva me.* Si rejicis peccantem, admitte pœnitentem, ſeu filiam Pater, ſeu Dominus ancillam.

Iſaie 64. v. 5. 6. 8.

S. Auguſt.

EGo Dominus, ego Pater? Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Si Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? *Malach. 1. v. 6.*

Chriſtus.

EXEGESIS.

§. V.

QUâ fronte Dominum me tu? quâ oris impudentiâ Patrem compellare audes? Si *non* es, *digna vocari filia*, ut ipſa rectè judicas, quomodo vocas me *Patrem*? An eſſe poteſt

Juſta Dei indignatio contra peccatorem.

poteſt ſine *filia Pater*, ſine ſervo *Dominus*? an qui ſummè bonus eſt, eſſe Pater malorum? Fui enimverò *Pater*, quando te filiam ſum expertus: cùm tu degenerâſti, tunc & ego Patrem exui, ut Judicem, ut vides, vel invitus induam. Si ergo me *Dominum* appellas, ſi *Patrem* dicis, tuo te calculo damnas; dum herile jus, & patriam mihi poteſtatem concedis, ſed ancillam filiámque ſubtrahis, quam hoſti & tyranno venditam alienâſti.

Quia magnus Dominus. *Pſ.28.v.3. Pſal.23. v.10. 1. Reg. 1. v.11. 2. Mach.1. v.24. Gen. 24. v.7. Pſal.7.v.10 Dan. 3. v.55. Pſal.9.v.5. Iudith.7. v.20. Apoc.22. v.12.*

Numquam equidem non ſum *Dominus*: ſemper ſum maneóque *Pater*, ſempérque haberi vellem, quod ſum. At ſi *Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus*? Sum *Deus Majeſtatis*, *Rex gloriæ*: an meus te perculit fulgor? Sum *Dominus exercituum, terribilis & fortis*: an mea te exterruit potentia? Sum *Dominus cæli* & terræ, vitæ & necis, corporis & animi: an mea te coërcuit poteſtas? Sum *Dominus ſcrutans, corda & renes, & intuens abyſſos*: an mea te frænavit ſapientia? Sum *Dominus judicans juſtè, vindicans iniquitatem, & reddens unicuique ſecundum opera ſua*: an mea te concuſſit tremenda juſtitia? Non *timet*, qui petulanter in *Dominum* delinquit, qui juſſa proterit, minas flocci facit, perſonam invadit, auctoritatem convellit, & hoſtibus ludibrium facit. *Vbi eſt ergo timor meus*, qui tantæ debetur majeſtati? quem tanta exigit potentia & poteſtas, tanta requirit ſapientia & juſtitia?

§. VI.

Incõparabilis Pater. *Matth. 5. v.48. Iac.1.v.17. Ioan.17. v.11. Iſaia 9.v.6. Ephe.1.v.17*

NOnne, qui nec æſtimat, nec timet Dominum, meretur vindicem? qui nec amat, nec honorat Patrem, dignus eſt tyranno? At ſum ego *Pater*, & quidem *cæleſtis*: an eſſe poteſt nobilior? ſum *Pater luminum*: an ullus illuſtrior? ſum *Pater ſanctus*: an ullus dignior? ſum *Pater futuri ſæculi*: an ullus tam longæus, & in amando conſtans? Sum *Pater gloriæ*: an ullus tam ſublimis, & dignus reverentiâ? Sed ubi

ubi debitus tantæ excellentiæ *honor* & cultus? Quære ditiorem, si potes, Patrem: *Meus est orbis terræ.* Quære pulchriorem: *speciosus formâ præ filiis hominum* ego sum. Quære dulciorem: *Spiritus meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum.* Quære teneriùs amantem: *deliciæ meæ cum filiis hominum.* Quære liberaliùs ditantem: *Ego in viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Si verò parem, non dico majorem, ne cogitare quidem potes, cur immensa tanti Patris opulentia, divina pulchritudo, dulcedo infinita, amor inexplicabilis, in- inexhausta liberalitas à te honorem non impetravit, amorem non expressit? *Filius* certè *honorat Patrem, & servus Dominum,* barbarus licèt, ex æquo barbarum; Tu verò me? An honor est, conspuere? an amor, vitæ insidiari? Nihil addo, ne Actoris potiùs personam, quàm Judicis sustinere videar. Tibi, Justitia, de crimine quid sentias, de pœna quid statuas, liberè pronunciandum relinquo.

Psal. 49. v. 12.
Ps. 44. v. 3.
Eccli. 24. v. 27.
Proverb. 8. v. 31.
Proverb. 8. v. 21.
Malach. 1. v. 6.

Justitia.

DEum qui te genuit, dereliquisti, & oblita es Domini Creatoris tui. *Deut. 32. v. 18.* Recessisti à Deo Salutari tuo. *Ibid. v. 15.* Immolâsti dæmoniis, & non Deo. *v. 17.* Crucifigens tibimetipsi Filium Dei. *Hebr. 6. v. 6.*

EXEGESIS.

§. VII.

Divinæ Justitiæ severitas.

QUid trepidas scelesta? in manus tandem meas incidisse doles? nemo illas effugit, qui non antè timuit. Quisquis peccare audet, me vindicem tergo hærentem habet. Ego video velatis oculis, quidquid uspiam peccatur. Hinc Actore non egeo, Patronum non admitto. Ipsa ego scelera,

ſcelera, ut æquis afficiam pœnis, & numero, & expendo. Tua quoque in numerato habeo, quorum te ipſam fugit numerus. Sed ne juſto ſim longior, ad unum omnia revoco. Elige infelix quodcumque lethale crimen volueris, à te vel ſemel perpetratum, & ego illud non modò atrox, turpe, & deteſtandum eſſe oſtendo; ſed & adeò quidem multiplex ac varium evinco, ut nec uno ſolùm nomine dici, nec ſimplici poſſit ſupplicio plecti. Quodcumque mihi dederis, in illo velut in hydra unica quinque ſaltem capita majora cæteris recenſeo. Nam & *Deum, qui te genuit, dereliquiſti*. En! impietas in Patrem. Et *oblita es Domini Creatoris tui*. Ecce! contumelia in Dominum. *Receſſiſti à Deo Salutari tuo*! Quid hoc niſi apoſtaſiam putem? *Immolâſti dæmoniis, & non Deo.* Quî iſtud niſi idololatriam interpreter? *Crucifigens tibimetipſi Filium Dei.* Quid hoc niſi parricidale Deicidium dicam? Negas?

In uno peccato multiplex malitia.

At non negabis te cum filio prodigo, quotiescumque lethaliter peccâſti, amorem Patris ex animo proſcripſiſſe, violâſſe leges, ſpreviſſe conſilia, ædibus paternis exceſſiſſe, facultates turpiter dilapidâſſe, degeneri vitâ maculam tuo nomini aſperſiſſe. Annon ergo Patrem impia *dereliquiſti*?

Impietas in Patrem,

Non certè negabis, te cum ſervo nequam excuſſiſſe jugum, *bona Domini diſſipâſſe, bibiſſe, manducâſſe cum ebrioſis.* Ita peccâſſe palàm, ac ſi Dominum neſcires, te ipſam ex nihilo formâſſes, & à potenti manu Dei non penderes. Annon ergo contumelioſè *oblita es Domini Creatoris tui*? Domini, inquam, quo nemo Regum potentior, nemo juſtior, ſapientior nemo: quem tota cæli curia timet, univerſa mundi machina tremens adorat, & agnoſcit Conditorem? Quomodò inficiaberis te cum Proditore Juda veſtigia, mores & doctrinam optimi Magiſtri deſerûiſſe? viliſſimo pretio vendidiſſe Servatorem? ad nefarios illius hoſtes turpi transfugio defeciſſe? vix inanem Chriſtiani nominis umbram ſervâſſe? ſalutem

Perfidia in Dominũ. *Matth. 24. v. 43.*

Apoſtaſia.

ſalutem animæ terrenis quisquiliis poſthabuiſſe? ingratam immemorémque pretioſi pro te effuſi ſanguinis vixiſſe? Itaque deteſtandâ proditione *receſſiſti à Deo Salutari tuo*; ab illo quidem Salvatore, qui tuæ ſalutis causâ ſanguineo ſudore maduit: flagella, ſputa, ſpinas ſubiit: crucem, clavos, lanceam tulit. Nega, ſi potes, tibi cum epulone pro Deo fuiſſe Mammonam, chara tibi numina Bacchum & Cererem: te ſæpius ventri, quàm cælo ſacrificâſſe, nummis ardentiùs, quàm ſuperis devotam, fortunæ & voluptati magis, quàm Deo ſupplicem, impenſiùs coluiſſe Veneres, quàm Cælites. *Immolâſti ergo dæmoniis, & non Deo.* Hem! *dæmoniis*, quibus belluis? quàm nefandis ſpiritibus? quàm crudelibus tyrannis? quàm execrandis monſtris? *& non Deo*: qui ex æquo ſummus & maximus, ſicut unus ita & optimus, tam terribilis eſt quàm Sanctus. Nega denique ſi potes, te cum perfida Judæorum gente mitiſſimo Redemptori cordolium peperiſſe, quando cor illius impietatis telo trajeciſti? vulnera renovâſſe, cùm vulnerum, pretium peſſumdediſti? Barrabbæ JESUM poſtpoſuiſſe, cùm, ut nequitiæ conſorti rem gratam faceres, Servatori ægrè feciſti? Crucem, mortémque intentâſſe, cùm ſcelera non niſi cruce mortéque Chriſti expianda deſignâſti. Palàm eſt ergo, *te crucifixiſſe tibimetipſi Filium Dei*: Filium Patri coævum, *cui data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra:* Filium Patri dilectum, *in quo ſibi bene complacuit:* Filium, lucis æternæ ſplendorem, *in quo omnes theſauri ſapientiæ ſunt abſconditi; imò tota divinitatis inhabitat plenitudo.*

Idololatria

Parricidiū.

Matth. 28. *v.* 18.
Matth. 12. *v.* 18.
Coloſſ. 2. *v.* 3
Coloſſ. 2, *v.* 9

§. VIII.

NUnc itaque quid exſpectas, niſi ut te repudiet, quem tu antè *dereliquiſti*? ut ex mente & libro te ſuo deleat, cuius tu prior *es oblita*? ut te ſalutis aditu æternùm prohibeat, à quo tu perfidè *receſſiſti*? ut dæmoniorum unguibus

& focis te relinquat, quibus te ſacrilegè *immolâſti*? ut te perennibus addicat cruciatibus, quem tu ignominiosè crudelitérque *crucifixiſti*? Is *te* quidem cælo *genuit*; at tu te ipſam Orco tradidiſti: is te ex nihilo omnipotenti dexterâ *creando* eduxit; tu peccando, te ad nihilum redegiſti: is ad te de cælo deſcendit; tu usque ad gehennæ barathrum ab eo te elongâſti: ille, ut ſibi cor & animum litares, te fecit; tu totam ex aſſe victimam te inferorum Principi conſecrâſti: ille te per Crucem ad gaudia transferre voluit; tu per momentaneas voluptates ad perpetuam in ſtyge crucem tranſire maluiſti: Quia ergo peccare tibi ludus fuit, ſummum perire ſtudium: peri.

Philothea. QVis dabit capiti meo aquam? & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte. *Ierem.9.v.1.*

EXEGESIS.

§. IX.

Submiſſio pœnitentis animæ. *2. Corinth. 1.v.3.*

PArce, ô bonitas immenſa! O pietas æterna, parce! *O Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis*! parce, parce: cohibe, quæſo, manum: reconde fulmen. O me infelicem! cui nil niſi perire ſupereſt: imò ſi Juſtitiam audis tuam, Deus, jam perii. Sed pereámne tuo, divino appellata nomine, redempta ſanguine, ſanctiſſimæ Triadis imagine inſignita? Fateor *peccavi*, ah! peccavi, quando divinas transgreſſa leges in ſenſuum involavi illecebras: quando excuſſo Numinis jugo, peſſimam affectavi libertatem: quando Conditoris mei ſigna deſerûi, ad dæmonis caſtra transfugi: quando cæleſtibus abuſa donis, gratiæ divinæ margaritam perdidi, tuam, Deus, inquinavi imaginem animæ meæ impreſſam: quando ſacroſanctum redemptionis

Confeſſio.

pretium

pretium frustrando nihil minus feci, quàm qui tuam conspuunt majestatem, tua refricant vulnera, sanguinem conculcant. At, *si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* *Psal. 129. v. 3.*

Agnosco Domine & me ipsâ judice, non immeritò derelinquor contemptrix stolida: jure electorum tuorum albo expungor obliviosa rebellatrix: culpâ meâ repellor à te perfida, condemnor sacrilega, suppliciis mactor æternis parricida. *Sed quid facies magno nomini tuo?* Sum rea: non diffiteor; esse pudet, pœnitet fuisse. En! ut *operuit confusio faciem meam, timor & tremor venerunt super me!* in infimam vilitatis meæ abyssum me abjicio, medullitus doleo, corde compungor, mœrore torqueor, indignatione maxima contra me ipsam efferuesco, & efferata insurgo. *Iosue 7. v. 9. Psal. 68. v. 8. & 54. v. 6.*

Tundite pectus impium scelestæ manus, vellite sacrilegum caput nefandi digiti, lacerate inverecundas genas ultrices palmæ, pulsate illotum os feroces pugni. At quantulum est istud? ubi gemitus? ubi lacrymæ? quomodò sine lacrymis rigidum Justitiæ pectus mollescat? *Lacrymæ* vim cælo faciunt, oculorum imbres emolliunt, cordis internuncii, doloris amorisque testes gratiam, veniámque extorquent. Dolor sincerus.

Erumpite ergo imis è præcordiis suspiria, eluctamini singultus, & veluti ruptis aggeribus ex utroque oculo lacrymarum rivuli vos evoluite. At non sufficiunt rivi, non torrentes, non flumina. Si desint *fontes*, facilè siccantur. O ergo aliquis Eridanus, aut Ister in caput influat, & per oculos se egurgiget! O utinam Tigris aut Ganges aliquis in corde mihi nascatur, & per bina oculorum ostia se exoneret! Utinam tota fiam *mare, & omnia flumina intrent in me,* ut inde per caput redundent. Expedit sic liquescere, & in *aquas* dulciter amaras abire, ne peream. Lacrymæ cordis. *Eccles. 1. v. 7.*

Sed

Sed quis dabit capiti meo aquam jugiter manantem? non Pontus aut Oceanus: *quis* perennes *oculis meis lacrymarum fontes*? non tellus aut orbis. Et tamen perpetuis opus est *aquis*, inexhaustis indigeo *fontibus*, ut meas eluam plorando maculas, & divinæ sopiam incendia indignationis. Amor potest, quod nequit Oceanus: dolor dabit, quod tellus negat. *Plorabo die ac nocte*; quia nocte diéque amans dolebo, dolens amabo. *Nocte lacrymis meis stratum meum rigabo*; quia amo, quem offendisse doleo: interdiu *cinerem tamquam panem manducabo, & potum meum cum fletu miscebo*; quia offendisse doleo, quem amo. Atque ita inter alternas amoris dolorísque vices *plangam & ululabo*.

Ex amore.

Psal. 6. *v.* 7. *Psalm.* 101. *v.* 10. *Mich.* 1. *v.* 8.

§. X.

Propter offensam Dei.

MAgna plangendi causa mihi est, dignissimum ululatu argumentum, offensus Deus; etiam si non foret iratus. *Plorans* ergo *plorabo*, *& lacrymæ* semper erunt *in maxillis* meis, quia *peccavi*, prôh dolor! filia scelesta in dulcissimum, quem amo, Patrem: ancilla nequam, in clementissimum, quem colo, Dominum: vilissima putredo, in supremam Numinis, quam adoro, Majestatem. *Plorabo die ac nocte*: quia doleo; totísque animi medullis plorans dolebo, quia amo. Utinam, ô utinam semper amâssem. At peccavi, vermis in Conditorem, quem amo: cinis in Moderatorem universi, quem diligo: umbra in solem justitiæ, quem suspicio: nihil, & si quid est nihilo minus in æternitatis fontem, quem desidero: peccatrix in eum, qui me redemit: in Deum, ad quem suspiro.

Plorabo die ac nocte, quia summum amo bonum, sed summo offendi malo: amo infinitam Dei sapientiam, sed heu! stultè contempsi: amo dulcissimam Numinis clementiam, sed heu! impiè neglexi: amo immensam Regis potentiam, sed heu! perditè irritavi: amo antiquissimam cæli pulchri-

pulchritudinem; sed heu! terrenis sordibus nimis turpiter posthabui. *Plorabo die ac nocte*, quia infelix ego anima insurrexi in Deum beatissimum: impia in sanctissimum: pauperrima in ditissimum: in immortalem caduca: in gloriosissimum obscura: in summum, optimum, maximum injuria fui, ego minima, pessima, infima mundi fæx, & vappa: ego terræ fœnum, lutum, catharma: ego inferorum torris, sanies, sentina. Hæc mihi dolorem creant, ô piissime JESU! hæc lacrymas eliciunt. Et quia numquam satis plorare potero; dum vixero, *plorabo*: Si vis, non tantùm lacrymas, sed sanguinem pro sanguine dabo. Interea meas cum tuis lacrymis confundo, & Misericordiam imploro.

DOmine, cui proprium est misereri semper & parcere: parce. Domine, cuius miserationes super omnia opera eius: miserere. *Ex Breviar. & Psal. 144. v. 9.*

Misericordia, Bonitas Pax, Angeli.

EXEGESIS.

§. XI.

QUid hoc rei est? audis Misericordiam appellari *Deus propitius, misericors, clemens, & longanimis, & multæ miserationis, & patiens*, & nondum flecteris? Pœnitentem, lacrymis immersam, dolore oppressam, gemitibus planctúque fatigatam intueris animam, & non moveris? Rea fuit; at jam est misera: offendit, at modò amat: insanivit, at nunc resipiscit. Quî ergo miseram spectare potes, & non misereri?

Patrona Pœnitentiæ Misericordia. 2. *Esdr.* 9. *v.* 17. *Psalm.* 144. *v.* 8.

Non est calamitas peccato major, non peccatore quisquam miserabilior. Miserere ergo miserrimæ peccatricis, parce pœnitenti, da veniam roganti. Ita supplicant pro ipsa

Summæ bonitati proprium est parcere.

ipsa Cælites, compellat Misericordia, tua te cogit Clementia. Tu certè solus es, *cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est.* Quid ergo divinius, quàm misereri? quid grandius, quàm parcere? Non nescis, soli proprium esse, ut fulgeat; igni, ut calefaciat; ceræ, ut liquescat; at *Deo proprium esse, misereri semper*, semper *parcere*, precibus exorari, lacrymis moveri, flecti pœnitentiâ, quódque mortales, nisi à Deo discant, nesciunt, offensas negligere, vindictam non sumere. Et ultionem etiam justam cogites, & quidem in hostem prostratum, & supplicem? Tu fons clementiæ? tu pietatis abyssus? tu gratiæ Oceanus? Tu bonitas ineffabilis? tu dulcedo incomprehensibilis? tu ipsamet misericordia prima? essentialis & æterna? Absit hoc à te. Antè desines esse Deus, quàm bonus; & priùs mundi machinam dissolves, quàm cesses in pœnitentes esse pius, qui etiam *cùm iratus fueris, misericordiam facies*! qui cùm parcis, gaudes; tristaris, cùm castigas: ubique locum tempúsque invenis miserendi.

S. Leo serm.

Tob. 3. v. 13.

§. XII.

Misericordia ubique eminet.

QUidquid agas, clementer agis: & meritò servare amas miseros, qui solus miser esse non potes. Quid umquam magni molitus es, cui non pro coronide fuerit miseratio? Spectabilem hunc creare mundum, potentia fuit; sed è nihilo eductum tuo implere Numine, miseratio. Diluvio mergere scelestos, justitia fuit; sed centum annis antè monuisse, & reliquias servâsse, miseratio: universum orbem Romanis armis subjugare, suprema auctoritas fuit; sed eâdē operâ tuo quondam in terris Vicario parare sedem, miseratio: Divinam humanæ naturam in eadem persona jungere, sapientia fuit; sed hac arte genus omne mortalium perditum instaurare, miseratio: cælum propria virtute transcendere, majestas fuit; sed illud terrigenis clausum pandere, ibique locum

locum parare, miseratio. Ita Misericordia, te volente, ubique imperat, omnibus se operationibus immiscet, *super omnia* eminet; quia *potentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestat.*

Majoris enim est virtutis, supplicibus parcere, quàm animadvertere in rebelles: summæ res est gloriæ, beneficum fuisse, etiam in indignos. Annon plus ad gloriam facit tuam David post adulterium sanctus, quàm Jeroboam damnatus? plus Petrus post culpam Ecclesiæ caput, quàm Judas inferorum esca? plus Magdala post lapsum gratiæ restituta, quàm Jezabel canibus obiecta? Ergo dum miseram cernis, *miserere*; quia supplicem habes, parce.

Dei potentiam maximè declarat.

SI acuero, ut fulgur, gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes. *Deuter. 32. v. 41. & 42.*

Iustitia.

EXEGESIS.

§. XIII.

NOn ita fiet. An frustra gladium porto? cur omnipotentem habeo dexteram? ad quid gravidam sagittis pharetram, & justi furoris tela? An sontes ferire nefas? Si fas est, cur non ferio? Indigna est miseratione, quæ tremendam Dei majestatem non timuit: clementiam non meretur, quæ sapientiam saniora suadentem explosit. Sat hucusque datum est Misericordiæ, tandem sit & suus Justitiæ locus: volent in hostile caput *sagittæ potentis acutæ*: ruat super odiosum verticem *gladius iræ furoris Domini.* Non

Rigor justitiæ peccatori fatalis.

Psal. 119. *v.* 4.

Ierem 17. *v.* 11. & 13.

emendavit pia conniventia petulantem, pessumdet ergo justa severitas frustra ejulantem. Sat diu ove miti pacatior consceleratam argui, minas intentavi, gladium intra vaginam coërcui: An mirum sit, si nunc denique exasperata, & tigride ferocior ad ultionem prosiliam? Si quæ tam diu de ridiculo fui, nunc tandem eò graviùs plectam irrogatas Numini injurias, quò lentiùs?

Gladius.

Rumpam ergo moras, vibrabo *gladium* excusso *fulgure* celeriorem, tonitru sonantiorem, fulminis instar penetrantem, *usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque & medullarum.* Hunc impia toties acuit, quoties deliquit, & ego si nunc limavero, si sententiâ decretoriâ, ceu fatali cuspide armatum *acuero*, si *arreptâ* trutinâ justi *judicii* culparum pondus expendero, ac visâ tandem, *manibúsque meis* exploratâ criminum gravitate omnem indignationis flammam in perduellem effudero, si terrificum illud telum excussero: *Discede à me maledicta in ignem æternum*; tunc enimvero tot támque execrandas Dei offensas *ulciscar*: habebo ut *hostem*, quæ amica esse noluit, *reddam* quas meruit, pœnas. *Mihi vindicta* soli concessa; quia soli Justitiæ suprema data est auctoritas. Et si homini illatas ulciscor injurias, dissimulem in Dei majestatem admissas? Quid ergo prohibet, quin feriam, quæ etiam feriendo justa sum, imò & pia; dum semper minorem culpâ pœnam exigo. Cur non insurgam, ut justis certem odiis, *cum his qui oderunt me?* atque id quod per injuriam passa sum, jure optimo *retribuam*, pro contumelia dedecus, pro flagellis supplicia, pro immortali odio mortem?

Hebr. 4. v. 12.

Matth 25. v. 41.

Rom. 12. v. 19.

§. XIV.

Ad ictum paratus.

TUum tremende Judex, exspecto nutum. Ut primùm jusseris, ictum faciam. Næ ego castigabo multiplicem injuriam non uno supplicio, sed variis, ut par est, tormentis;

mentis; quibus mea turget ira, ceu pharetra *sagittis*. Alia nunc eminus torquebo, ut repentinis corporis animíque malis invisum caput obruam: sic, sic indignationis meæ *sagittas* jam à mundi exordio nocentem haurire sanguinem doctas hostilis animæ cruciatibus, veluti cruore, non leviter modò tingam, sed velut *ebrias* implebo ad saturitatem. Nunc alia exonerabo cominus: & sicut invicta bellatrix per cadavera grassatur; sic *gladius meus* vibratus omnipotenti brachio resecabit ab æterno Dei Beatorúmque consortio scelestam, mactabit, occidet, & *devorabit* immolatam justo furori meo hostiam, ceu *carnes*, ignibus æternis quondam unà cum execrabili inquilino spiritu cremandas.

Sagittæ super arcum.

Sic discant mortales immortale Numen pio metu venerari: discant & exclament: *tu Deus terribilis es, & quis resistet tibi? terribilis in consiliis super filios hominum*; discant, *& dicant Deo: quàm terribilia sunt opera tua Domine? tu solus es Rex, solus præstans, solus justus & omnipotens, & æternus*: discant, & cum pavore fateantur: *Horrendum esse incidere in manus Dei viventis*, qui *respicit terram, & facit eam tremere; tangit montes, & fumigant: columnæ cæli contremiscunt, & pavent ad nutum eius, quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Si parcis, nemo inde fiet melior, sed proterviam pariet impunitas. Pereat una, ne plures pereant.

Psal. 75. v. 8
Psal. 65. v. 5
Psal. 65. v. 3
2. Mach. 1. v. 24.
Hebr. 10. v. 31.
Psal. 103. v. 32.
Iob. 26. v. 11
Iob. 25. v. 6.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. *Psal. 6. v. 1.* Miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam. *Psal. 50. v. 1.*

Philothea.

EXEGESIS.

§. XV.

Vera pœnitentia nullam refugit pœnam.

QVia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis. Merui, quas Justitia intentat, pœnas. Non una

Gen. 18. v. 27.

una sufficit mors, non unum tot sceleribus tormentum. Si centies me inferis addicas, si æternis mactes suppliciis, si in nihilum reducas, sive, quod adhuc gravius est, divino conspectu tuo perenniter excludas, non habeo quod querar, non incusabo Justitiam, *non contradicam sermonibus Sancti*, non obsistam. *Dominus universorum tu* es, meritò ardescis irâ, non sine causa *ignis est succensus in furore tuo.*

Iob.6.v.10 *2. Mach. 14. v. 35.* *Ieremiæ 15. v. 14.*

Sed quidquid mihi contingat, non laboro; de tua autem, quam olim contempsi, gloria, non parùm nunc solicita, vereor, ne minùs gloriosum tibi sit ulcisci, quàm parcere: *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris.* An id supremæ Majestati tam honorificum est, quàm bonitati infinitæ consentaneum foret *sanare contritam corde.* Si me æternùm damnes, ubi gloria, ubi laus ex me tua? Nónne ut laudem te, fecisti me? fateor, non laudavi te; laudare tamen cupio, & in omnem sæculorum æternitatem, si peperceris, laudabo. At, *non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.*

Nisi æternam in stygem. *Iob. 13. v. 25.* *Luc. 4. v. 18.* *Psal. 113. v. 17.*

Absit igitur, ut pœna mea decerpat aliquid de gloria tua: dicique possis *in furore tuo* sententiam tulisse, castigásse *in ira*; sicut qui, efferuescente circa cor sanguine, cæco ruit impetu, ut vindictam sumat. Non est quidem furori apud te locus, non iræ tam ferocienti; furorem tamen exercere, irámque præ te ferre videris, cùm velut implacabilis & exorari nescius, ad ultionem prosilis, pœnásque in tartaro decernis exolvendas, quantumvis justas. Pone ergo indignationem, & audi supplicantem: tempera furorem, & parce pœnitenti: plecte nocentem, sed sine inferis.

Quæ est ira Dei maxima.

Acerba satis eheu! pœna fuit, quâ vitam gratiæ perdidi, mors prima! quàm gravis ergo pœna foret, eâ perpetuò carere, quæ est mors secunda? Hîc ure, hîc seca: nihil suppliciorum detrecto; sed ad perpetuos hostes tuos ablegari formido.

formido. Si parcere lex prohibet, pietas legis gratiam facit, & *misereri* jubet. Magna eſt tibi Juſtitia, ſed *Miſericordia* ex æquo *magna*, & eò quidem illuſtrior, quò calamitas mea gravior. Hanc appello, ad hanc clementiæ tuæ aram confugio: iſtam ſalutis meæ anchoram prehendo, iſtam flebili ejulatu propitiam reddere non deſiſto, ſed donec exaudias, clamo.

§. XVI.

DEus, *cuius miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus*; Aperi, quæſo, pietatis viſcera, effunde clementiæ fontes, prome miſerationum gratiæque divitias, & *miſerere*: quantumvis dederis, nihil omnino perdes. *Tu veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator* ignoſce, obſecro, dele culpam, mitiga pœnam, da peccatrici, quam tu amas, illa flagitat, ſalutem: largire veniam, & reportabis gloriam. *Tu omnium Conditor & Redemptor*, noli, precor, noli abjicere, quam tuâ imagine feciſti inſignem: refice deformatam, eripe captivam, libera tam carò emptam, ſerva tantopere ab æterno tibi adamatam.

Supplicatio pœnitentis animæ.

Aſpice Patris æterni pectus ineffabili clementiâ plenum, qui ſicuti *culpâ offenditur*, ita *pœnitentiâ placatur*; filium, etſi prodigum, ad paternos pedes revertentem *ad huc à longè videt, miſericordiâ motus accurrit, & cadit ſuper collum eius.* Adverte, & *miſerere*. Aſpice divini Spiritûs præcordia, infinito amore exundantia, qui *benignitate ſuâ ad pœnitentiam adducit*, & columbæ inſtar pro pullo mœrentis *gemitibus inenarrabilibus* indulgentiam pro mortalibus *poſtulat*, quos juſtitia premit, tenet pœnitudo. Obſerva, & *miſerere*.

Luc. 15. *v.* 20.

Rom. 2. *v.* 4

Rom. 8. *v.* 26.

Quid multa? Aſpice mitiſſimum cor tuum, miſericordiæ theatrum, pietatis domicilium, regium benignitatis & dulcedinis gazophylacium, quod humana de cælo traxit miſeria, *non* quidem *vocare juſtos, ſed peccatores.* Illud conſule,

Matth. 9. *v.* 13.

Ad Christi sanguinem confugientis.

ſule, & in meam cauſam uno verbo perorare audies, & dicere: *miſerere.* Quidquid tui aſpicias, pro me patrocinari vides; quia mihi redimendæ datum natúmque non ignoras. Tuas ergo tibi ſiſto lacrymas, tuos gemitus, tuos ſudores pro me fuſos, & oro, *miſerere:* Tuam tibi famem, ſitim, æſtum, frigora: tuos greſſus, labores, vigilias, jejunia pro me exantlata præſento, & rogo, *miſerere:* Per funes & catenas, quibus pro me ignominioſè ligatus es: per flagella & virgas, quibus barbarè cæſus: per ſpinas & ſentes, quibus crudeliter pro me redimitus: per fel & acetum, quibus pro me impiè cruciatus: per clavos & lanceam, quibus pro me immaniter confoſſus: per vulnera denique & dolores, per Crucem & mortem, quibus pro me immolatus es, quæſo & obteſtor; *miſerere.* Si mihi aurem negas, ſanguini præbe tuo, & audi *melius, quàm Abel, loquentem.* Sic enim pro me declamat.

Hebr. 12. v. 24.

§. XVII.

Oratio ſanguinis Chriſti ad Chriſtum pro peccatore.

NOn novus Orator ad te venio, divine Iudex, conſuetus ſcilicet pœnitentium Advocatus. Cauſam ago jam ferè deploratam, ideóque non niſi Oratori, qui omnia apud te poſſit, perorandam. Audies, ut ſpero, pronis auribus Verbi ſanguinem, etiamſi taceat; diſertum: verba ad te facientem, quæ eò minùs fucata ſunt, quò magis ex ſuo fonte purpurata prodeunt: fidem non ægrè faciunt, quia è Veritatis pectore promanant: nec leve momentum habent, quibus ipſa divinitas pondus addit. Dixit Juſtitia contra ſontem animam, accuſavit Veritas; Actores, quibus contradicere nefas. Interceſſit tamen Miſericordia, ſupplicavit Pœnitentia, ſubmiſit ſe rea, ſatis dare parata eſt, me denique vadem & Patronum implorat. Suſcipio igitur cauſam, & facio, ut abſolvat Juſtitia, quam damnavit: Veritas excuſet, quam convicit.

Neque

Neque hoc mirum, ego namque ille ſanguis *clamo ad cælum*, & veniam peccatrici poſtulo, qui ſanguis virgo, qui ex virgine ſumptus, qui Dei Filio vitam ſervavi, qui in tam divinis venarum canalibus triginta tribus ampliùs annis perpetuo fluxu corpus vegetavi, qui tandem maximo mortalium ſcelere, flagellis expreſſus, ſpinis extractus, clavis & lanceâ exhauſtus, effuſus in terram, calcatus pedibus, pro totius orbis ſceleribus abundè ſatisfeci. Etſi enim delictum peccantis ex parte ſit immenſum; tam excelſa tamen dignitas eſt ſatisfacientis, ut nullos omnino limites admittat.

Offenſus eſt Deus, fateor; Sed Deus injuriam abolevit, pro homine pœnas dedit, vitam cum ſanguine rependit. Ponderet Juſtitia culpam, appendat in bilance guttam: An non extollet gutta culpam? Quod ſi gutta facit, quid faciant fontes, rivi, flumina divini ſanguinis? non diluant quodcumque ſcelus? non extinguant iram? Da ergo veniam ſonti, parce ſupplici, admitte ad gratiam: quam ſi ipſa non meretur, jure ſuo poſtulat ſanguis, & ſanguis Dei. Si virginitatem amas; ſi innocentiam, ſi modeſtiam, ſi obedientiam æſtimas; virgineus te ſanguis obſecrat: innocens, modeſtus, obedientiſſimus cruor te orat: parce. Aſpice; quot guttas vides, tot verba numeras: quot vulnera hiant, tot ora clamant, per quæ te compellat miſeræ quidem Patronus, ſanguis verò tuus: qui dum orat tantùm non imperat: quia cor tuum in poteſtate habet, cordis inquilinus. Ream itaque abſolves, ut ſanguis tuus triumphet.

Nolo

Miſericordia.

NOlo mortem impii, ſed magis, ut convertatur, & vivat. *Ezech.33.v.11.*

EXEGESIS.

§. XVIII.

Unica reorum ſalus, Miſericordia.

PErorata cauſa eſt, Chriſte, atque, ut video, ex animi ſententia tui. Triſtia fugantur fronte nubila, divini ſerenantur oculi, redit dulcedo ori, Majeſtas ſociam admittit charitatem, totum pectus clementiam ſpirat, & miſericordiâ liqueſcit. Jam meditaris verba melle dulciora, modò in fronte tua lego ſententiam: ſcio, quid ſis pronuntiaturus: id nempe, quod ſemper Miſericordia ſuggerit: *Nolo mortem*; quia vita ſum: Odi quidem vitam impii, quia ſanctus ſum: ſed perdere *nolo*; quia bonus ſum: ad frugem revoco, quia ſum via: pœnitenti veniam, quam ſpopondi, præſto, quia ſum veritas. Cùm plecto, invitus gladium diſtringo: cogit protervia ſævire; exulto cùm pœnitentia defendit impium, & ultricem inhibet manum. Minas accumulo, ut *convertatur* impius: ferrum, mortémque oſtento, ut *vivat*. Si mortem peccatoris vellem, non ipſe ego morti me victimam pro peccatis obtuliſſem: pro *impii* ſceleribus pœnas ego non dediſſem. *Vt convertatur*, ducem me præbui: *ut vivat*, vitam poſui. Numquid ita Chriſte ſentis? Paternè ſcilicet, atque prorſus divinè. Et meus quoque hic eſt animi ſenſus. Sic Deum ſummè bonum & loqui & ſentire decet. Non pereat anima, quæ perditè vixiſſe dolet: revertatur ad Patris ſinum, quæ à mundi, carnis, dæmoníſque tyrannide eſt *converſa*: *vivat*, quæ deinceps Deo vivere, & mori mavult, quàm peccare.

SCENA

SCENA III.

COnfide filia: Remittuntur tibi peccata tua. *Matth. 9. v. 2. & 22.* Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Ioan. 5. v. 14.*

Christus, Amor divinus.

EXEGESIS.

§. I.

BOno ſis animo, Philothea. Non poteſt perire, quem ſanguis meus defendit; non evadere, quem accuſat. Patronum elegiſti omnipotentem. Movet pœnitentia lacrymas, lacrymæ bullientem in corde meo ſanguinem ſedant: ſanguis Miſericordiam, hæc Juſtitiæ rigorem flectit. Ignoſco injurias, inferos condono, in gratiam te recipio. Sed hoc meo debes ſanguini, qui pro pœnitentibus gratiam, pro obſtinatis vindictam clamat. *Confide*, Veritas tibi ſpondet veniam, quam impetravit ſanguis meus, inclamavit dolor tuus. Nihil dubita. Abſolvo te debito, quod expunxiſti, quando ſanguinis mei pretium ex meis vulneribus venísque hauſtum mihi obtuliſti.

Admiranda Chriſti bonitas peccata condonantis.

Quâ patitur ſibi de ſuo ſatis fieri.

Euge! *filia*, reddo tibi Patrem: *peccata*, quantumvis multa & grandia, libens *remitto*, *poſt* tergum meum *projicio*, ac ne illa *tegi* ſolummodò, aut per diſſimulationem *non imputari* credas: Ecce! *abſtuli à te iniquitatem tuam*: ne quoque abominandus remaneat nævus, ſpongiam meo ſangui-

Iſaia 38. v. 17. *Zachar. 3. v. 4.*

 ne

Coloss. 2, v. 14.

ne tinctam induco, & unâ liturâ deleo: *lacero chirographum, quòd adversum te erat decreti, & affigo illud Cruci*: pristino te gratiæ loco restituo, & filiarum numero adscribo. Erige te humo, exporrigo frontem, animum serena. Hoc te momento denuo mihi cælóque natam crede; imò inferis ereptam intellige & gaude.

§. II.

Non minùs stupenda est peccatoris in pristina scelera labentis vecordia.

AT enim, cave, ne in antiquam redeas silvam. Peccâsse satis est, peccare deinceps fuge. Turpe est, ad cænum post balneas iteratò festinare: stultum, vulnera vix dum coalita refricare: periculosum, quam modo evomuisti pestem, resorbere. Qui sæpe per ignaviam cadit, tandem non surgit. Qui semel ustulatus est, deinceps ignem, si sapit, cavet. Et possit quis esse tam demens, ut ex divini sanguinis lavacro vix egressus ad pristinas peccati sordes revertatur? modò ex orci faucibus extractus, in easdem iterum iterúmque sponte insiliat? An eò impietatis venire quis possit, ut, quem vix dum placavit Judicem, rursum invadere, & è medio tollere connitatur? An pœnitentia fuisse censenda est, quæ mox iterum committit pœnitenda? Non est hoc Christiani hominis; imò ne hominis, nisi humanam indolem exuti. Vidisti locustas? animalia fœda, parvo & acuto capite: ventre grandi, pedibus longis? quoties in pedes se erigunt? quoties in altum se librant? sed mox denuò in terram prono ruunt corpore, donec in terra computrescant.

§. III.

Ex homine facit locustam.

ANnon eos homines, qui modò peccatis expiati humo se attollunt, & mox dolendo casu in easdem scelerum sordes relabuntur, locustas rectè dixeris? Est certè illis caput parvum; quia Christianæ parum prudentiæ: os grande

de & acutum; quia superbiâ, invidiâ, irâ, dolísque plenum: venter capax & turgidus, quia impudicitiæ crapulæque assuetus: sunt oculi prominentes ac turgidi; quibus exteriora vident, interna negligunt: pedes longi & inæquales, quibus *in utramque partem claudicant*, & recti justíque limites identidem transiliunt. Quid ergo mirum, si toties recidant? si cadendo semper imbecilliores tandem non surgant ampliùs, meritóque illis dicat Justus vindex. *Quæretis me, & non invenietis, & in peccato vestro moriemini?*

3. *Reg.* 18. *v.* 21.

Et tandem omnino incurabilem.

Non invenient, quia malè quærunt. Pessimè quærit, qui serò nimis. Non frustra monuit meo jussu vates: *Quærite Dominum, dum inveniri potest.* Frustra tandem quærit, qui toties inventum malè perdidit. Tu ergo, Philothea, cave, sis locusta. *Peccâsti, filia; non adjicias iterum.* Vel semel irritâsse tremendam Dei Majestatem, plus nimio est: quin & de *propitiato peccato noli esse sine metu*: ne veluti morbus post medelam redux graviùs te prosternat: *sed & de pristinis vitæ erratis deprecare, ut tibi dimittantur.* Quò sæpius fuerint deplorata, eò certiùs erunt expuncta. Noli esse post beneficium ingrata, post lapsum incauta, obliviosa post discrimen. Filiam te esse memento, & Patrem experiere.

Ioan. 7. *v.* 34. & 8. *v.* 21.
Isaiæ 55. *v.* 6.
Eccli. 21. *v.* 1.
Eccli. 5. *v.* 5.
Eccli. 21. *v.* 1.

Philothea.

LAva me, Domine, ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. *Psal.* 50. *v.* 4. Sana me, Domine, quoniam infirma sum. *Psal.* 6. *v.* 3. Sana me, & sanabor; salvam me fac, & salva ero. *Ierem.* 17. *v.* 14.

EXEGESIS.

§. IV.

Cura purioris vitæ post veniã.

NUnc tandem, ô clementissime Deus, respiro, & ad paternum gratiæ sinum adspirare audeo; nunc demum non

non ſecus ac pelicani pullus patrio conſperſus ſanguine in vitam redeo, & auctori vitæ cor meum offero: anhelo ad amplexum dulciſſimi Patris, quæ modò pavida ſeveri fulmen Judicis præſtolabar. Sed adhuc magna me prohibet verecundia: tua me terret Majeſtas, immundam ſcilicet, ſauciatam, & infirmam. *Lava* ergo *me*, *ſana*, *& ſalva me.*

Non mihi ſuas affundat aureas Pactolus aquas, non argenteas Párana undas: nolo dulces è niveo lacte balneas, nolo odoratas ex Cretico vino thermas. Quid enim afferant emolumenti? Corpus lavare queant, non animum. Sed tuo, precor, ſanguine *lava me*. Ille, ille tuus cruor pro me fuſus, qui tibi mortem, mihi vitam attulit, ſolus, dum lavat, mundat. Nec opus eſt undâ, ſufficit gutta, ut omnem aboleat *iniquitatem meam*, & quibuſcumque *peccati* ſordibus mentem illico *mundet*. Agnoſco nunc denique, quàm deteſtanda ſit criminis lethalis macula. Omnem ergo ſceleris umbram odi & execror, ideóque ſemper dubia formido, ne ſatis munda ſim, & iterum iterúmque clamo: *lava me*, *ſana me*, *ſalva me.*

Meritis & gratiâ Chriſti.

§. V.

Peccati reliquiæ.

AD hæc tametſi omnis mortifera culpæ labes per ſanctificantem gratiam ſit abſterſa, ſímque tui ſanguinis beneficio juſta & munda; manent tamen nimis eheu! deformes neſcio quæ peccati notæ. Quis enim non indignè ferat infamiam ſemper peccatoribus aſperſam, reatum pœnæ in hac vita perſolvendæ impoſitum, probroſam tot retrò annorum malè perditorum memoriam, innumerabiles quoque erratorum venialium nævos? *Lava* ergo *me*, & has aliáſque id genus ſordes deterge. Porrò reddidiſti quidem gratiæ ſtolam, beneficio immortalibus encomiis digno. At verò cernis, quàm fœda non minùs quàm periculoſa reſtent vulnera, à Mundo, Carne, Dæmone inflicta? Hem qualis plaga,

plaga, cupiditas effrenis in petulanti corpore, perversitas in depravata mente? quàm pestiferum in memoria ulcus, oblivio perniciosa boni, recordatio flagitiosa mali? in intellectu ignorantia, errorum vomica; in voluntate amor proprius, scelerum scaturigo? Et hæc ergo vulnera tuam exspectant, Domine, curationem, ideóque efflictim rogo: *Sana me.*

Vulnera.

De imbecillitate mea quid dicam? *Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago; quoniam* scilicet *infirma sum.* Tu nôsti, Redemptor optime, quàm languida mihi sit fides, quàm spes enervis, quàm accisa charitas: non te fugit, quæ mea sit ad cælestia tarditas, ad terrena proclivitas: in bonis inconstantia: quot, quantíque habitus mali, passiones incompositæ, intemperiæ mentis. Ad quem ergo, nisi ad te, JESU, medicum recurram? Quis mihi velut ex unguibus lethi ereptæ, hasce mali reliquias tollet? quis nisi tu, vires robúrque addet? quis in bene cæptis constantiam dabit? Ad te igitur confugio, tuam imploro mirificam manum, te oro & obtestor; *Salva me.*

Imbecillitas. *Rom.* 7. *v.* 19.

§. VI.

TU etenim es ille Samaritanus, & custos sanctissimus, qui *hominem*, imò genus humanum universum, *à latronibus* tartari *spoliatum, & plagis impositis semivivum relictum videns, misericordiâ motus, alligâsti vulnera eius, infundens oleum & vinum?* Quin ergo meas quoque alligas, & inungis plagas? quas si ligaveris, ex integro *sanabor.* Tu es grandis ille medicus, qui ad grandem ægrotum toto orbe jacentem de cælo descendisti: de quo Pater cælestis per vatem olim dixit: *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol justitiæ*, sicut Phœnix, *& sanitas in* radiis, ceu *pennis eius.* Et mihi ergo radium indulge. Si aspexeris, *sanabis*: si tetigeris, *salvam facies*: si dixeris, si volueris, sat est; beabis, &

Sed à Christo medico curantur. *Luc.* 10. *v.* 33.

Malach. 4. *v.* 2.

& salva ero. Mox ad imperium tuum cessabunt symptomata, fugient angustiæ, prostratæ vires convalescent.

Morbi animæ.

Fac ergo omnipotens Medice, vitæ mortísque Domine, ut desinant tam molestæ cupiditatum febres, fugiat torporis pessima paralysis, procul absit lupina gulæ esuries, maculosa avaritiæ lepra, fœda libidinis scabies, malignus invidiæ livor, belluinus iracundiæ furor, miserabilis relabendi epilepsia. Quid plura? Peritus Medicus non nescit, quid ægro prosit, quid desit. Hoc unum itaque supplex flagito; *Salvam me fac*, quo autem facias id modo, tibi relinquo. Salvator es, *salvam* me velis, & indubiè æternùm *salva ero.*

Christus.

ECce sanavi te, & lavi te; vestivi te, ornavi te: *4. Reg. 20. v. 5. Ezech. 16. v. 8. 9. 10. 11.* Charitate perpetuà dilexi te; ideo attraxi te miserans tui. *Ierem. 31. v. 3.*

EXEGESIS.

§. VII.

Miseratio multiplex, peccatoris justificatio.

PLacet mihi, Philothea, hoc tuum placendi mihi studium: laudo curam, quâ postulas exquisitum animi candorem: probo, quem concepisti, sanctum peccati horrorem & odium. *Ecce*, quàm sint faciles meæ piis precibus aures, quàm mite pectus, quàm immensa clementia! Pone metum: de mea, quam exposcis ope, bene spera. *Sanavi te*, ut ægram medicus: *lavi te*, ut infantem mater: *vestivi te*, ut Filiam Pater: *ornavi te*, ut amicam sponsus: quódque cælum, terra, mare, & inferi mirantur, meis te *sanavi* vulneribus, *lavi* sanguine, *vestivi* gratiâ, *ornavi* purpurâ, ut tibi parcerem, non peperci mihi. *A planta pedis usque ad verticem non fuit in me sanitas*, ut te sanarem. *Intraverunt*

Isaiæ 1. v. 6. Psal. 68. v. 2, 3. 4.

aquæ

aquæ usque ad animam meam : infixus ſum in limo profundi : véni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me, ut te lavarem. Scurræ & carnifices nudârunt, *conſideraverunt, & inſpexerunt me, diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*, ut te veſtirem. Ego, ego *factus ſum vermis, & non homo : opprobrium hominum, & abjectio plebis*, ut te ornarem. Quid amplius requiras?

Pſal. 21. v. 19. Ibid. v. 7.

Juſtitiæ ſtolam, quam perdideras, nunc quoque te indui; adhæc cæleſtis regni hereditatem, quâ excideras, reſtitui; divinæ te conſortem naturæ denuo feci : immenſos meritorum theſauros tibi patefeci, ut quantum volueris, haurias. Ergo & reſiduos peccati nævos, reliquias morbi, vulnerum cicatrices, quod in me eſt, abolevi : tibi, ut meis ſnmptibus, tuo lucro expungeres, reliqui. Hæc ipſa tamen *ſanavi* vulnera, dum meorum tibi vulnerum malagmata exhibui : Has quoque *lavi* maculas, dum pretioſum mei ſanguinis balneum paravi : *veſtivi, & ornavi te*, quando contra omnes animi ægritudines gratiæ meæ auxiliis abundè te inſtruxi. Tu his útere in rem tuam, & nullæ oberunt peccati reliquiæ. Ego, qui vitam dedi, adjiciam robur : pugnanti, & laboranti adero; non quidem ſpectator otioſus, ſed dux fortiſſimus, & commilito fidelis.

§. VIII.

Perpetua Dei in hominem charitas.

ANnon hæc eſt ſincera *charitas*? quam perduellibus in Orco ſpiritibus ſemel prolapſis, numquam exhibui, neque præſtabo in omnem, quàm longa eſt, æternitatem? Quid verò tu ad tam nobiles naturâ genios? niſi quod talpa ad Aquilam, pulvis ad gemmam comparatus? Cur ergo in te meam tam largiter effudi clementiam, in illos juſtitiam obfirmavi?

Te nempe *dilexi*, antequam eſſes, atque ideo, ut eſſes, volui. Jam ante orbem conditum, de te, ut conderem,

cogitavi,

cogitavi. Dilexi, non quod eras, ſed quod te facere meditabar, meæ ſcilicet imaginem divinitatis. *Dilexi te*, cùm omnipotenti brachio te condidi, cùm conditam ſervavi, vivifico cruore ſordidam mundavi, immenſo captivam pretio redemi: cùm cæli viam dubitanti meis ſignavi veſtigiis, aberrantem corripui, ſuſtinui petulantem: *Dilexi*, quando turpiter prolapſam denuo erexi, reluctantem amicâvi, paterno affectu, clementiâ prorſus divinâ ad frugem, ad pœnitudinem, ad meum te complexum potenter ſuavitérque *attraxi*. Annon hæc eſt *charitas perpetua*? quæ ante ſæculorum myriades cæpta, finem non habebit, niſi tu peccando quæras, & in ſceleribus perſeverando invenias. Tu ergo, quem ab æterno diligere, ſi potuiſſes, debueras, ſaltem, quod potes, conſtanter dilige, ut æternùm diligas.

Philothea. QVid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? *Pſal. 115. v. 12.* Diligam te, Domine, fortitudo mea: firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. *Pſal. 17. v. 2. 3.*

EXEGESIS.

§. IX.

Satisfactio & gratus pœnitentis animus.

QUàm magna, quàmque admiranda ſunt tua, Deus, in me beneficia? quàm multæ, quámque inſignes tuæ, JESU, miſerationes! quibus ego verbis tuæ dona gratiæ adumbrem, quæ nec animo complecti, nec cogitatione aſſequi ſatis queo? quas tibi grates, quæ obſequia, quáſque laudes, & reciproca dona offeram? Si grates ſint æquandæ beneficiis, quid dabo? infinitas, quas debeo, non invenio. Ergóne ingrata vivam, ingrata moriar? mors eſt ingratam

vivere

vivere, pœna ingratam mori. Dabo itaque universas, quas habet tellus, divitias: dabo, quascumque mundus pollicetur, delicias: dabo fasces & tiaras, sceptra & coronas, regna & imperia. At si omnia dedero, quid dedi? Adjiciam ergo vires, & membra corporis, famam, & existimationem, ingenium, & scientias, libertatem & arbitrium, sanguinem & vitam, mentem & animam, quidquid sum, & possum, quidquid habeo & scio; Sed si cuncta ad pedes tuæ Majestatis abjecero, quid tandem tibi, quod antè tuum non sit, offero? De meo quid dabo, quæ millies me ipsam tibi debeo! de tuo si dedero, quomodo me gratiam exhibeo?

In Deum liberalis.

Sed hæc gloria est tua, quòd omnia tua sint; nemo suus: quòd omnes omnia tibi debeant; tu nihil ulli. Hæc tua est ineffabilis charitas, ut des, quod tibi detur, quódque jure tibi debitum est, tamquam gratuitò oblatum accipias. Lubens ergo meam fateor egestatem, tuam adoro largitatem. Sic quod dedisti, ego retribuo; quod dedi, tu retribuis: sic certamus dando, pugnamus accipiendo: tu gloriosè vincis; quia semper das, & nihil accipis: ego feliciter succumbo; quia semper accipio, nihil do. Dabo tamen, quia das, ut dem: *retribuam, quæ retribuisti:* & quidem in compendio, sed longo; charitatem scilicet perpetuam, pro *perpetua*: quâ me *dilexisti* & diligis, *charitate.*

Reddendo quod accepit.

§. X.

SAtis dat, qui tribuit, quod potest: omnia largitur, qui seipsum impendit. Nihil reservat, sed totum effundit in amatum, qui verè amat. *Diligam* ergo *te Domine*, unum, verum, summum bonum: *Diligam te* sapientiam, potentiam, clementiam æternam: *Diligam te* unicum principium & finem meum, lucem & vitam, gloriam & beatitudinem meam. *Diligam* te Patrem suavissimum, Dominum justissimum, Regem Regum sanctissimum: *Diligam* te Ducem

Charitate vera & perpetua.

1. Ioan. 3. v. 18.

& Magiſtrum, Medicum & Servatorem, Deum meum & omnia. Diligam non *verbo & lingua, ſed opere & veritate.*

Bonis plena propoſitis.

Faciam ſcilicet, quod jubes, fugiam quod prohibes: feram quæ voles, dabo quæ petes: Sanctus amor tui jugulabit perverſum mei amorem: Memoriam tua occupabit Majeſtas, intellectum claritas, charitas voluntatem. Tua me paſcet doctrina, accendet exemplum, conſumet Sacramentum. Similem me tibi faciet non celſitudo, ſed humilitas: non divitiæ, ſed opum contemptus: non libertatis ſtudium, ſed obedientiæ jugum: non deliciarum aucupium, ſed patientia ærumnarum.

In Deo tamen fundatis.

Pſalm. 17. v. 30.

Niſi hoc te modo dilexero, fallor & fallo, ſi, quòd te diligam, incauta dixero. *Tu fortitudo mea* facis, ut audeam, *& in Deo transgrediar murum*, ſeu ferreum, ſeu igneum: *tu firmamentum meum* dabis, ut immobilis in amore perſiſtam, *& non moveantur* ullo turbine, fluctu, laqueo *veſtigia mea: tu liberator meus* proprii amoris extrahes inſidiis, vinculíſque exolves; ut te unum, ſemper, ubique, in omnibus, fortiſſimè, ardentiſſimè puriſſiméque diligam. Heu! nimis frigidum eſt dicere: *diligam.* Jamiam diligo, neque deſinam diligere, cùm vivere ceſſavero: quem viva dilexi, *diligam* moriens, quámque in terris incepi *charitatem perpetuam*, in cælis non abſolvam; ſed ut ſemper te amem, tota tranſibo in amorem: in te ſcilicet, ignis in ignem: charitas creata pulveris, in increatam Numinis charitatem.

CHORUS

CHORUS SECUNDÆ PARTIS.

MIsericordia & Veritas obviaverunt sibi: Iustitia & pax osculatæ sunt. *Psalm. 84. v. 12.*

David, Angeli.

EXEGESIS.

§. I.

PLaudite beati Cælites, exultate Cælitûm æmuli mortales, triumphum canite æternæ Numinis sapientiæ. Vicit Deus sine hoste, per sanguinem sine sanguine: prælio justo, sed innocuo: victoriâ clarissimâ, sed arcanâ: vicit non alium, sed seipsum; nempe misericors justum, justus misericordem, prodigio admirando, sed quotidiano. Stabat hinc in acie cum *Veritate Iustitia*: illinc *Misericordia* cum *Pace*; hinc fulgebat vindex mali gladius, & index veri speculum: illinc volitabat mitis sine felle columba, & inimica cruoris olea: hinc patebant ultrices inferorum flammæ; illinc stelliferæ cæli portæ: in medio jacebat victoriæ merces, peccatrix anima. Sceleris convincebat *Veritas*, damnabat *Iustitia*: quid formidabilius? Pœnitentiam objiciebat *Misericordia*, *Pax* absolvebat: quid sanctius? Honorem Numini resarciri *Iustitia* flagitabat, quid æquius? Pœnitentem perdere *Misericordia* prohibebat, quid pulchrius? utrinque pugnabat Deus prima *Veritas*, *Iustitia* suprema, *Pax* æterna, *Misericordia* infinita. Modò poscebat ream ad supplicia; quia justus & verax: modò pœnitentem sibi vendicabat ad

Misericordiæ & Iustitiæ concors discordia.

veniam; quia pacificus & misericors. Anceps itaque victoria in causa tam dubia divinæ tantùm Sapientiæ fuit committenda.

§. II.

Admirandum divinæ sapientiæ consilium.

HÆc ubi vidit, sive vinceret *Iustitia*, sive triumpharet *Misericordia*, Deo succumbendum esse, admirabili consilio voluit, ut qui vincit, vinceretur; victus vinceret: idem succumberet, & triumpharet, victoriâ victo non minùs honorificâ, quàm victori gloriosâ. Fecit igitur ut Deus homo factus hominis causam susciperet, ipse judex personam rei ageret, & de suo sibi satisfaceret, atque ita quoties vellet resipiscens anima illatam Deo injuriam sanguine, quem Deus pro peccatis fuderat, feliciter abolere posset. Id quia Philothea pœnitendo præstitit, *Iustitia* causam obtinuit; *Misericordia* tamen causâ non cecidit: *Veritas* emersit, *Pax* effloruit. *Misericordia & Veritas obviaverunt sibi*, ut in mutuos ruerent amplexus: *Iustitia & Pax osculatæ sunt*, ut signum æterni fœderis stabilirent: accepit columba gladium; quia non decet esse clementem sine *Iustitia*, neque justum sine *clementia*. Juncta est oliva speculo; quia non stat sine Pace *Veritas*, nec sine veritate *Pax* consistit: Itaque inseparabilis concordiæ nexu in divino pectore conjunctæ sunt, ut *Iustitia* peccantibus frænum, *Misericordia* pœnitentibus asylum; *Veritas* justis pro Magisterio, *Pax* pro solatio foret, & præmio. Floreat ergo *Pax*, vincat *Veritas*, imperet *Iustitia*, *Misericordia* triumphet, in omnibus Deus: qui est *Pax* vera, *veritas* justa, *Iustitia* Misericors, *Misericordia* pacifica, unus omnia. Timete Mortales *Iustitiam* & sperate *Misericordiam*: sequimini *Veritatem*, & diligite *Pacem*. *Pax* recreat, *Veritas* serenat, *Misericordia* beat, *Iustitia* coronat.

PARS

PARS III.

AMOR DEI IN ANIMAM VIRTVTIS STADIVM INGRESSAM.

SIVE

PHILOTHEA AMARE INCIPIENS.

SCENA

SCENA I.

Christus. SVrge, veni, propera, amica mea, columba mea. *Cant. 2. v. 10.*

EXEGESIS.

§. I.

Animi tranquillitas post pœnitentiam.

SVrge! Philothea, Dilectus vocat; aures mentémque commoda. Quid agis? adhuc quiescis? quomodo habes? utique perbellè: nimirum ut decet animam Deo reconciliatam, filiam Numinis, cæli heredem, beatarum mentium affinem, *amicam meam* charissimam, *columbam meam.* Quî malè queat esse, cui mens bona est? non est dolor, ubi non est crimen: affluit lætitiâ, quisquis Dei irrigatur gratiâ. Unde & tu nunc animi jucundâ frúeris quiete, & inter pœnitentiæ lacrymas cælesti pásceris gustu liquidæ castæque voluptatis. Rectè. Hoc equidem divinæ munus est clementiæ, ideo concessum, ut tantis illecta cæli deliciis altiùs insurgas, & in cœpto virtutis curriculo alacriùs progrediaris, fortiùs pugnes, ardentiùs adames Deum tantopere tui amantem. Ecce! adsum ut ad te invisam, ut te meo lumine collustrem, te ad me traham, mihíque castissimo amoris vinculo æternùm uniam.

Inspiratio divina & gratiæ ex-

Surge itaque, & mentem humo attolle, ad perfectæ virtutis culmen meo ductu eniti satage, & à terrenis rebus desideria

desideria averte, contemne quæ sunt caduca: serviant illa tibi, non dominentur; divinæ sint gloriæ instrumenta, non irritamenta vitiorum. *Surge.* Non enim decet excelsam animam, cælo conditam, sedere otiosam, vel humi serpere; multò minùs jacére languidam. Depelle igitur segnitiem, fuge otiosam quietem, desere præsentis vitæ commoda, ad cælestes mentem erige beatitates. *Veni* ad me non gressu corporis, sed passibus amoris: Me séquere, meos indue mores, vitam inspice, & quantùm juvante Deo potes, factis exprime. *Propera*, rumpe moras, mitte inutiles tergiversationes. Festinatò opus est, non consultatione, cùm Deus vocat. Sapientiâ intus sanctis inspirationibus loquente, supervacaneum est examinare jussa. Qui Dei amorem docet, qui Christi vestigia suadet, qui virtutis exercitationem suaviter inculcat, non tibi sit suspectus. Alacriter séquere vocantem. Tarditas ignaviam sapit, vel contemptum: celeritas fervorem indicat æstuantis in pectore charitatis.

citantis lumina.

Invitatio ad studium perfectionis.

§. II.

S*Vrge amica mea.* Quid hac appellatione illustrius? *Veni columba mea.* Quid hac invitatione dulcius? *Amica* quidem es; quia sanctificante gratiâ mihi conjuncta, fidelis & concors: *columbam* tamen appello; quia talem te desidero, &, si vis, facio: hoc est, puram, solicitam, simplicem, circumspectam, fellis expertem, & gemebundam. Non nescis me divinum esse *speculum*, *sine macula*, & ipsam, quâ major cogitari nequeat, puritatem. Si in victima meo Numini mactanda non tuli *maculam*, in anima mihi chara feram? Si Nabuchodonosor ephebos sibi assistere noluit, nisi *in quibus nulla esset macula*, ego amicam patiar nisi labis immunem? Si matrem volui Virginem, sole puriorem, atque ut esset, inaudito prodigio effeci: Si Apostolos à toto separatos, si sequaces doctrinæ meæ *innocentes manibus & mundo*

Tirociniũ perfectionis, exemplo columbæ.

Sap.7.v.26

Dan.1.v.4

Ps.23.v.4.

mundo corde delegi in meum consortium admittendos; sponsam fortè admittam *habentem maculam aut rugam?*

Prima animæ cura, Fuga peccatorum venialium. Eorum gravitas.

Quare inter curas hæc tibi prima sit, ut parvos etiam nævos animi totis viribus devites: sciens volénsque nihil, quod mihi displicitum sit, committas; si quam imprudens labeculam contraxeris, gemitu, dolore, confessione abluas. Non est, crede mihi, non est parvum, quod divinos offendit oculos, quod cælo prohibet, quod charitatis fervorem oppidò retundit, quod gratiæ influxum impedit, tranquillitatem mentis perturbat, & sensim ad graviorem in lethale crimen ruinam disponit. Nónne minutus quoque pulvis oculo molestus est? & stillæ quantumvis exiguæ, cùm per rimas in navim penetrant, eam denique demergunt? quid teredine contemptibilius? & tamen rodendo trabem vitiat, ut tandem diffracta ruat. Quid remorâ inter pisces, muscâ inter volatilia, cuniculo inter quadrupedes vilius? illa tamen etiam onerarias sistit; hæc *perdit suavitatem unguenti*, iste civitates evertit. Idem neglectis, quæ modica dicuntur, peccatis fieri persuasum habe. *Qui spernit modica paulatim decidet* è parvis in magna, ex gratia in culpam, è cælo in cænum.

Eccles. 10. *v.* 1. *Eccli.* 19. *v.* 1.

§. III.

Secunda, Filialis timor Dei.

V*Eni amica mea, propera columba mea.* Quò venies securiùs, quàm ad amicum & dominum? quò properabis ardentiùs, quàm ad dilectum & Deum? Ut venias, impellat amor; ut properes, timor addat alas. Timor, ajo, non quo servi pœnas, non culpam formidant; sed quo filii plus offensam patris, quàm pœnas horrent, amando timent, timendo amant. Non diu sibi constabit puritas, si custos absit amoris timor: non manebis *columba*, nisi fueris sanctè timida.

Non

Non eſt ignobilis hic timor ; ſed excelſo loco natus, Fide genitus, humilitate educatus, frater Spei & fortitudinis : pater eſt vigilantiæ, reverentiæ & pietatis. Non repugnat hic timor amori, nec timori amor; ſed mutuis certant officiis. Quid enim ? annon *initium ſapientiæ eſt timor Domini ?* Atque idem *Timor Dei initium dilectionis eius ?* Annon radix eſt virtutum, baſis melioris vitæ, innocentiæ munimentum ? Annon morum cenſor, erratorum vindex, conſcientiæ arbiter ? Annon incompoſitis animi motibus frænum, languentibus calcar, turbidis flagellum ? Annon denique *plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum*? Quæ enim major eſt ſapientia, quàm ſoli Deo placere velle? an verò eſſe poteſt ſolicitudo piis Deo obſequiis placendi, ubi non eſt diſplicendi timor ? An cura nitoris, ubi non eſt metus contrahendæ labis? Neutiquam. Qui pulveres non horret, citò ſordeſcit.

Illius præſtantia.

Pſal. 110. *v.* 10.
Eccl. 25. *v.* 16.
Eccleſ. 1. *v.* 20.

At ubi excubias agit *Timor Domini*, qui velut in ſpecula *ſuper omnia ſe ſuperpoſuit*, ibi vera eſt ſolicitudo virtutis, ſtudium perfectionis, progreſſus veræ ſanctitatis. Timor ſanctus vel umbram peccati horret, occaſiones declinat, irritamenta repellit, mori mavult, quàm fœdari. Timor ſanctus nil carni indulget : ne puniatur, punit; ne erret, conſulit. Timor ſanctus non temerè judicat, non indulget ſuſpicionibus, alienis ſe rebus non immiſcet. Timor ſanctus non timet hominum digitos & ora, non hoſtium inſidias & certamina, non tyrannorum minas & ſupplicia ; ſed ſolam ſupremi Numinis, quam amat & adorat, Majeſtatem. *Timor* ſanctus columbæ meæ decus *eſt & ornamentum, gloria & gloriatio, & lætitia & corona exultationis.* Quæ non eſt ſic timida, mea non eſt columba.

Effectus.
Eccl. 25. *v.* 14.
Eccl. 1. *v.* 11.

§. IV.

PRopera, amica mea.* Nondúmne ſurgis? certè audis. Quid velim intelligis. Ut *mea* ſis *amica*, delicium meum & gaudium,

Tertia, Sancta ſimplicitas

gaudium, *columbam* te dixi, non cygnum, qui foris candicat, intus nigricat: plumâ cum nivibus certat, carne superat carbonem. Sacrilegus est, qui cygnum mihi sacrificat; pius & acceptus, qui columbam? Odi namque fallacias, simplicitatem diligo. Deus veritas est, atque ideò *abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.* Te ergo, ò mea Philothea, sanctè simplicem volo, non callidam. Procul absit dolus & hypocrisis: procul cor duplex, sermo fucatus, affectatus corporis gestus. Non dissentiat à corde lingua & vultus; non sit mens omnibus tecta; sed quibus oportet, aperta: non officia ad scenam composita; sed seria: non mores ficti; sed integri & sinceri: consilia, intentio, fines non pravi, & distorti; sed recti & ad divini beneplaciti scopum destinati. Si enim *oculus tuus* (intentio mentis) *fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit.*

Proverb. 3. v. 32.

Quæ illa.

Matth. 6. v. 22.

Stulta est omnis calliditas, quæ dum omnes cupit fallere, seipsam maximè fallit, Deum minimè; nempe cordis Inspectorem; *Simulatores enim & callidi provocant iram Dei;* mors certè larvam fictis detrahit, & nudos severo Judici sistit: qui eos, non quales apparebant; sed quales erant, judicat. Sancta autem simplicitas neminem fallit, sed falli cavet: mysteria curiosè non scrutatur, sed credit: decreta mea non sugillat, sed miratur & adorat: mandatorum causas non inquirit, sed promptè fideliterque exhaurit: sine hac claudicat sapientia, in astutiam degenerat prudentia, labascit fides, veritas agit animam. Quid meis olim Apostolis mandaverim in aperto est, quos nempe volui *prudentes sicut serpentes*; verùm non minùs *simplices sicut columbas.* Itaque & tu, Philothea, simplicitatem cordi habeto; Quæ enim simplex non est, columba non est.

Iob. 36. v. 13.

Apprimè necessaria.

Matth. 10. v. 16.

§. V. Ad-

§. V.

ADhuc moraris? nondum ades? an venire formidas? *Propera columba mea*, útque sis columba, esto considerata. Te enim, uti simplicem, ita & prudentem esse jubeo. Quid est enim simplicitas sine prudentia, nisi stoliditas inhumana? Simplex est columba, & doli nescia; sed ex æquo cauta & circumspecta: semper laqueos & accipitrem observat, ne capta hostibus in prædam cedat. Tu, qui sint laquei Mundi, Carnis & Dæmonis experta, tuo malo didicisti: deinceps ergo cave & prudenter declina. Olim aperta vi, vel crassiore dolo, te in casum impulerunt; nunc subtiliore astu & ex insidiis te circumvenire volent. Certè cum quocumque horum hostium congrediaris, cum callido veteratore tibi res erit, cui mille sunt nocendi artes, mille formæ quibus se occultet.

Quarta, Prudentia spiritûs.

O quoties Princeps tenebrarum *Satanas transfigurabit se in angelum lucis*, ut falsâ boni specie te decipiat? Jam ultra vires, ut quid moliaris, suadebit: jam stolidè securam reddere adlaborabit: illud, ut nimiâ tui fiduciâ te in superbiam attollat; hoc, ut pessimo torpore in turpem socordiam dejiciat: modò, quæ parva sunt, exaggerabit, ut perperam timeas; modò magna extenuabit, ut periculosè negligas: nunc plurimam offundet menti caliginem, ut in scopulum impingas; nunc insolitam rebus omnibus amaritudinem asperget, ut bona quæque fastidias.

2. Corinth. 11. v. 14. Contra occultas hostium insidias.

Quoties Mundus callidè suggeret: perfectæ vitæ studium viribus esse humanis majus: non posse in eadem mente virtutem excelsam & officii reíque familiaris curam consistere? Quoties verbis & exemplis contendet: honores sectari, magnanimitatis esse: vindictam quærere, fortitudinis: mentem celare verbis, prudentiæ? Quoties pro parsimonia avaritiam, pro liberalitate luxum, pertinaciam pro

conſtantia, pro modeſtia inurbanitatem, & pro urbanitate petulantiam obtrudet?

Quoties Caro, velut nequam vulpecula, ſe ægram mortuámque ſimulabit, ne illi ægrè facias? quoties aſperam virtutis viam, longúmque nimis curriculum cauſabitur? quoties vitæ longioris uſum vires, animíque ſerenitatem, ſimúlque magnam ſibi meritorum copiam interverti, ſubdolè ejulabit? ut ſcilicet ancillæ parcas, heram perdas: cuticulam cures, mentem negligas, levíque brachio perfectionis negotium tractes: contenta eminus me ſequi: ad cænam, non ad crucem comitari.

Summo ſtudio diſcenda.

At, has omnes technas facilè palpat vidétque ſimplex prudentia. Nihil iſta temerè aggreditur, non ſibi nimium fidit, non ſpernit conſilium; hæc proſpicit futura, præterita expendit, præſentia diſponit: hæc tempus obſervat, modum tenet, locum & perſonas attendit, nihil confusè ſed ſuo ordine quæque pertractat: hæc ad finem ſemper collimat, opportuna fini auxilia prehendit, æterna temporaneis, Spiritum carni, æquum honeſtúmque jucundo, Deum mundo anteponit. *Inclina*, ergo, *filia cor tuum ad cognoſcendam* hanc Mundo quidem inſipientem, Deo autem veram cæleſtémque *prudentiam. Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies: tunc intelliges juſtitiam, & judicium: & æquitatem, & omnem ſemitam bonam &c. prudentia ſervabit te, ut eruaris à via mala, & ab homine, qui perverſa loquitur, & ab his qui ambulant per vias tenebroſas:* diſcipuli nimirum mortis; *prudentia enim carnis mors eſt*; Tu verò novam ſimplicis prudentiæ artem à me, ab æterna ſapientia, à vita diſce vitam; *prudentia enim Spiritûs, vita eſt.*

Proverb. 2. v. 2. v. 4. & 5. v. 9.

Rom. 8. v. 6 v. 11.

§. VI. *Ami-*

§. VI.

AMica mea, columba mea, non ſurgis? non venis? non properas? Inſtabo donec obtemperes. *Surge, veni, propera.* Si moleſtus ſum, ſegnitiem tuam incuſa. Iráſceris? cave bilis te agitet. *Columbam* decet eſſe ſine felle, placidam, benignam, tractabilem & patientem. Non ſe meam credat eſſe amicam anima, quæ *in felle amaritudinis eſt*, quæ monitoribus aſpera, judicii tenax ſui rixas amat, verbis dimicat, mordet, pungit: multum iſta à columbinis abhorrent moribus. Modeſtè blanda ſit, quæ mea volet eſſe *amica*, alloquio molli, dulci ſanguine, corde miti & mellito, quo etiam injucunda quæque, velut ſalſa maris aqua in cereo vaſe, dulceſcant.

Quinta, mitis & fortis patientia.

Actor. 8, *v.* 23.

Nolo amicam adeò delicatam, ut verbulo tacta fumiget: quæ rebus ſiniſtrè cadentibus doloris impatiens ſe contrahat, mœrore contabeſcat. Nolo quæ livore exedatur, quæ labore incommodisque frangatur, noctem in fronte, in ore acetum ferat.

Non eſt *amica*, quæ à dilecti moribus eſt aliena. *Botrus cypri eſt Dilectus in vineis Engaddi.* O quanta illius dulcedo! quæ fragrantia! qualis jucunditas! Si aſpicis, delectat oculos: ſi tangis, non reſiſtit: ſi premis, ſi mordes, etiam dulci odore, & liquore ſaluberrimo te perfundit. *Pacificus vocabitur* Dilectus: ô quæ illius bonitas, qualis patientia, quanta benignitas! ut cælum terræ conciliaret, quid non tulit, quid non fecit? quàm acerba Patris mandata ſuaviter explevit? Oliveti montem, Caiphæ domum, Pilati prætorium, Herodis aulam, Calvariæ clivum percurre: qualis inter iniquos Judices, inter lictores & carnifices, inter opprobria & tormenta fuerit, perquire. An aliquid amaroris invenies? nihil; ſed amoris plurimum. An verbum aſperius? vultum tetricum? oculos torvos? neutiquam; ſed blanda,

Christus pulcherrimum manſuetæ patientiæ exemplum.

Cant. 1. *v.* 13.

1. *Paralip.* 22. *v.* 9.

blanda, pacata, serena omnia. An denique contendit, restitit, jussa quantumvis indigna detrectavit? minimè; *sed ad mortem usque obediens factus*, ostendit de se dictum: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Mitem ergo, tractabilem & suaviter patientem volet amicam, verbo, *columbam*.

Philip. 2. v. 8.
Ierem. 11. v. 19.

§. VII.

SAt jam verborum est, Philothea, tandem *surges*, *venies*, *properabis*, si columba esse volueris. Ecce enim: *Columba mea* maturè nidum deserit, surgit ut gemat. Hic illi cantus est: alium non didicit. Sic illa Deum laudat gemendo, orando gemit. At tu, Philothea, non citò surges? non venies? non properabis ut gemas, ut ores? an fortè non habes gemendi orandíque causas & argumenta? Quoties anteactæ vitæ errata menti obversantur? quoties aliorum lapsus, offensæ Numinis, animarum interitus tibi est in oculis? quoties privatæ publicæque clades, Ecclesiæ pericula, fidei nominísque mei damna aures pulsant? quoties, ut alia desint, exilium & exilii tui ærumnæ, Dilecti amor, patriæque cælestis desideria te invadunt? Et hæc cor tibi non saucient? suspiria non extundant? preces & vota non extorqueant?

Sexta, Fervens & multa oratio.

Orandi causæ.

Gemere ergo ne pigeat, imò delectet. Non gravant hi gemitus pium pectus, sed exonerant: non mœstitiam augent, sed eliminant: non dedecent generosam animam, sed ornant: non obtundunt orationem, sed acuunt, & ceu fulgura inter lacrymarum imbres precúmque tonitrua coruscant, cælorúmque orbes penetrant. Quid gemitu potentius? quid dulcius oratione? quos Solymæ cives ab interitu servavit Angelus? quorum *signavit frontes* gloriosa crucis *Tau* imagine, nisi *virorum gementium & dolentium super omnibus abominationibus, quæ fiunt in medio eius?* O ergo te beatam!

Vis & præstantia orationis.

beatam! Philothea, cui datum est non tantùm cum columba gemere, sed etiam cum Philomela canere.

Quid aliud felices in cælo Spiritus agunt? quid tellus, mare, sidera? Laudes Deo, ut possunt, concinunt. Tu, quoties libuerit, orando accines. Os, lingua, labia orationi serviant, ad Deum perorent, mentis sensum explicent, jam cæli dona mendicent, modò encomia divinæ texant largitati, & Angelico perfuncta munere, cælestis Symphoniæ antistrophen cantâsti. Tacentibus quoque labris Deo loquatur spiritus, & pennis inflammatæ voluntatis supra astra se attollens, quidquid infrà est, sancto quodam fastidio despiciat, cælique regiam ingressus oculos mentis fide collustratos circumferat, sapientiæ increatæ lucem, quâ licet, inspiciat: dulcedinem bonitatis delibet, admiretur majestatis celsitudinem, timeat omnipotentiam voluntatis, severitatem justitiæ adoret: æternitatis, si potest, metiatur immensitatem, misericordiæ penetret abyssum: fundat preces, vota offerat, desideria explicet, cor aperiat, & totam *coram Deo animam effundat*, loquatur audiente Domino, audiátque Dominum loquentem; & jam beatitudinis æternæ ambrosiam meditando gustabit.

Materia.

1. Reg. 1. v. 15.

An aliquid potest esse hoc gemebundo *meæ columbæ* cantu excellentius? Quid amicis meis intimis est solemnius? quid mihi quoque in terris degenti fuit usitatius? Magnos illos Paulos, Antonios, Macarios, quibus noctes orando traductæ properè nimis evanescere videbantur, consule: Magdalenas, Paulos, Dionysios, Seraphicos Franciscos, & sexcentos alios, quibus mens contemplatione rerum cælestium absorpta inter sidera habitabat, interroga. Annon maluerunt omni, quam terra dare potest, voluptate carere, quàm unâ orationis horulâ privari? Numquámne audîsti, me, quamvis diurnis fractum laboribus, totas perseverâsse noctes *in oratione Dei*? in Oliveto, in prætorio, in Calvariæ monte,

Exempla Sanctorum & Christi.

Luc. 6. v. 12.

monte, nec tristitiæ tædio, nec sanguinei sudoris molestiâ, nec imminentium lictorum metu, nec fugientium discipulorum probro, nec denique flagellorum, spinarum, Crucis, clavorum, fellis mortísque tormento, quin orarem clàm palámque, ac tandem orans spiritum emitterem, potuisse præpediri? Oravi, qui quod mihi peterem non habui, orandus ipse & adorandus: oravi tamen, ut gemitu meo meas docerem gemere columbas.

Optimè enim columba canit, dum gemit, sine oratione imbellis & muta; At facunda & potens, quando oratione pectus armat. Tunc enimverò prodigiosa bellatrix omnipotentem quoque ligat, ut Moyses: dæmonem fugat, ut Tobias: Holofernem mactat, ut Juditha: ignem & leones domat, ut Daniel: cælum claudit & aperit, ut Elias. Mecum ergo, Philothea, *columba mea*, gemendo ora, orando canta, & dæmonem, mundum, carnem piè felicitérque incantabis.

Exod. 32. *v.* 10. *Tob.* 6. *v.* 19 *Judith.* 13. *v.* 10. *Daniel.* 6. *v.* 23. *&* 3. *v.* 56. 3. *Reg.* 17. *v.* 1.

Philothea. VOx dilecti mei. *Cant.* 2. *v.* 8.

EXEGESIS.

§. VIII.

Sed anima torpens Dilectum audit, & moras nectit.

JAm diu audio iterum iterúmque inclamantem: *amica mea, columba mea.* Quis ille? & cui tam suaviter blanditur? An ego illa tam felix anima, ut mihi loquatur Deus? non sum ego digna vocari *amica, columba.* Et tamen qui clamat, qui vocat, Jesus est, unicè *dilectus*, dilectus super omnia. Non fallor, vocem novi: quæ enim alia tam suavis & amœna, quàm *vox Dilecti mei*? quæ vox tam penetrabilis & valida, ut inter vitæ humanæ procellas sonantésq; fluctuum ac tempestatum turbines ad cor usque pervadat, nisi *vox Domini in virtute* & abundantia potentiæ cælestis, quæ omnem tristitiam

Psal. 28. *v.* 4.

tristitiam pellit? *vox Domini in magnificentia* & gloria sanctitatis, quæ lætitiam affert & serenitatem? Quæ vox tam grandis, quàm, *vox Domini confringentis* duras superbiæ & obstinationis *cedros? vox Domini concutientis desertum* cordis inculti & silvescentis? *vox Domini præparantis cervos*, ut animæ salutis cupidæ veloces partus edant.

v. 5. *v. 8.* *v. 9.*

Agnosco vocem: audio quid dicat: intelligo quid velit. Ut *surgam*, jubet: ut *veniam*, invitat: ut *properem*, impellit: sequi sua me vestigia hortatur: ad excelsum virtutis gradum vocat. Quid perfectione præstantius? quid charitate divinius? Ad hanc ergo vocari, excellentis benevolentiæ munus est. Pulchrum est virtute cæteris præstare: dulce est arctiùs Deo per amorem jungi: *gloria magna sequi Dominum*; sed *surgere*, *venire*, *properare*, hoc opus, hic labor est. Vellem equidem, & verò etiam volo; at non modò. Adhuc tempus suppetit. Sat citò, si sat bene. Res magna maturè expendenda est. Stat mihi *surgere*, placet *venire*. Sed! ô mi Dilecte! quàm bonum est tecum esse! verùm ad te venire, properare? Surgam: at nescio quid me detinet. Indulge parumper, tantulum exspecta. Venire certum est, fixum firmúmque te sequi. Liceat intereà paulisper ad quietem redire.

Eccli. 23. v. 38.

SVrge, veni, propera dilecta mea, formosa mea! *Cant. 2. v. 10.*

Christus. Amor.

EXEGESIS.

§. IX.

ITáne, Philothea, ad quietem redire vis, quæ ad laborem nata es, *sicut avis ad volatum?* itáne loquentem audis Deum, agnoscis, intelligis, & non respondes? non obtemperas? non surgis? Et ille tamen adhuc exspectat, adhuc

Quam tamen Deus, etsi increpat, non deserit. *Iob. 5. v. 7.*

patienter fert: non indignatur, non te castigat amantissimus tui JESUS: etiamnum ad cor tibi loquitur, blandè instat, urget, ut venias, ut properes; at tu limace pigrior hæres, jaces, non movéris. O te imbellem & languidam! non erubescis? non pudet esse ingratam? Quæ tua hæc inurbanitas? quæ tarditas & segnities indecóra? De solio cælesti ego tuâ causâ *surrexi*; & tu de nidulo non surgas, ut te ad sidereum extollam solium? Ego ad te pauperculam per aspera & acerba, per spinas & flagella, per lanceam & clavos in tuum commodum véni; & tu non venias ad me Regem, ut æternis bonis ditescas? Ego tui amore *properavi, & exultavi ut gigas ad currendam viam*, & tu meâ causâ, imò tuâ, non properes; sed diem ex die trahas?

Procrastinatio indecóra.

Psal. 18. *v.* 6.

Et damnosa.

Annon advertis, quanto ipsa tibi sis damno, dum venire differs? Non est temporis momentum, quo non immensi patiaris lucri jacturam. Quot heroicæ virtutis actus negligis, tot æternitatis præmia per socordiam amittis? *Surge* igitur, ô anima præ cæteris *dilecta*. Magnum eximiæ dilectionis pignus est, ad excelsam virtutem te evocâsse: quò altiùs ascenderis, eò propiùs me sequéris, quò mihi similior, eò conjunctior & charior: tunc verè *dilecta mea*, cùm inseparabilis comes fueris, & animæ dimidium meæ. *Veni* itaque *formosa mea*. Si tua me delectat forma, si me gratiæ nitor rapit, innocentiæ fulgor perstringit: si in te ego cæli venustatem diligo, & quamdam beatitudinis umbram suspicio, ideóque *surgo*, ad te *venio*, & anhelans *propero*: tu in me non admiraberis cælestis elegantiæ oceanum? non æstimabis divinæ pulchritudinis abyssum? gratiæ gloriæque thesauros tibi apertos non involabis? non surges, ut apprehendas? non *venies*, ut stringas? non *properabis*, ut te immergas? Vide ut *Dilectum* proximæ sequendo grande illud *Dilecta* nomen tuearis, quin & in majus augeas, ex dilecta dilectissima, formosissima fias ex formosa.

§. X. An

§. X.

AN parùm eſt ſupremi Numinis eſſe *Dilectam?* Si quid excogitare potes Deo majus, etiam grandius aliquid in humanis invenire poteris eius *dilectâ*. At ſicut Majeſtatem divinam nihil æquare valet; itâ & dilectæ dignitatem nihil ſuperare. Excelſa eſt illius eminentia, ſed humili fulcro nixa. Res mira! ipſamet animæ exaltatio; dum premit, erigit; quantò magis latére imperat, tantò clariùs illuſtrat: nihil ſibi tribuendo, acquirit omnia. Mentem enim, quam occupat, ſui reddit cognitione ſapientem, ex ſapiente humilem ſui mundique contemptricem, ex humili tandem facit ſuperis *dilectam*. Sola ſiquidem, quæ ſibi vileſcit anima, ea demum Deo pretioſa eſt: ſola, quæ ſuum agnoſcit & erubeſcit nihilum, non eſt in oculis meis nihil: ſola, quæ laudem ceu ſibila ſerpentis horret, me Dilectum meretur habere encomiaſten.

Excellentia animæ Deo dilectæ.

Sincera animi demissio, certa est

Septima animæ cura, humilitas, quæ facit, ut ſit anima Deo dilecta.

Quamdiu ergo humilis fueris, ô Philothea, & *dilecta* eris, & ſenties, te meam eſſe dilectam. Non me orabis in caſſum; *quia oratio humiliantis ſe nubes penetrat*: non mea te deſeret præpotens in adverſis dextera; *quia juxta eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſalvabit*: non mea te vacuam relinquet benignitas, ſed theſauris cæleſtibus replebit: quia *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*: non jacebis ſemper obſcura, ſed fulgebis ut nitida auri maſſa: *quia igne probatur aurum, homines verò receptibiles in camino humiliationis*.

Eccleſ. 35. v. 21.
Pſal. 33. v. 19.
1. Petr. 5. v. 5.
Eccleſ. 2. v. 5.

Itaque perge, ut cœpiſti. Dilectum ſequere dilecta, *qui humiliavit ſemet ipſum*: Et licet ſupremus Deorum Deus, noviſſimum tamen virorum novo ſe miraculo fecit. Qui cùm in cælo humilitati locum non eſſe cerneret, eam in terris quæſivit: cùm in *forma Dei eſſet, formam ſervi accepit*; cùm, quò aſcenderet, non haberet, *deſcendit in inferiores partes*

Chriſti humilitas.

Philip. 2. v. 8.
Philip. 2. v. 6.
Epheſ. 4. v. 9.

partes terræ; qui etsi Rex regum cælo, terræ, maríque dominaretur, *vénit tamen, ut ministraret, non utei ministraretur.* An ignoras, me pro aula regia vile tugurium, pro purpura rudem pannum, pro solio officinam elegisse? An nescis, me inter pecora natum, inter fabros educatum, inter piscatores vixisse, inter latrones clausisse vitam? Non meministi, me, cùm ad solium regni quærerer, fugisse; cùm ad opprobria & ignominiosam mortem postularer, sponte obviam ivisse? cùm miracula patrarem, Patri gloriam dedisse: cùm in monte cælesti luce splendescerem, evulgari prohibuisse; ut nempe fidelis anima meo disceret magisterio, non fore *meam dilectam*, nisi quæ fuerit *humilis corde*, quæ honores calcare queat, quæ despici & contumeliosè haberi gaudeat, se nihil esse, nihil fuisse, nihil futuram ex se: nihil posse, nihil scire, nihil sine Deo habere sentiat, & palàm fateatur.

Marc. 10. *v.* 45.

Matth. 11 *v.* 29.

Humilitatis effecta.

Miraberis forsan, quòd tam grata mihi sit humilitas? mirum foret, si tam grata non esset? Hæc paupertatis est amica: hæc mater obedientiæ, veritatis filia, patientiæ soror, gratiæ custos est. Hæc superbiam mihi inimicam domat, tumorem opprimit, invidiam profligat, luxum odit. Hæc iræ moderatrix, frænat oculos, componit mores, animum submittit Deo: nullam sibi, omnem Numini rependit gloriam. Annon ergo hæc mihi tam chara veritatis cognitio, & generosa sui despicientia faciat, ut diligam, quæ se verecundè contrahit? ut eveham quæ se demisse abjicit? ut glorificem, quæ se in nihilum suum occultat? Enimvero *hæc nardus dat odorem suavitatis*, & me delectat: hic magnes me totúmque cælum attrahit, & obstringit: hæc vallis omnes gratiæ cælestis aquas copiosè excipit, & fecundo sinu absorbet. *Surge* igitur *dilecta mea*, & in te ipsam descende: quò profundiùs te depresseris, hoc altiùs surges.

Præstantia humilitatis.

Cant. 1. *v.* 11.

§. XI. Non-

§. XI.

Nondum ſurrexiſti *dilecta*? nondum ades *formoſa?* citò te erige, properè vocanti obtempera. Quomodò *formoſa* eris, niſi fueris ad nutum obſequens? Obedientia prompta, fortis, hilaris *dilectam* reddit *formâ* præſtantem. Vidiſti hortulum mira concinnitate ſedulò excultum? ut bellè in varias figuras diſpoſitæ ſunt areolæ? ut in claſſes diviſi floſculi? ut arbores eleganti ſerie in quincuncem collocatæ? hîc fontes clandeſtinis apertíſque ſiphunculis aquas fundunt: illîc vites implexæ ulmis, citria mala aureis intexta pomis pendent: hîc ſtatuæ, menſæ, xyſti; illîc ambulationes, porticus, columnæ. Quid ad ornatum pulchrius? quid jucundius ad honeſtam oculorum & animi voluptatem?

Octava cura, velox obedientia.

Non aliam, ô mea Philothea, crede elegantiam eſſe animæ, quam excolit obedientia, exactæ diligentiæ hortulana. Enimverò mirè *dilecta* eſt, quia mirè *formoſa*. Non habet maculam, quia leges divinas, humanáſque non violat: non habet rugam; quia juvenili vigore prompta & fortis, quidquid imperatum eſt, aggreditur. Oculos habet nitidos ad Dei nutum ſemper intentos: faciem venuſtam, nimirum juſtitiæ ſoli obverſam. Quid multa? hortulus eſt divinus, in quo tot floridæ vernant areolæ, quot animæ facultates: tot delicati floſculi, quot rectè facta: tot arbores amœniſſimæ, quot virtutes eximiæ: tot fructus præſtantiſſimi, quot heroicæ de ſe victoriæ. At unde hæc omnia? Obedientia hunc paradiſum curæ habet: ſpinas arcet, flores plantat, vites putat, terram cæleſti imbre irrigat. Hæc tam aptè decentérque omnes animæ vires diſponit ad cæli placita, tam exactè ad divinæ voluntatis normam actiones dividit, tam venuſtè varias virtutum plantulas menti inſerit. Hæc verbis, factis, ipsíſque cogitatibus colorem, lucem, ſym-

Animam reddit formoſam.

Obedientiæ energia.

ſymmetriam tribuit, dùm ad cæleſtis ſapientiæ radios cuncta expendit, ad lineam infallibilem primæ veritatis & ſupremæ legis exigit, atque à divino imperantis nutu colorem ducere facit.

O igitur beata anima, quam obedientia perpolit! O verè *formoſa*, quæ ſe majoribus formandam tradit! ô valdè *dilecta*, quæ Dilectum non ſecus ac heliotropium ſolem aſpicere & ſequi docta, in omnibus à divina pendet voluntate! Hæc clauſis graditur oculis, & non impingit: ſedendo provehitur, & ad portum tendit: libertate ſe abdicat, & abdicando felicem imponit ſibi, liberámque neceſſitatem. Hæc, quod mundus præſtantiſſimum habet, Deo ſacrificat, voluntatem: rationem quâ nihil eſt ſublimius, judicio ſubſternit alieno; ſimúlque omnes corporis nervos arbitrio majorum mancipat, ut regatur divino. Hoc igitur age, Philothea, *& eris tu velut filia altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis quàm mater.*

Eccleſ. 4. v. 11.

Adhuc jaces, Philothea? etiámne hæſitas? nondum mihi cor totum pandis? quando tandem te in pedes, ut me ſequaris, eriges? quando torporem excuties? quando vincula abrumpes? quando perfectioris vitæ ſtadium animoſa ingredieris? Carò tibi ſtabit hæc procraſtinatio. Quem modò præſentem habes, & non admittis, faciam, ut quæras, at non invenias.

Philothea. IN lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea, quæſivi illum, & non invéni. *Cant. 3. v. 1.*

EXEGESIS.

§. XII.

Pugna animæ ſecum certantis.

QUid hoc eſt rei? Audivi Dilectum, præſentem habui, vocantem certò certiùs percepi: quin & videre mihi viſa

visa fui, adhuc hærent verba intimis animi medullis insculpta. Puritatem mentis & Dei timorem à me exigit, simplicitatem & prudentiam commendat, patientiam & orationem suadet, humilitatem & obedientiam inculcat. Intelligo. Quid aliud me doceat Dilectus, quàm Dilecti spiritus vitæ melioris tironem? *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore.* Ecce puritas & timor. *Deprime cor tuum & sustine; inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectûs.* Ecce simplicitas & prudentia. *Sustine sustentationes Dei, conjungere Deo & sustine,* utique per patientiam & orationem? *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: Crede Deo, & recuperabit te:* qua ratione nisi per humilitatem & obedientiam? Feriebant hæ divinæ voces cordis penetralia non secus ac fulgura, cùm è densa nube emicant. Expergiscor itaque, Dilectum quæro, manus & brachia extendo, ut apprehendam; sed umbram stringo. Non est *in lectulo* Dilectus.

Eccles. 2. v 1. v. 2. v. 3. v. 4. v. 6.

Quid faciam? quò me vertam? surgámne? sed adhuc nox atra terret, etiamnum caligo tenet oculos. *Lectulum* deserere durum est: *per noctem* quæritare frustraneum, *quærere* & non *invenire* amanti animæ supplicium acerbum. Quid si inveniam? an non oportebit sequi? quàm acerba igitur pati necesse erit? quàm ardua multa facienda occurrent? Placet mentis puritas, & Dei timor; sed res est tetrica timere. Juvat simplex prudentia; at de ridiculo habetur. Patientia & oratio quàm necessaria, tam est laboriosa: humilitas & obedientia non minùs gravant, quàm ornant. Heu Dilecte! Te invenire cupio, sed quærere formido: quia sequi te desidero, sed laborare, pati, certare non audeo. Non ergo quæram? sed quomodo *diligo*, si non quæro? faciliùs *anima mea* se ipsam deseret, quàm non quærat, *quem diligit.*

In lectulo Deum anima non bene quærit, suo scilicet commodo.

Quæram

Quæram igitur; ſed *in lectulo*: quæram equidem, ſed ſine incommodo; quæram ſtudiosè, ſed absque labore & periculo, procul triſtitia & tædio. Vtique etiam inter hujus vitæ commoda, inter opes & honores diligere fas eſt Deum, quærere & invenire licet? Quòd quæſitus mihi & non inventus, non lectuli, puto, culpa eſt, ſed *noctis*?

Egregia de ſe ipſa animæ victoria.

O quid incauta loquor? Imò & à *nocte* hoc eſt damnum & à *lectulo*. Inſanivi profectò, cùm *quem diligit anima mea quæſivi* inter commoda & blandimenta ſenſuum, quæ ipſe fugit & odit: deliravi ſanè, cùm ſolem in tenebris, diem *per noctes*, tranquillitatem in deliciis, in honoribus felicitatem, ſapientiam in humanis conſiliis quærendam cenſui. Quin ipſa mihi *has noctes* induxi, quando juſtitiæ ſolem in cor non admiſi. Rectè *non inveni*; meritò ille ſe ſubduxit, jure à me radios ſuos occultavit, & triſtiſſima inſolitæ afflictionis nocte voluntariam tantæ ignaviæ & ingratæ mentis *noctem* caſtigavit.

Damnabo ergo mollem ſocordiæ & voluptatis culcitram: fugiam affuſas à mundi carniſque nebula *noctes*. Jamnunc *ſurgo*, & ſolem meum quæro: jam cor illius radiis pando. Stat ſequi Dilectum, legere veſtigia etiam cruenta: mores, vitámque imitari, etiam cum vitæ diſpendio. Sic, ſic *columbam* immolabo, ſic *dilectam* decet, ſic meretur *Dilectus*.

Chriſtus. Amor.

APeri mihi ſoror mea, ſponſa; quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. *Cant. 5. v. 2.*

EXEGESIS.

§. XIII.

Qui vitæ huius commodis

BEne habet. Tandem ſurgis, Philothea, ſed ſerò nimiùm. Ignoſco tamen. Quò quisque cubat molliùs, eò difficilùs

ficiliùs se levat. Me sequi decernis, ad virtutis normam vivere proponis. Optimè. Sed quàm hoc ægrè à te ipsa impetras? En quàm blanda sint animæ vincula! quàm arctè ligent, ea, quæ captas, licet non inconcessa corporis commoda! dum carnem demulcent, mentem tenent captivam, ut, nisi excutiat, non surgat. *Lectulum* rectè dixisti, levissimis nempe plumis aut viliore lanâ fartum. Quid enim vilius illis sensuum delinimentis, quæ homini cum brutis sunt communia? quid levius honorum, famæ, laudísque fumo, qui ut umbra evanescit? quid illa terræ solatiola, quæ suaviter vivendo aucuparis, aliud dixeris, quàm leves plumulas? Quid amicorum colloquia, officia, plausus, salutationes, opum affluentiam, spectaculorum ludicra? quid epularum copiam, domûs elegantiam, familiam, genus, nitorem vestium totúmque corporis cultum aliud putes quàm inanem paleam? Quid denique sunt aliud otiosa quies, anxia sanitatis cura, hominum favores, curiosæ occupatiunculæ, profana quidquid libuerit agendi libertas, aliáque id genus, quàm molles culcitræ? quibus mortales indormire solent, quásque difficiliùs illis est deserere, quàm pigro Endymioni hiberno tempore calidis se lectuli plumis extricare?

incumbant, difficulter surgunt.

Sed tu generosa tui victrix tandem hæc non parùm ignominiosa rumpis vincula, surgis, damnas hunc voluptatis terrenæ lectulum. Sanctè & sapienter! *In* hoc *lectulo* mollicello, inter huius vitæ commoda, solatia, opes, honores, licentiam, & exactam corporis curam, non invenies, *quem diligit anima tua.* Non est hic Dilecti *lectulus*, sed *tuus.* Ille in *lectulo suo* vult quæri. Non amat ille, quas tu, nugas, delicias, opes, gloriam, jucunda & prospera: sed labores, adversa, dura; inopiam, contumeliam, crucem pro Dei gloria ferendam eligit & amplectitur. Hic illi placet lectulus, in hoc quære & invenies.

In molli lectulo non invenitur Christus.

Matth. 15. v. 20. Meminiſtine illius *adoleſcentis*, *qui omnia mandata cuſtodivit à juventute ſua*? Cùm ex me quæreret, *quid adhuc ſibi deeſſet*, atque ego reſponderem. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me*: nónne *audiens* hoc *verbum, abiit triſtis? erat enim habens multas poſſeſſiones*. Quæſivit me ſcilicet in *lectulo ſuo*, non meo; ideóque non invénit. Sed meminiſti quoque Joannis & Jacobi, Matthæi & Zachæi? quibus, cùm innuerem paucis ſyllabis: *Venite poſt me*; *Matth. 4. v. 22.* Annon mox illi *relictis retibus & patre*, hic telonio, iſte ficulnea illicò *ſecuti*, me invenerunt? quia quæſierunt non in *lectulo ſuo*, ſed *meo*. Nemo me ſequitur qui commodis adhæret ſuis. Nemo perfectioni operam dare poteſt, qui non gloriam, divitias, voluptatem, ſi habet, deſpicit; ſi caret, deeſſe gaudet. Tu ergo rectè, ut me ſequaris, ſurgis; ut imiteris, cætera contemnis; ut me invenias, quæris. Si bene quæſieris, videbis, tanges, tenebis.

§. XIV.

Admittendus in cor. QUàm autem facile eſt invenire, qui propè eſt, qui ante fores præſtolatur, qui intromitti flagitat? Eh! ego, quem ſuſpirabas, adſum, te compello, te excito, ſponte mea tibi occurro, ad cor tibi loquor, ingredi feſtino, neque vacuus admitti poſtulo, ſed cæleſtibus donis cumulatus. Annon aperies ancilla Domino, amica Dilecto, filia Patri? *Aperi* ergo *mihi*; & divinæ charitati. Quid námque juvat ſurgere, ò mea Philothea, niſi *venias*, *properes*, *aperias*? Dum me ſequi ſtatuis, *ſurgis*: ſi incipis, *venis*: ſi ferves, *properas*. Si *ſoror*, ſi *ſponſa* es, ſi fratrem agnoſcis, ſi ſponſum optas; quàm primùm mihi *aperis*, atque omnibus excluſis, me unum meíque ſuaviſſimam cognitionem & amorem in cordis penetralia admittis. Jam diu eſt, quòd te patienter exſpecto; verùm adhuc omnia occluſa reperio. Utique metu hoſtium. At cur mihi?

Laudo

Laudo tamen, quòd mentis arcem ſedulò clauſam tenes, numquam profectò ſatis contra inſidias munitam. Mundus, Caro, Dæmon callidi ſunt cordis tui competitores, hoſtes potiùs quàm amici: inſidiatores, non fautores. Tu cave, ſenſuum illis oſtia pandas: Si non claudis, tota animæ regia in periculo eſt. Jam *mors aſcendit per feneſtras* oculorum: jam *ſermo* peſtilens per aures ingreditur, & *ut cancer* rodendo *ſerpit*: modò eſca & potus per os ſuaviter irrepit, ſed *ſicut regulus venena diffundit*: modò per os erumpunt *prava colloquia, & bonos mores corrumpunt.* Nec de cæteris ſenſuum portis, niſi ſtudiosè claudas, meliora crede. Quis rectiſſimum primæ viventium matris animum evertit, & innocentiæ theſauro ſpoliavit, niſi ſerpens antiquus, ſibilando per curioſas aures molliter illapſus? *Eritis ſicut Dii.* Quis Regii vatis invictam aliàs mentem invaſit, & adulterii cædiſque ſcelere contaminavit, niſi Cupido, Orci ſagittator per incuſtoditos oculos ingreſſus, relicto oculis longo lacrymarum ſupplicio? ſic ipſe de ſe: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Quis Balthaſaris Aſſyriorum Regis cor regnúmque ſimul omne peſſumdedit, niſi vinum per os infuſum, & blaſphemæ in Deum voces eructatæ?

Sed accuratâ ſenſuum cuſtodiâ munitum.
Ieremiæ 9. v. 21
2. Tim. 2. v. 17.
Proverb. 23 v. 32.
1. Corinth. 15. v. 33.
Geneſ. 3. v. 5
Pſal. 118. v. 136.

Itaque perge, ut cœpiſti, Philothea: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum; quia ex ipſo vita* non tantùm corporis, ſed & animæ *procedit:* claude hiſce prædonibus cordis oſtia, ſenſus: *pange fœdus cum oculis* ut Jobus, ne, quod non decet, ſpectatores vagi luſtrare audeant: *ſepi aures tuas ſpinis* ſancti timoris, *& linguam nequam noli audire*, ne, quæ non expedit, curioſæ Scyllæ hauriant: *Ori tuo facito ſeras*, ne ſordidas gulæ fæces admittat, vel venenata linguæ tela evomat. *Qui cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.*

Proverb. 4. v. 23.
Iob. 31. v. 1.
Eccleſ. 28. v. 28.
Eccleſ. 28. v. 28.
Prov. 21. v. 23.

Cordis custodes. Paradisus est anima: fac ergo ut excubitorem habeat *Cherubinum, & flammeum gladium*, ardentem, ajo, divinæ gloriæ & salutis tuæ zelum. *Lectulus Salomonis*, æternæ scilicet sapientiæ pulvillus, est cor tuum: cura itaque, ut illud *sexaginta fortes ambiant, ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi*: beati nempe Cælites & tutelares Angeli, piis obsequiis precibúsque conducti. *Templum Dei sanctum* est mens tua; procul igitur vana rerum periturarum idola, immundas bestias, profanos nundinatores, flagellis, muricibus, & pugnis corpori impactis abige.

Genes. 3. v. 24.

Cant. 3. v. 7.

1. Cor. 3. v. 17.

Cordis signaculum. Vis ut jucundiùs quid afferam? *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus* sis oportet. *Pone me* ergo *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Me scilicet volue animo, meam cordi imaginem imprime, me ama, me desidera, me quære: quidquid agas, quidquid patiaris, mihi age, mihi pátere, meo nomini & honori cuncta gratificare. Admirabile JESU nomen invoca, frequentibus suspiriorum jaculis menti insculpe, actionibus præmitte, totis viribus adora. Sit hoc tibi signum in fronte pro galea, in pectore pro bulla, in dextera pro gladio, in sinistra pro scuto. Hoc piis oculis usurpa, blandis osculis demulce, arctis amplexibus constringe, & nullam tuis oculis, ori, aut cordi perniciem ab hostibus timebis: nemo signaculum tibi auferet, quod nemo aggredi audet. Neque enim aberit Dilectus, ubi in pretio nomen est Dilecti; neque ullus stare potest inimicus, cùm præstò est Deus. Diffugit omnis Tartari furor, evanescit omne insidiantis mundi consilium, enervatur omnis perversæ carnis impetus & machinatio, ubi vel unus JESU affulget radius: omne caput illi subjicitur, in *cuius* solo *nomine omne genu flectitur cælestium, terrestrium & infernorum.* Sic, Philothea, semper eris tuta, quia clausis ostiis perbene munita: procul erunt hostes: at non procul Dilectus.

Cant. 4. v. 12.

Cant. 8. v. 6.

Philip. 2. v. 10.

§. XV. *Ecce*

§. XV.

ECce enim *ego sto ad ostium & pulso.* An etiam me excludes? absit. Non sum ego in hostium numero habendus, qui te hostium manibus extorsi. *Aperi* ergo *mihi soror* fratri, sponso castissimo *sponsa.* *Miraris* tam splendidos honorum titulos? Etiam Angeli obstupescunt, & usque adeò humanam à me extolli animam, non capiunt. Tu crede, & gratam te exhibe, tantisque nominibus non indignam redde. Ut *Soror* esses, frater tibi factus sum, quando humanam indui carnem; ut *Sponsa* fias, per me licet: si verè diligas, fies. Verè diligit anima, quæ Deum super omnia propter se; proximum propter Deum sicut seipsam diligit. Sororem ergo te faciet sincera charitas, si mortales omnes in fratre, in me, in Deo amplexa fueris. Sponsam mihi junget perfecta dilectio, si tui amorem exuta *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua dilexeris.* Interea *Soror* esto, ut *Sponsa* fias: pro fratribus tibi sint & pro sororibus, quoscumque fratres ego sororésque agnosco *primogenitus in multis fratribus:* quorum ego carnem, ossa, sanguinem divinitate meâ sacravi: quibus meo cruore, meâque vitæ jacturâ cælestis regni hereditatem asserûi. Hos ergo & tu, seu parvi seu magni sint, illustres aut obscuri, amici vel hostes, noti sive peregrini, charitatis sinu complectere, mihi tibíque plusquam sanguine junctos cogita, divinám in illis imaginem observa.

Apocal. 3. *v.* 20.
Animæ humanæ dignitas.
Quam Charitas in proximum Christi facit sororem.
Nona animæ cura.
Luc. 10. *v.* 27.
Rom. 8. *v.* 29.

Quisquis sincerè me diligit, me, inquam, *caput Ecclesiæ, ex quo totum corpus compactum est*, is membra etiam mea amore prosequitur. Si quis ergo meorum, alget, sitit, esurit; tu veste, potu, cibo reficies: si carcere clausus, si ægrâ valetudine prostratus jacet; tu omni ope & solatio eriges: si tecto caret, & à via lassus anhelat; tu domo, lectóque excipies;

Ephes. 4. *v.* 15.
Officia charitatis in miseros.

excipies ; si denique vitâ functus fuerit ; tu corpori sepeliendo honorem, animæ verò cælis inferendæ suffragia totis viribus præstabis. At quia major est mihi cum mortalium animis, quàm cum carne conjunctio, majórque illorum cura & dilectio ; tu quoque præ corporibus mentes dilige. Quid enim? an aliquis minora amici mala ferre nequeat, & ferat maxima? quis diligere se jactet, quem videt errantem, & cùm possit, non emendat? ignorantem non instruit, dubium non dirigit, non solatur afflictum, non tolerat molestum, injurium quoque veniâ non impertit, piísque precibus Magno Numini, quoad potest, non conciliat?

In animas.

Certè magni facit animas, quisquis me meúmque sanguinem pro illis in cruce effusum non æstimat parvi: Venator, piscator, mercator est: per montes & silvas venatur damulas palantes, per extremos orbis cardines *quærit margaritas pretiosas*, per omnia maria & lacus jacit retia, & bipedes sectatur pisces sidereæ mensæ inferendos, numquam satur, numquam lassus: semper ardens, semper sudoris sanguinísque prodigus, & animam pro anima dare paratus: Siquidem *majorem dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et cui non sit pretiosa vel unius hominis anima, quam æterna Dei sapientia pluris facit, quàm mille mundos? quam cælo asserere plus est, quàm orbem terrarum in ditionem redigere? Deo restituere plus quàm totius universi divitias pulchritudinem, gloriámque offerre? Huic ergo animarum quæstui se impendit, quæ me amat, quæ *soror* mea est, anima. Hîc laborat, hîc desudat, hoc dies noctésque agit, non verbis contenta, sed intenta factis, *diligit, non verbo & lingua, sed opere & veritate.*

Animarum Zelus.

Matth. 13. v. 45.

Ioan. 15. v. 13.

1. Ioan. 3. v. 18.

Friget enim charitas, quæ intra verba se continet: in facta erumpit, si ardet: numquam sibi bene esse credit, nisi quàm optimè sit aliis: triumphat cùm facit benignè, semper-

Genuina charitatis indoles.

ſempérque arbitratur plus ſe, quàm dederit, accepiſſe; non neſcia ſementem ſe jácere, aliquando copioſa meſſe redituram: quidquid egentibus erogatur, in cælum præmitti, æternis vitæ beatæ gaudiis & gloriâ commutandum: me debitorem conſtitui, centuplicato fœnore cuncta refuſurum. Nempe in omnibus mortalibus, me dilectum fratrem, ceu germana ſoror contemplatur, ideóque neminem contemnit, nulli invidet, numquam contendit: fugit diſcordiam, odit factiones, privatæ amicitiæ laqueos declinat: ſua negligit commoda, promovet aliena: labore gaudet, triſtatur otio; quia quidquid facit, fratri ſe facere comme-minit, non futura *ſoror*, ſi me fratrem in meis non diligeret; *quia charitas ex Deo eſt, & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt:* veluti ex ſole ſol, & parvus quidam in terris ex Deo Deus.

1. Ioan. 4. v. 7.

Excellentia charitatis.

Solem vides? divinæ charitatis typum crede: quæ ideò *in ſole poſuit tabernaculum ſuum, ut imaginem bonitatis* ſuæ illi imprimeret. Cernis? ut lucet, & ardet? ut calore fovet, virtute fecundat? ut currit & properat, it, reditque, cuncta penetrat, omnia perluſtrat, æquè pauperum tabernas ac regum turres? omnibus ſe liberaliter impendit, absque mercede, absque laſſitudine, numquam ceſſat, neminem præterit, niſi qui valuas objicit & radios excludit? Ita Deus, ita anima charitate ſuccenſa, Dei æmula. Quid multa? ſumma omnia charitatis ille pullus dixit, qui de charitate dicere auſus eſt, cælo dictante: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*; veluti ſol in radio, radius in ſole: aurum in igne, ignis in auro. Quæ talis eſt anima, ea tandem *ſoror* eſt *mea*.

Pſal. 18. v. 6.

1. Ioan. 4. v. 16.

§. XVI.

AT ſi *ſoror* es, Philothea, utique mihi aperis? Non id crede mihi, parvo tuo facies lucro: non me indotata excipies, qui divinis cumulatus dotibus ante fores animi jam

diu

Dei sponsam facit perfecta charitas erga Deũ. Decima animæ cura. Signa huius charitatis.

diu præstolor, téque *Sponsam* voco, & saluto. En quousque ascendere possit, quæ me amat, anima, ut amando ex *sorore*, sponsa fiat! *sororem* agnosco, si meos castè diligit; *sponsam* designo, si ut me perfectè diligat, se ipsam sanctè odit: si mundum despicit, me unum æstimat: si nihil jam quod Deus non est, diligit, totum amoris fluxum plenè in me solum convertit. Dum scilicet uni mihi cor pandit, totam mihi mentem consecrat, me unum suspirat, me quærit: dum, quæ volo, vult; quæ jubeo, facit: quæ odi, execratur: quæcumque mihi placita sunt, toto pectore amplectitur.

Sponsam eligo, quæ mea sequitur vestigia, ut me assequatur: imitatur mores, ut mihi placeat: quæ non elevatur prosperis, ne cadat; non frangitur adversis, ne deficiat. Si dona de cælo depluam, verecundè recipit: si flagella ingeminem, jucundè sustinet: si serenos ostendam radios, se demittit, méque laudat: si frontem nubibus exasperem, æquo fert animo, & bene sperat. Cùm præstò sum, fervet & liquescit: cùm me subduxero, amat & ingemiscit.

Sponsam mihi destino, & castissimis paro nuptiis animam, quæ meâ gaudet memoriâ, meo se mancipat obsequio, meo vegetatur spiritu, meâ saginatur laude, meo triumphat honore: cuius deliciæ meus panis, cuius gloria meum nomen, cuius gaudium mea divinitas: cui pro corona meæ spinæ, pro sceptro mea crux, pro thesauris vulnera, pro thalamo meum cor. Ad hoc anhelat, huic adhæret, séque velut siticulosa spongia beatitatis oceano immergere peroptat. Scit profectò quid diligat, dum me amat: non fallax & fucatum bonum; sed verum ac solidum: nihil sordidum aut terrenum, sed nobile & excelsum: non exile atq; incertum aliquid; sed immensum & infallibile. In me scilicet omnis pulchritudinis habet compendium, omnis dulcedinis

Causæ diligendi Deum, Deus, & divinæ perfectiones.

dinis fontem, omnis claritatis speculum: in me divitias invenit inexhaustas, solatia numquam peritura, triumphos & palmas immortales. Non nescit, quòd, quam creavi, conservem: quam redemi, protegam: quam guberno, prolixè adjuvem, laboranti succurram, addam animum & remunerer, mercede non alia, quàm mea divinitate. Certum tenet, quòd altitudine sim inaccessibilis, perfectione ineffabilis, incomprehensibilis majestate: quòd naturâ immutabilis, bonitate incomparabilis, insuperabilis virtute. Ego, ego solus illi sum magnus & mirabilis, bonus & amabilis, fortis & terribilis: ego æternus & omnipotens, beatus & sapiens, unicus & omnia continens: ego dux & magister, medicus & Pater, amicus & sponsus: ego lux & gaudium, quies & corona, virtus & vita, principium & finis, Deus & omnia. Meritò itaque sine modo diligit, summo dignissimum amore: sine fine amat, æternum: quantumvis etiam diligat, si ut clibanus æstuet, ut empyreum ignescat, ut Seraphim ardeat, numquam satis diliget: felix tamen, si vel eo, quo scit valétque, modo ex animi medullis diligat.

§. XVII.

TE verò nunc, Philothea, è felice faciam, si me audis, longè felicissimam. Non nescio, quòd amare Dilectum percupias; sed es in schola divini amoris adhuc tiruncula, nondum calles artem artium, charitatem; primis vix elementis exculta: etiamnum languida & tarda. Itaque adsum ut, quod te per compendium loquendo docui, prolixiùs edoceam agendo. Amor enim amando discitur, & quanta est amoris exercitatio, tanta illi fit in dies & horas accessio. Quare *aperi mihi soror mea, sponsa.* Moveat te mea patientia, meus te labor excitet, accendat amor. *Caput meum* aspice; En! ut *plenum est rore*! *cincinnos* tange: ecce! ut pleni sunt *guttis noctium*! Ut ad te venirem, quanti

Magnis stetit laboribus Christo gratia,

quam affert sponsæ.

quanti mihi ſteterit vel hinc intellige: quot quantíſque *caput meum* periculis tuâ causâ objecerim, palpare, ſi vis, potes: me tacente, loquuntur comæ & *cincinni*. Non una mihi, ſed plures vigilatæ ſunt *noctes*, multæ mihi penetratæ ſolitudines, plurimæ tempeſtatum injuriæ paſſim exantlatæ.

O quàm horrenda, tetra, inimica nox fuit totius mundi idolomania! quàm ſpiſſa caligo Judæorum ignorantia! quàm vaſtæ ſolitudines Caiphæ & Pilati aulæ! quàm formidoloſæ tenebræ Phariſæorum & Sadducæorum inſidiæ, Herodis perſecutio, Ægypti cæcitas, proditoris perfidia, militum crudelitas! quantæ in his *noctibus* tempeſtates ſcommatum, ſputorum imbres, grandines ictuum, fulmina ſpinarum! Hinc illæ ſanguinis *guttæ* in cæſarie, ſudoris cruenti grumuli in *cincinnis*, in capite albicantis pruinæ nives, an *roris* ſtillæ dicam, neſcio. Utut ſit, jam certè non reliquiæ urentis pruinæ, ſed ardentiſſimi amoris teſſeræ: tot gemmæ, quot *noctium guttæ*: quantum *roris*, tantum argenti, margaritarum & auri; quia ſudoris *rorem* charitas vertit in aurum & margaritas, gloria beati corporis mutavit ſanguinis *guttas* in gemmas.

Cui ſe ſuáque omnia donare geſtit.

Tibi ergo, ò mea Philothea, *caput* hoc meum offero diviniſſimo *plenum rore*, plenum meritis infiniti pretii & valoris: tibi *meos hoſce cincinnos* donare geſtio, *plenos guttis noctiũ*, plenos cæleſtis gratiæ auxiliis. Quid, ſi hoc *caput* habeas, tibi deerit? Qui caput donat, cor & omnia donat; adjiciam tamen aliquid infinitum, ſcilicet infinitus. *Caput* Eccleſiæ quis, niſi ego? qui mei *cincinni*, niſi Sancti? immenſos ergo ſanctificantis gratiæ theſauros, meo meorúmque fidelium ſanguine & ſudore partos tecum communico. An ſatis? utique tuis abunde deſideriis; at non æquè divitiis meæ charitatis. *Caput meum*, quà homo ſum, Deus eſt; divinæ perfectiones, *mei* ſunt *cincinni*. O quàm excellens *caput*, quàm admirabiles *cincinni*! quis fando explicet, quod nemo

mo nisi Deus capit? Et hoc ergo *caput* ac *cincinnos* tibi pro dote offero: plus tu neque cogitare aut capere potes, nec ego dare.

Audio. Jam tandem surrexisti Philothea: jam aperire paras Dilecto: jam tibi vim infers, amorem proprium generoso pede calcas. Cor mihi pandere, me unum ardentissimo & æterno prosequi amore, me sequi, mihi adhærere sanctè statuis. Gratulor tibi victoriam, sed & inertiam castigo. Venis, aperis. Ego me tuis subduco oculis; ab animo non recedam, ut tu magnis amorem incrementis augeas; ego, quàm seriò fortitérque ames, certis discam experimentis.

Philothea.

SVrrexi, ut aperirem Dilecto meo: pessulum ostii mei aperui; at ille declinaverat. *Cant. 5. v. 5. & 6.* Surgam & circuibo civitatem, per vicos & plateas, quæram, quem diligit anima mea. *Cant. 3. v. 2.*

EXEGESIS.

§. XVIII.

Deus tarditatem animæ se subducendo punit.

ADsum, ò mi Dilecte, adsum. Ecce me! At ubi tu? ubi lates? an me gratiosè ludis? audivi ad ostium pulsantem, vocantis verba in animum admisi. Aderas, scio; at, pròh dolor! ut video, modò nuspiam compares. Heu me miseram! Audite superi, & meam miserescite calamitatem. *Surrexi, ut aperirem Dilecto meo.* Rebus humanis nuncium remisi, terrenis gaudiis valedixi, meis me abdicavi commodis, proprii quoque amoris expedivi laqueis, ut nempe totum cor Dilecto meo possidendum panderem. Nec diutiùs morata, *pessulum ostii mei aperui*, voluntatem illi

Aperiendum cor.

Voluntas, ostium: pessulus, libertas.

illi totam reſeravi, & libertate depoſita arbitrium meum Dilecto regendum penitus ſubmiſi, ut divinam illius faciem contemplari, dulciſſimas audire voces, ſanctiſſimos imitari mores, ipſum caſtis amplexibus tenere poſſem. Sed ecce, in ipſo tantæ felicitatis portu naufragium! Ut intromitterem deſideratiſſimum cordis hoſpitem, *aperui; at ille declinaverat.*

Patientia, ſolatium animæ deſolatæ.

Agnoſco pœnam, mi Dilecte; fateor culpam. Si *amica*, ſi *columba* eſſem, non tam ignava & tarda fuiſſem: ſi *ſororem*, ſi *ſponſam* tibi me præbuiſſem, tam nobilem fratrem, tam divinum ſponſum tamdiu fruſtrata non fuiſſem. Adhuc clementer mecum agis, nec pro meritis caſtigas. Te ſubducis, ſed non deſeris: præſentiam abſcondis, non aufers: ſolatia negas, deſiderium relinquis: dolorem incutis, amorem non tollis, ſed auges: *declinâſti*, non aufugiſti, transgreſſus ad ſponſas me digniores; non invideo: ſed redibis etiam ad indignam; non diffido. *Declinâſti* meum frigus; quia tu amore ardes: odiſti tarditatem; quia *curris, ut gigas*, nauſeas ingrati animi hebetudinem; quia tam es beneficus, ut *calicem aquæ frigidæ* æternis præmiis remuneres: tam liberalis, ut anxiè quæras, in quem gratiæ tuæ dona largiter effundas. Ignoſce, precor. Non ignoras, quàm ardua res ſit *cordis* oſtium cælo *aperire*, mundo claudere: quàm ægrè voluntas, per quam ingreſſus ad cor patet, æterna admittat conſilia, momentanea excludat: quàm forti opus ſit brachio, ut removeatur verſatilis ille peſſulus, aurea libertas, ad malum prona, perquam tarda ad bonum.

Pſ. 18. v. 6.

Matth. 10. v. 42.

Humanæ voluntatis indoles.

Nemo certè cor occupat, niſi per voluntatem: neque hanc quiſquam expugnat, niſi libertas in alterutram pertracta partem aditum aperiat, vel claudat, ſi dicat: nolo; interclufus eſt ingreſſus: ſi dicat: volo; jam patent omnia: quamdiu verò abnuit, nec tyranni, nec carnifices, nec inferi tantùm habent virium, ut huic cordis oſtio vim inferant;

tu

tu posses, si velles, quam dedisti, auferre libertatem; non soles. At ecce, *pessulum* hunc ad tuos abjicio pedes, tibi *ostium* patére meum volo: tibi cordis penetralia recludo, voluntatem omnem substerno, libertatem, quanta quanta est, consecro. Tu amor meus, tu desiderium, tu gaudium meum. Tibi serviet mea mens, famulabitur libertas, vires omnes tibi mancipatæ parebunt. Tantummodo redi, ô mi Dilecte, & animam tibi devotam visita: cor patet, ingredere. Ah! non ades? adhuc moraris? quando venies? ubi hæres? ô misera *amica*! ô infelix *columba*! siccíne sum *dilecta & formosa?* siccíne *soror* & sponsa? ô dolor, ô pœna!

§. XIX.

Quid inani questu auras impleo? si *declinavit*, sedendo non inveniam. Quærendus est, qui se occultavit: sequendus, qui abiit. *Surgam* itaque, & posthabitis quibuscumque periculis, *quæram, quem diligit anima mea*; quis enim *diligit*, & non quærit? At, an sic sola? sine teste, sine duce, sine comite? solus à sola inveniri vult: ipse mihi testis, & comes, & dux erit. Nolo alium amoris testem & arbitrum. Ille solus mihi comes pro integra stipatorum cohorte est: hoc duce non errabo, ipsemet *via* est; non impingam in tenebris, ipse *lux* est: non fatigata succumbam, ipse *fortitudo & virtus* est. *Quæram* ergo, ut inveniam, qui nisi inveniri vellet, ad quærendum non impelleret: quem, nisi propè foret, quærere non possem; *non diligeret anima mea*, nisi jam ipse mecum esset; *quæram* tamen, ut inveniam videndo per gloriam, quem sentio amando per gratiam. Sed ubi locorum gentiúmque Dilectus mihi quærendus est? An *inter cognatos & notos?* quæsivit olim tristissima mater toto triduo, & non invénit. An in senatorum curiis & aulis Principum? At meminit inimicas sibi

Quærat anima Deum.

Ioan. 14. *v.* 6.

Ioan. 8. *v.* 12.

Psal. 27. *v.* 8

Sed ubi oportet.

Luc. 2.

ſibi ſemper fuiſſe regias & prætoria. An in foris & tabernis ementium vendentiúmque negotiatorum? at olim *facto ex funiculis quaſi flagello ejecit, & menſas nummulariorum ſubvertit.* An *in Synagogis* & templis, *in ſilvis & deſertis, in montibus & campis?* certè hiſce in locis docentem invenerunt turbæ, orantem viderunt diſcipuli, jejunio quadraginta dierum noctiúmque emaciatum recreârunt Angeli. Jam ſcio. Ubique poteſt quæri, qui ubique eſt: ubique inveniri, ſi rectè quæratur.

Ioan. 2. v. 15.

§. XX.

Etiam ubique, ſed bene.

INitium dabo, ab eo quod proximum occurrit. *Circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram:* omnes angulos percurram luſtrabo intùs & extrà: neque, donec inventus mihi ſit Dilectus, conquieſcam. Quam autem *circuibo civitatem*? an illam, quæ me genuit, educavit, mœnibus cingit? prô! nimis anguſtis coarctatur finibus: quàm facilè illam emetiar ego pedibus animi, tam ille celeriter tranſire potuerit. Grandem potiùs illam, quæ ſub luna eſt, *civitatem* mentis obibo oculis, cui pro luce ſol eſt: pro fundamento terræ globus: pro vallo cæli; ignea ſphæra pro mœnibus: quam fluvii, & maria ſuis undis interſecant, regna & provinciæ *in vicos & plateas* diſtinguunt, montes & alpium juga ceu turres coronant: quam gubernat, qui condidit: implet, qui conſervat: ornat, qui illam ſuæ ſapientiæ, bonitatis & potentiæ monimentum eſſe juſſit. Hîc utique inveniam. Sin? amplius aliquid audebo. Ignoſce Domine, amor urget: omnia ſancto patent amori. *Circuibo* & illam, quæ *ſurſum eſt, civitatem ſanctam, civitatem Dei viventis, Ieruſalem cæleſtem:* ibi, ibi inveniam, *quem diligit anima mea.* Ingrediar, pervagabor, inſpiciam. Si Dilectus admittat, nemo excludet: quod non licet ignavo corpori; contemplanti & amanti licebit animæ. Nec quæram

Scilicet purè & cõſtantér. *Galat.* 4. *v.* 26. *Apoc.* 21. *v.* 2. *Hebr.* 12. *v.* 22.

quæram ut spero frustra; quia non oscitanter quæram. Laborabo, sudabo: non parcam manibus aut pedibus, non opibus, vel commodis, non sanguini & vitæ: dimittam omnia, ut unum obtineam. Clamabo, cantabo, votis, precibúsque auras & astra feriam; *quæram* cum lacrymis & suspiriis, cum hymnis & canticis, muneribus & placamentis: parata quidvis facere & pati, modò, quem quæro, inveniam.

FOrtis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. *Cant. 8. v. 6. & 7.*

Christus, Amor.

EXEGESIS.

§. XXI.

HOc placet: sic volebam: hunc in modum tarditatis maculam diluet *amica*: sic erit *columba, dilecta, & formosa*, jam legitimis charitatem suam mihi probat experimentis. Quisquis enim inanibus verborum officiis suum venditat amorem, nec factis animat, is falsa imagine charitatis se aliósque decipit, me non fallit. Ad grandia se ipsam urget charitas, non contenta parvis: arduos suscipit conatus, magno semper impetu fertur ad excelsa: odit molles & delicatos amatores, generosis gaudet mentibus. Non quidem invidet, sed amicè *æmulatur*: non ardet furore, sed Zelo: quantùm rapitur in desideratam bonitatem, tantùm indignatur oppositæ difficultati. Ubi ergo *dilectio*, ibi *æmulatio*: illa *fortis, ut mors* ad agendum; hæc *dura ut infernus*, ad patiendum: illa *fortis*, quia vincit omnia: hæc *dura*, quia cuncta sustinet: illa, cùm ardescit, quidquid aggreditur,

Aggredienda ardua propter Deum.

Dilectio fortis.

tur, ſubigendo domat; hæc cùm iraſcitur, quidquid adverſatur ulciſcendo frangit: illa volat ut fulmen; hæc reſiſtit ut adamas, ſed adamas *inferno* contumacior, fulmen *morte* violentius.

Ut mors.

Fortis eſt mors, invicta, inevitabilis; non neſcio. Quis enim illius umquam evaſit telum? Non ſacræ Pontificum tiaræ, vel auguſtæ Cæſarum coronæ: non ahenea cataphractorum ſcuta, vel annulatæ militum loricæ: non vaſta mole gigantes, aut vultu horridi Cyclopes: non callida ſapientum ingenia, aut prægnantia auro divitum marſupia. *Mors* cæca peſſumdat omnia, ferreos pervadit muros, medias perrumpit acies, per ſaxa, per ignes illæſa ruit, obvia quæque ſternit, & falci ſuæ ſubjicit. At *dilectio* vel ipsâ *morte fortior*, mortem ridet, vivit poſt funera: vitam non eripit, niſi mortalem, ut det æternam. Quemcumque corripit, blandè conſtringit: ſub dulce jugum mittit, at non premit; dum vincit, reddit invictum: *fortem* efficit, dum rebus omnibus facit ſuperiorem, ut ſaxa, tela, rogos non horreat: ſilvas, montes, maria non æſtimet; ſudorem, ſanguinem, vitam pro Dilecto habeat venalem.

Exempla robuſtæ charitatis antiqua. *Hebr.* 11. *v.* 8.

Sic olim Abraham Numinis amore ardens relicto ſolo patrio ſecutus vocantem mundi conditorem *exiit, neſciens quò iret.* Sic filium unicum, chariſſimum cæli pignus divino juſſu immolare aggreſſus eſt, ne plus amoris filio, quàm ſupremo Numini impertiret. Hoc ſancti amoris igne accenſus Moyſes ſpretis regiæ deliciis, maluit pro Deo opilionem agere, quàm cum eius offenſa imperare: ideóque *negavit ſe filium Pharaonis, eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem:* neque his contentus mille periculis caput objicere non dubitavit, ne gloriæ amati Numinis in pervicaci populo propagandæ deeſſet.

v. 25.

Hac inflammatus charitate David, ut audiit, quas Philiſtæus contumelioſas in Exercituum Deum voces evomebat,

bat, gigantem aggressus puer, armatas non timuit acies, quin singulare iniret certamen: deinde vir vicinos reges, à veri Dei cultu alienos, leonis instar invasit, debellavit regna, idololatriam succídit, divitiásque immensas inde partas, *argentum, aurum*, gemmas, non luxui regio, sed victoriarum largitori *Domino consecravit.* Denique inter regales delicias & gloriæ majestatem amaris noctu lacrymis deflevit culpas, setosis vestibus, inedia & cinere castigavit, septies interdiu Deo cantavit laudes, divino cultui & sacrificiis regias opes & celsitudinem addixit, ingenium & vires impendit, mentem animámque dedicavit: ut adeò, quidquid terrenum est, calcaret; quidquid Deus non est, nausearet: solum cogitaret Deum, solum loqueretur, solum quæreret, & *quemadmodum cervus ad fontes aquarum* suspiraret.

1. Paralip. 18. v. 11.

Psal. 41. v. 2.

Recentiora.

At mittamus vetera. Quis Magdalenam adduxit, ut truces non horreret milites? atroci Crucis supplicio adstaret intrepida? cùm adhuc tenebræ essent, festinaret ad sepulchrum, méque ubi ubi essem, tollere arderet? *fortis dilectio.* Quis Petrum adegit, ut me in littore conspecto, ipse se jactaret in mare, quò natando navem prævertens citiùs, quem amabat, amplexu stringeret? quis impulit, ut posthabitis Principum minis ac verberibus JESUM Dei filium prædicaret? inter vincula & custodes sui securus altùm dormiret? cum Simone Mago & inferorum Principe solis armatus precibus congredi ausus, palmam reportaret? pro curru triumphali fatale Crucis lignum conscenderet? *fortis dilectio.*

Atque ut alios complures robustæ charitatis heroës & heröidas prætercam, quis Franciscum inter viros, Tereſiam inter Virgines, Seraphinis quàm hominibus propiores animas, permovit, ut mille cruentas mortes, quas domi suæ sperare non poterant, apud barbaros quærerent, ideóque

mare trajicerent? quis innumeros alios, ut ad rara divinæ charitatis prodigia patranda induceret, sepulcris inclusit, ut Jacobos & Macarios? quis columnis perpetua statione affixit, ut Simones & Danieles? quis claustris & desertis mancipavit, ut Paulos & Onuphrios? quis ferreis vestivit loricis, ut Dominicos & Guilielmos? quis rigentibus stagnis immersit, ut Bernardos & Ignatios? quis ardentibus rogis spontaneo jactu immisit, ut Apollonias & Christinas? profectò *fortis dilectio*, morte violentior: quæ etiam in Cælites, in quos nihil potest mors, omnia potest: quam ipsa divinitas gaudet habere dictatricem.

§. XXII.

At non est grandis dilectio, ubi non est æmulatio.

VEre ergo nunc diligit Philothea; quia pro Dilecto fortiter agit: digna ut, quem quærit, inveniat; si tam sit patiendo infracta, quàm est faciendo alacris & generosa. Experietur sanè, quòd neutiquam durare possit *fortis dilectio*, nisi pro armigera illi adsit *dura æmulatio*. Quò enim magis charitas ardendo crescit, eò plures experitur hostes; quò se latiùs explicat, eò majores offendit acies & pugnas, à mundo, carne, dæmone inflammatas: aut certè tentationum, dolorum, desolationúmque turbines & procellas incurrit, ad majus amoris incendium, veluti quibusdam flabris, excitandum immissas. Ut ergo tot obsepta periculis se tueatur inermis *dilectio*, succurrit fida comes & custos *æmulatio*, insultus hostium repellit, adversos ictus excipit, ulciscitur illatas Dilecto injurias: *solicitudinem* obsequii extimulat, *defensionem* gloriæ commendat, *indignationem* mentis acuit, incutit displicendi *timorem*, patiendi *desiderium* exaggerat, contentionem imitandi urget, *vindictam* officii neglecti expetit: non flectitur prece vel pretio, ut inexpugnabile fatum: non minuitur adversis flatibus, ut inextinguibilis asbestus: non satiatur incommodis & pœnis, ut

Armigera dilectionis.
2. *Corint.* 7 *v.* 11.

ut inexplebilis Ætna: quidquid grave accidit, avidè complectitur, & devorat ut indomabilis flamma: quidquid semel prehendit, numquam dimittit, ut inexorabilis orcus: verè *dura sicut infernus.* Nimirum à Zelote Deo, à maximo æmulatore Christo, & diligere castè, & sanctè æmulari didicit.

Hoc Zelo primus in cælesti regia exarsit archistrategus Numinis Michael Archangelus, quando indignè ferens divinam à Lucifero majestatem violari, in medium prosiliit. *Quis ut Deus*, inquit, & cum dicto, ut offensam Numinis æternùm vindicaret, temerarium Deitatis invasorem cum omni seditiosorum Spirituum exercitu de cælo in Tartarum deturbavit. Hoc æstuabat Elias, quando perditi Regis, perfidæque Reginæ machinis, terroribus, insidiisque flecti nescius, ut invisam Cælitibus gentem, & idololatriam radicitus exscinderet, *Octingentos & quinquaginta sacrificulos ad torrentem Cisson interfecit.*

Exempla sanctæ æmulationis.

Apocal 12 *v.* 7.

3. *Reg.* 18. *v.* 40.

Hoc accensus Paulus insatiabile alebat desiderium, divinæ gloriæ latiùs proferendæ, quando magnam orbis partem pervagatus, nil nisi animas sitiebat, *omnibus omnia fieri, in Cruce gloriari, dissolvi & esse cum Christo* gestiebat. Quoties *virgis cæsus, lapidatus, naufragium passus est?* in quot quantisque *periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine* diu noctúque versatus? numquam tamen satur, semper invictus & ardens, semper majoribus amoris sui acuendi occasionibus inhiabat. Quid quod etiam *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter* ita tenaciter Deum strinxit, ut cælum, terram, inferos provocare ausus diceret: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque*

2. *Cor.* 2. *v.* 25. 26.

v. 23.

Rom. 8. *v.* 35.

Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESU *Domino nostro.*

Simili ardore inflammati & divina indurati *æmulatione* innumeri Martyres nullis cessêre pœnis, risêre tormenta, cruciatibus facti fortiores, injuriarum, dolorum, calamitatum tempestates, imbres, fulmina immoti exceperunt: alii horum æmuli, quem sanguine testari non licuit amorem inter supplicia & in catastis, abundè testatum fecêre inter sudores & in variis mundi plagis: dum infatigabili divinæ gloriæ salutisque alienæ studio orbem utrumque complexi, quò plus laborum animarúmque lucri fecêre, eò majore ardebant Zelo plura majoráque tolerandi, & cum Francisco meo Xaverio *amplius, amplius*, exclamabant: rectè arbitrati, numquam satis amari posse eum, qui infinito dignus est amore: nec aliud esse amare, quàm pro Dilecto multa ac magna facere & pati.

§. XXIII.

Lampades charitatis.

UT compendio dicam. Amor verus ardet & lucet: sibi flagrat, splendet aliis: flammas spargit, ut accendat; radios vibrat, ut illuminet: alii *prunas* & *jacula* vocant, *lampades* & *alas* appellant: quia illis amor ceu *prunis jaculisque* utitur, quò cominus calefaciat, eminus configat: tamquam *lampades* gerit, quibus conceptos semel ignes foveat; velut *alas* explicat, quibus longè, latéque incendia circumferat. His se flammis tuetur & ornat, his vincit & triumphat. Neque enim sunt fragiles & è vitro ductæ *lampades eius:* nec è molli cera fictæ, & liquescentes alæ; sed *lampades ignis, atque flammarum, alæ* Seraphinorum æmulæ, ignivomis instructæ pennis.

Quid

Quid mirum? totus ipse Amor est ignis: pro *lampade* est illi mens ignea, pro ala impetus: instar candentium carbonum desideria: suspiria pro ardentibus habet sagittis: fervet opere, coruscat moribus, verbis illuminat, accendit exemplis: semper tamen ad sphæram, ad cælum, ad suum centrum, ad Deum anhelat, eluctatur, & emicat: ad suam scilicet originem, ad ignem. Ego enim *ignis consumens ignem véni mittere in terram, & quid volo, nisi ut* ubique terrarum gentiúmque *accendatur*? at quem illum? an elementarem & naturæ finibus inclusum? an profanum & mentibus humanis natum? absit. Cælestem attuli de cælo flammam, è divino haustam pectore, Charitatis scilicet Deus, de Deo charitatem. Hanc piis insero præcordiis & ardere volo, hac mundum universum accendi desidero. Hæc mihi cordi est, ista me rapit, me dulciter constringit, & flammas flammis accumulat. Hæc non secus ac ignis odit moras, nescit torporem, caret, pondere, fugit fugátque tenebras, satiari nequit, non inquinatur sordibus, non tenetur vinculis, non patitur angustias, omnia penetrat, omnia lustrat, omnia domat, ipsa indomabilis.

Charitas ignis.

Deuter. 4. *v.* 24. *Luc.* 12. *v.* 49.

O quoties juratus charitatis hostis ab usque mundi exordio hunc sidereum ignem è medio tollere totis viribus connisus est? quàm amaras persecutionum aquas Patriarchis, Prophetis aliísque justorum cœtibus affudit? quot quámque sordida nefandorum scelerum diluvia toti mundo immisit? ubi locorum lethæas stygiásque oblivionis, vel piceas sulphureásque impietatis undas plenis alveis non exoneravit, ut cælestem flammam aut voluptatibus obrueret, aut certè atris inferorum ignibus involueret? quoties purpureos innocentum cruore lacus & maria profudit, terrásque inundavit? At verò nihil profecit sive invidia Orci, sive perversitas mundi: nihil criminum immanitas potuit, nihil morum fœditas, nihil denique crudelitas tyrannorum

Nullis malorum fluctibus potest extingui.

rannorum obtinuit. Hæ omnes *aquæ*, quantumvis *multæ* & violentæ, *non potuerunt extinguere charitatem.*

Genes. 4. 5. 6. Philip. 2. v. 15.

Teſtantur id *Enos, Enoch, Noë, in medio nationis pravæ* ante diluvii aquas, *invocare nomen Domini, ambulare cum Deo,* juſtitiam & perfectionem ſequi â charitate docti, fidem faciunt Iſaac, Jacob, Joſeph poſt mundi eluvionem, charæ Deo animæ; quia inter inſidias, labores, & odia, quamvis idololatris circumdarentur, veri Dei amore & cultu prædita: ſuo docent exemplo in lege veteri Joſue, Caleb, Samuel, heroës tam fortitudine illuſtres, quàm divinæ gloriæ zelo & charitate præſtantes: David, Ezechias, & Joſias coronata capita, ſed religionis juxtà, & charitatis divinæ gemmis inſignita: Iſaias, Jeremias, Daniel clariſſimi vates; ſed invictâ animi conſtantiâ & charitate inſignes: Tobias, Jobus, Onias, præclara ſanctitatis lumina; ſed mira charitate inflammata: Juditha, Eſther, Suſanna, caſtiſſimæ & excelſæ mentis matronæ; ſed ad hunc virtutis apicem à charitate Numinis evectæ.

De poſterioribus ſæculis quid dicam? Nec ſaxorum volitantium imbres in Stephano, nec detractæ pellis ſanguinolenti rivuli in Bartholomæo, nec ferventis olei lacus in Joanne, nec vaſti maris vortices in Clemente, nec crepitantium flammarum undantes globi in Laurentio, nec omnia, quæ orci rabies excogitare poterat, tormenta, lanienæ & cruenta balnea in millies millenis aliis ſancti Amoris heroibus *potuerunt extinguere charitatem.* Neque ſecuturis pòſt ſæculis, quæcumque mundus & inferi crudelitatis, perfidiæ ſcelerúmque *flumina* effuderint, *obruent illam cæ*leſtem flammam; quin ſemper emergat, & ad vivæ modum calcis affusâ frigidâ magis magiſque efferueſcat.

Sed ecce! occurrit Philothea: mutemus vultum habitúmque, non perſonas: vocem, non animos: deponamus paulisper radios, non amorem. Videat, non agnoſcat,

ſcat, dùm aliquid noſtri videt, non nos. Ludamus ſuaviter dilectam noſtram: ut me quærat, quem habet corám, & majore ſuo lucro gaudióque paullò pòſt quem quærit, reperiat. Etiam ſol, quò diutiùs latuit, hòc gratior affulget.

SCENA II.

NVm quem diligit anima mea vidiſtis? *Philothea.* *Cant. 3. v. 3.*

EXEGESIS.

§. I.

HEu me! jam diu terram perambulo, neque tamen, quem anxiè quæro, uſpiam locorum reperio: paſſim mihi occurrunt clara Dilecti veſtigia; at non ipſe: bellæ quidem lineæ, at non deſiderata facies: imagines, at non Dilectus: umbræ, at non ſol meus. Video terram, vaſtam omnino molem, ſitu infimam, figurâ globoſam, gravem, denſam, ſiccam, frigidam, in medio univerſi pendulam, communem hominum matrem, pulcherrimum humanæ vitæ theatrum, perpetuum naturæ promptuarium. Europam, Aſiam, Africam, Americam intueor: imperia, regna, provincias, regiones inſpicio, & numero: cerno in ſingulis montes & colles, valles & campos, ſylvas & lucos, agros & hortos, civitates & oppida, privata & publica ædificia.

Anima in Terra Deum quærit: inde gradatim ultrà cælos aſcendit.

Terræ conſideratio.

Con-

Contemplor in ſupremis montium jugis lacus, & inexhauſtas fluminum ſcaturigines: in lateribus marmoris lapidúmque fodinas: in imis radicibus gemmas, & auri, argenti, æris, ferri, plumbíque venas. Obſervo in vallibus & campis herbas & pecora; in ſilvis & lucis, arbores & feras; in agris & hortis, fructus & flores; in civitatibus & oppidis politiam, & leges; in ædibus familias & mores, ubique homines, gratuitos & inquietos terræ inquilinos.

Primus aſcendendi gradus ad Deum. *Pſal. 99. v. 3.*

Quæro ubique & clamo: *num quem diligit anima mea vidiſtis?* at inani vocis repercuſſu veluti per jocum omnia reſpondent: vidiſtis? quaſi dicant: quid dubitas? utique vidimus. *Ipſe* nimirum *fecit nos, & non ipſi nos.* Mirare in montibus vaſtitatem, in fontibus abundantiam, in marmore firmitatem: lucem & varietatem in gemmis, ſplendorem & virtutem in auro, pondus & candorem in argento: in ære, ferro, plumbo uſum & neceſſitatem. Obſtupeſce in pecoribus ſobolem, in feris robur, in herbis virorem, in arboribus proceritatem, in agris ubertatem, in fructibus ſaporem, fragrantiam & colorum certamina in floribus. Specta denique Majeſtatem, gloriam divitias in aulis, ſapientiam in curiis, ſcientias in ſcholis, in officinis artes, in tabernis induſtriam, juſtitiam in legibus, decorem in moribus, religionem in ſacris: in omnibus multitudinem, diverſitatem, indolem, fines, motus, ortum atque occaſum. Hæc conditor nobis impreſſit ſuæ ſigna divinitatis: quid ultrà quæritas? numquid in omnibus Deum, *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia,* vides? ita quidem illa, quæ in terris video, exclamant.

Rom. 11. v. 36.

§. II.

Quidquid habet tellus boni, punctum eſt ad Deum.

SEd eheu! iſta mihi Dilectum adumbrant, non præſentant: ſtudium quærendi inflammant, non ſopiunt. O quàm ſapienter ille fecit, qui Deum quæſiturus *aſcenſiones in*

in corde suo disposuit, in valle lacrymarum. Altiùs certè erigenda mens est, & longè supra terram & mihi ascendendũ: faciendus magnus à solo ultra cælum gradus. Nam si hæc exilia Dilecti lineamenta, creatis inscripta rebus, tam digna sunt admiratione & amore, quâ amoris flammâ dignum existimem summam esse Dilecti excellentiam? quid enim terrena magnitudo ad meum Dilectum? nónne *tribus digitis* ille totam *appendit molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera.* Annon ergo illa punctum est ad immensitatem? quid abundantia? nónne *ipsius est terra, & plenitudo eius: ipse dat omnibus affluenter & non improperat: dat in montibus fœnum, & herbam servituti hominum?* Annon ergo illa est gutta ad Oceanum? quid firmitudo lapidum? nónne ipse est, *qui est, qui erat, & qui venturus est, principium & finis*, sed absque fine & principio? annón ergo illa cera est ad adamantem? quid gemmarum & auri fulgor? nónne ipse est *Deus lucis? in manibus abscondit lucem, & præcipit ei, ut rursus adveniat? & lumen illius super terminos terræ?* annon ergo splendor ille umbra est ad solem?

Psal. 83. v. 7. — *Isaia 40. v. 12.* — *Psal. 23. v. 1.* — *Iac. 1. v. 5.* — *Psal. 103. v. 14.* — *Apocal. 1. v. 8.* — *Eccles. 46. v. 18.* — *Iob. 36. v. 32.* — *Iob. 37 v. 3.*

Nihil ergo horum sufficit: non hæc *diligit anima mea:* major est multò, quàm ut minutulis hisce inaniis expleatur. Sterilis est omnis fecunditas præ Dilecto, qui ante sæcula ex Deo genitus semper gignitur, semper cum Patre Divinum spirat Amorem: qui innumeros mente concipit mundos, cùm vult, verbo parit: mille Angelorum myriades nutu condidit; tótque generat Virgines, ipse Virgo, ex Sponsa Virgine, quot cælo animas. Omne robur præ illo infirmum est, de quo Cælites canunt, *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio: Omnipotens nomen eius:* certè *potestas & terror apud eum est: Columnæ cæli contremiscunt, & pavent ad nutum eius.* Luridus est omnis præ illo viror, humilis quantacumque proceritas, egena quantalibet

Psal. 23. v. 8. — *Exod. 15. v. 3.* — *Iob. 25. v. 2.* — *Iob. 26. v. 11.*

bet ubertas, ſapor quicumque inſipidus, fragrantia fœtens, deformis pulchritudo. Tu, Dilecte mi, ſolus vires & viges, ſolus veluti paradiſus flores & amœnitate quidem perenni ſemper vernas. *Omnes ſicut veſtimentum veteraſcent: Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Tu ſolus omnem excedis celſitudinem, pro ſede cælum habes, terram pro pedum ſcabello. *Tu Deus altiſſimus, nimis exaltatus es ſuper omnes Deos, jam olim ad cælum attingebas ſtans in terra:* quantò magis poſtquam *magnificentia tua elevata eſt ſuper cælos.* Tu ſolus dives, qui nullius indiges, ipſe tibi ſufficis, fons omnium bonorum, mare gratiarum: ſemper effundis, ſemper tamen abundas: *aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione.* Tu dulcedo ineffabilis, ſine nauſea ſatias, ſine dolore deſiderium accendis. *Spiritus tuus ſuper mel dulcis, & hereditas ſuper mel & favum: guttur ſuaviſſimum:* quantus, quantus es, *totus es deſiderabilis.* Tu cælum terrámque ſuaveolentiâ imples, factus non modò nobis *odor vitæ in vitam, ſicut cinnamomum & balſamum aromatizans, aut quaſi myrrha electa;* ſed etiam *hoſtia Deo in odorem ſuavitatis.* Tu pulchritudo, non adſcititia & fallax, ſed vera & propria: non fluxa & lubrica, ſed æterna & perfecta, quam videre eſt beari. Tu admirabilem prorſus *decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento, præcinctus Zonâ aureâ:* tu es, cuius *oculi tamquam flamma ignis: cuius facies ſicut ſol lucet in virtute ſua: & in cuius capite diademata multa:* tu tot myriades floſculorum, gemmarum, fructuum, arborum, animantium tantâ partium concinnitate, tam amœno lucis fulgore, tam vivida colorum varietate, tam multiplici formarum diſcrimine, jam à tot annorum millibus de immenſo pulchritudinis tuæ theſauro inſtruis, & exornas.

Deus incomparabiliter melior omnibus terræ bonis.
Pſal. 101. *v.* 27.
Pſal. 96. *v.* 9
Sap. 18. *v.* 16.
Pſal. 8. *v.* 2.
Pſal. 144. *v.* 16.
Eccleſ. 24. *v.* 27.
Cant. 5. *v.* 16.
2. *Corinth.* 2. *v.* 16.
Eccleſ. 24. *v.* 20.
Epheſ. 5. *v.* 2.
Pſalm. 103. *v.* 1.
Apocal. 1. *v.* 13.
Apocal. 19. *v.* 12.
& 1. *v.* 16.
Apocal. 19. *v.* 12.

§. III. Te

§. III.

Prima ad Deum aſpiratio.

TE ergo inquiro, te ſuſpiro; tu fulgor, tu ardor meus, tu ubertas, tu celſitudo mea: tu ſapor, tu odor meus: tu amœnitas, tu pulchritudo mea. Sed ubi te inveniam? an in aulis? ſed, ò quàm miſera eſt illic majeſtas! quàm anguſta opulentia! quàm fallax gloria, amara voluptas! Tibi cælum regia, miniſtri Angeli, opes voluntas omnipotens, divinitas deliciæ. An in curiis & Academiis? at quàm inſipiens eſt mundi ſapientia, quàm inſcita ſcientia! quot erroribus obnoxia! quantis tenebris obvoluta! quot annis & quantis ſudoribus comparanda! Tibi præterita, præſentia, futura omnia ſunt perſpecta: tibi notus in mari arenarum, capillorum in capite, ſegetum in agris, herbarum in campis, ſtellarum in cælis numerus: tibi arcana mentium, hominum & Angelorum cogitata, dicta, facta penitiſſimè ſunt aperta. An in officinis? O quàm ſordidæ & laborioſæ illic deſudant artes! tu ſtupendo artificio hanc mundi machinam, opus undequaque abſolutiſſimum ſine materia, ſine inſtrumentis, ſine labore, ſine mora, ſolo verbulo fabrefeciſti. A te habet juſtitia leges, religio ſacra, bonos mores humanæ politiæ honeſtas: tu lex æterna, ſanctitas divina, norma honeſtatis. Quid itaque moror? cur non terrena cuncta tranſeo, & cætera quoque mundi elementa percurro? In aquis, aëre, igne quærendus mihi eſt, quem terra non ſatis exhibet, Dilectus.

§. IV.

Conſideratio aquæ.

QUàm mira & ſuo digna opifice ſe offerunt hîc ſpectanda! quocumque oculos flecto, liquidus ſe campus aperit; vitreum æquor, profundiſſima abyſſus: vaſta, tumida, pellucens & fluida aquarum moles occurrit: hîc Oceanus quaqua verſum per immenſa ſpatia diffuſus magnam

terrarum orbis partem occupat & coarctat: illic maria, lacus paludésque premunt; isthic flumina, torrentes fontésque lacerant & pervadunt. Unde tantum liquoris, ut tot támque grandes telluris voragines impleat? quis congessit? unde accepit? quomodo transportavit? si non aliunde, ergo, ex nihilo. Unde porrò tam constans humoris abundantia, ut jam ab usque mundi exordio in uno flumine, quot ferè momentis dies noctésque tot aquarum congii culeíque perenni fluxu decurrant? unde tam certa incerti maris reciprocatio, ut in vicinas littorum arenas quotidie statis horis æquabili cursu suas infundat undas, easdémque resorbeat? Unde tanta in simplici tenuíque elemento diversitas? in lubrico vis? in sterili fecunditas? Omnipotens dextera fuerit, necesse est, quæ tam grandia patravit naturæ miracula!

Secundus ascendendi ad Deum gradus,

Certè non nisi divina in aquis sapientia tam mirificè ludere potuit, & facere, ut lympha, quæ ob arctam cum terra & aëre cognationem summè frigida, & excellenter humida est, jam quidem gelida è solo prodeat, jam tepida nascatur, jam omnino fervida prosiliat: quæ sine sapore condita est, hîc salsa ad condimentum, illîc dulcis ad potum, istic acida ad medelam fluat: quæ liquida naturæ ductu dilabitur, ea in salem, succos, lapidésque calore densetur; in glaciem, grandinem, atque adeò crystallum frigore concrescat: quæ pondere suo ad inferiora fertur, in summa tamen montium juga evadat, inde fontes, rivos & flumina vastissima diffundat, onustas mercibus naves fluido & imbelli dorso huc illuc devehat: quæ mollis est & invalida, guttatim tamen cadens saxa excavet; collecta verò ruens pontes, mœnia, oppida sternat. Profectò magnum divinæ potentiæ argumentum! sed & summæ donum liberalitatis.

Quid

Quid enim aquâ ſive ad utilitatem commodius, ſive parabilius ad neceſſitatem? Illa ignem extinguit, ſordes eluit, æſtum retundit, ſiccitatem mitigat, duritiem mollit; illa terram fecundat, medetur morbis, alimenta miniſtrat, artibus inſervit, regna multis leucarum centuriis disjuncta navigationis beneficio conjungit. Quid denique fertilius aquâ? quot paſſim per cuncta maria, flumina lacúsque piſcium vagantur greges! quàm ii ſpecie, figurâ, magnitudine, alimento, locóque varii? alii ſquamis loricati, alii teſtis cruſtíſque cataphracti, alii velut inermes molli corio tecti, plerique ad eſum uſúmque idonei? Quàm admirandi aquarum partus ſunt corallia? quæ quamdiu infundo maris latent, virides molléſque imitantur ſurculos; cùm in lucem aurámque protrahuntur, velut erubeſcerent videri, in miniatos lapides dureſcunt! quàm præclara undarum ſoboles, conchæ, muricis & margaritarum pretioſæ matres! quàm ſtupenda pelagi proles, præſagi tempeſtatum echini, hominum amantiſſimi delphini, prædones navium balenæ, proræ remigúmque ſufflaminatrices remoræ, piſcatorum deceptrices ſepiæ, immania cete, ſingula in littus ejecta & exſiccata in ampliſſimas domos ſuffectura, & ſexcenta eiusmódi natatilium prodigia! O ſapientia Numinis! O providentia Conditoris! quis tot voraces beſtias paſcit? quis numerum tenet? naturam callet, vires domat? quis undis imperat? quis ferociam concitati maris coërcet? Exclamo itaque: *Num quem diligit anima mea vidiſtis*? En! ut muta ſint, minimè tamen ſilent; audio & murmur intelligo. Jam à mundi ortu *elevaverunt flumina vocem ſuam, elevaverunt flumina fluctus ſuos.* At quæ illorum oratio? *Ipſe fecit nos & non ipſi nos.*

Pſal. 92. v. 3

Ego verò non hoc quæro, non hoc neſcio: jam ſic dudum regius Cantor me docuit: cùm inquit: *Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus!* Sic eſt: Ille verbo

Mirabilis in aquis Deus.

Pſal. 92. v. 4.

Iob. 26. v. 10. Ps. 32. v. 7. Iob. 38. v. 10. & 11. Psal. 135. v. 25. Iob. 40. v. 20.

verbo quas condidit aquas, ſpiritu fecundavit; ille *terminum circumdedit, & ſtatuit ſicut in utre*: ille *legem poſuit, ne tranſirent fines ſuos*: ille objecit *vectem & oſtia, & dixit: usque huc venies & non procedes ampliùs, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Ille *dat eſcam omni carni.* Ille poteſt *extrahere Leviathan hamo & fune ligare linguam eius*: illi ſine mora famulantur maria, fontes & flumina: illi tam promptè & fideliter parent aquæ, ut in Domini gratiam ſervis quoque miniſtrent, & liquidum ambulanti Petro tergum præbeant, Martiano delphinum bajulum, Bennoni clavigerum piſcem, Xaverio cancrum crucigerum ſubmittant: ut aliis pro lympha vinum propinent, aliis repentè ex duro ſilice largiter fontanam præbeant, vel integros lacus deſerendo exſiccent: quódque mirabilius eſt divinâ omnipotentis dexterâ elevatæ ſacroſanctis fidei myſteriis inſerviant, dum in baptiſmate culpas animi abolent, atque in Euchariſtia vino miſtæ in pretioſum Numinis cruorem tranſeunt. Eſt itaque Deus etiam in aquis, ſed longè ſuper aquas.

§. V.

Quidquid eſt in aquis boni, gutta eſt ad Deum.

ERgo iterum veſtigia tantùm Dilecti teneo, non Dilectum: umbram prenſo, non theſaurum: guttam haurio, non ſtringo Oceanum. Quid omnia undarum miracula ad JESUM meum, Deum meum? Quàm utilis eſt aqua, tam eſt vilis: quàm neceſſaria, tam ferè contempta; & ubi tandem pura? quot ubique viciſſitudines aut patitur, aut affert? Si agites, ferveſcit & ſpumat: ſi quietem indulgeas, putreſcit & fœtet. Quoties terræ hiatibus abſorbetur? quoties ſolis attracta radiis evaneſcit? quoties ſcopulis alliſa frangitur, invita attollitur, denſatur, lenteſcit, remis ſcinditur, ignibus torquetur & bullit? quoties etiam luculenta affert damna, & dum refrigerat, ſtupefacit; dum hauritur, gravat; dum haurit, mergit & ſuffocat: ſemper

per infidum & instabile elementum, humanæ inconstantiæ symbolum, vitæ fragilis & caducæ typus.

Non ita Dilectus meus, non ita: æternus est & immutabilis, semper idem, & sibi similis, semper infractus & tranquillus, semper firmus & immotus, semper purus à sordibus, à vitiis intactus, quàm utilis, tam pretiosus. Alias habet ille aquas, alios fontes, torrentes, fluvios, maria: non terræ aërique cognata, sed cælestia & divina. Illas aquas sitio, illa natare flumina, navigare maria exardesco. O quàm pretiosus liquor est *aqua sapientiæ salutaris*! quàm charæ scaturigines *vitæ fontes aquarum*! quàm jucundi gurgites, *torrentes voluptatis, & gloriæ*! quàm amœni divitésque fluvii, *Benedictio & pax*, de quibus sapiens: *Benedictio illius quasi fluvius inundavit.* Et ipse Dominus: *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem gloriam gentium*! O quàm nobiles dulcésque *rivi lactis & olei*, quos incredulus Abiron impiè sugillavit, gustare non est meritus, cùm dixit: *Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis*: divinitus se accepisse fatetur Jobus: *quando petra*, inquit, *fundebat mihi rivos olei.* O quàm immensa sunt & admiranda maria, illud Justitiæ, salsissimum ad castigandum: quando *inimicos* suos *demergit in mare*! alterum Misericordiæ, dulcissimum ad parcendum: quando *miseretur nostri, & projicit in profundum maris omnia peccata nostra*!

Eccles. 15. *v.* 3. *Apocal.* 7. *v.* 17. *Psal.* 35. *v.* 9. *Eccles.* 39. *v.* 27. *Isaiæ* 66. *v.* 12. *Num.* 16. *v.* 14. *Iob.* 29. *v.* 6. *Sap.* 10. *v.* 19. *Mich.* 7. *v.* 19.

§. VI.

Secunda aspiratio ad Deum.

AD Deum ergo propero, ad Dilectum anhelo. Ille *ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.* Ille me invitat: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat, accipiat aquam vitæ gratis.* Ille totam *mundavit Ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, ut sit sancta & immaculata.* Ille sauciatis medetur mentibus per

Ap. 22. *v.* 1. *Ioan.* 7. *v.* 37. *Apocal.* 22. *v.* 17. *Ephes.* 5. *v.* 26.

Ezech. 47. v. 12. & 9. per aquas de *sanctuario* instar *torrentis* egressas. Mox enim ut tetigerint, *sanabuntur & vivent omnia, ad quæ venerit torrens* salutiferi liquoris, è latere Crucifixi Servatoris non minùs prodigiosè quàm prodigè fluentis. His ille aquis ferrea emollit pectora: his refrigerat currentes in via mandatorum sponsas: his reprimit cupiditatis æstum, tartareas extinguit flammas: his *terram* cordis *desertam, inviam, & inaquosam* irrigat & fecundat: his navem animæ immensis cumulat divitiis, ad salutis portum transmittit, & cælesti regno invehit coronandam.

Psal. 62. v. 3.

Psal. 41. v. 2. *Quemadmodum ergo desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus:* Quid aliud faciat amica & dilecta? pro tali tantóque Dilecto? Tota ergo toto cordis affectu ad te feror, ad te festina curro, te anxia quæro, te siticulosa suspiro, te ardeo amoris sauciata jaculis, validis accensa flammis, cælestibus impulsa ventis. Nauseo terrestres aquas, quocumque fonte petitas: despicio divitias qualicumque natas flumine: sordent mihi maris pignora, quantumvis pretiosa. Hæ quidem aquæ faucibus sitim pellunt, at mentem non refrigerant: corpus abluunt, ad animum non pertingunt. Hæ Oceani fluminúmque opes & deliciæ sensibus blandiuntur, menti periculum creant: gravare possunt suos piscatores, non verò satiare.

Esth. 10. v. 6. Genes. 2. v. 10. Eccles. 24. v. 41. Tu, tu Dilecte, es ille fons *parvus, qui crevit in fluvium, & in lucem solémque conversus est, & in aquas plurimas redundavit.* Tu es ille fluvius, qui *egrediebatur de loco voluptatis*, æterni Patris nimirum pectore, *ad irrigandum* cælestis Regiæ *paradisum.* Tu *trames aquæ immensæ* voluptatis & gloriæ æternæ. Tu *mare* infinitum perfectæ virtutis & gratiæ, abyssus divinæ bonitatis & misericordiæ, pelagus omnium rerum conditarum & innumerabilium, quæ in tua omnipotenti sapientia adhuc latitant, bonorum. Ad te metam finémque omnia tendunt; quia à te duxerunt omnia princi-

principium. Nihil tamen perdis, cùm effundis: non di-tescis, cùm recipis: non secus ac *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Et ego ad te non curram? non toto ferar impetu, ut in hoc mare me effundam? Quid sum sine te? nónne *terra sine aqua tibi?*

Eccl. 1. *v.* 7.

Psal. 142. *v.* 6.

Tu fons vini, corda lætificas; tu fons lactis, animas pascis; tu fons sanguinis, corda lavas & purificas. Tu fluvius felicitatis, conatus secundas; tu mare æternitatis, tempora dispensas; tu Oceanus majestatis, quidquid Deus non est, infinito excedis intervallo. Quàm sapiens est, qui ad hunc fontem properat! quàm felix, qui in hoc fluvio piscatur! quàm beatus, qui in hoc mari mergitur & absorbetur. Nulla, nulla ad hunc fontem timenda est inopia, nullum in hoc flumine naufragium, nullum ab hoc Oceano monstrum.

O JESU! ô DEUS! ubi te quæram? quando te inveniam? Heu mihi! quamdiu errabunda vagabor? quousque acerba siti exarescam? O felices animæ! ô fortunati Cælites: vos, vos natatis in hoc Oceano; ego pauculis vix guttis eminus aspergor: vobis datum est, plenis faucibus haurire *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*; mihi vix primoribus delibare labris concessum. O quoties inopinantibus, vel etiam nolentibus, occurrunt fontes & flumina? Et tu, *quem diligit anima mea, fons aquæ salientis invitam æternam*, non occurris animæ quærenti, & tui desiderio fatiscenti?

Isaia 12. *v.* 3.
Ioan. 4. *v.* 14.

At occurram ego tibi: quæram, dum inveniam: liquescam in lacrymas, abibo in fontes, *effundam* coram te *cor meum*, & tamquam fluvius ad mare curram. Sed nimium lenta sunt flumina: volandum est, non currendum, ut assequar volantem. *Quis* autem *mihi dabit pennas, sicut columba?* Amor, spero, dabit. Supplicabo amori, & vola-

bo non pennis corpori affixis, ſed alis animo conceſſis; ſic aërem, ſic ignem impunè luſtrabo: Non excutiet aër volantem, non aduret ignis inflammatam; dum in aura ſpiritum quæro, in igne ignem, amorem, Deum.

§. VII.

Conſide-ratio aëris.

BEne habet, jam ſurſum evehor: jam ex infima, ad mediam & ſupremam aëris regionem; ex temperata ſcilicet volucrum patria ad frigidam tempeſtatum officinam, inde ad præcalidam ignitæ ſphæræ viciniam gradatim aſcendo. Res mira! quomodo cuncta per aërem cerno, ipſum non video? quomodo colores ille omnes mihi exhibet, qui tamen ipſe colorem non habet? quomodo plus in illo, quàm in aqua humoris invenio, at longè minus ſentio? quomodo illic cum frigore junctus craſſeſcit, hîc calori mixtus fit ſubtilior? Obſtupeſco, quotque in hac liquida & ſubtili aëris plaga naſcuntur vitæ commoda, quot in hoc volubili naturæ vehiculo ultro citróque commeant portenta, quot in hoc æthereo campo ex elementorum præliis occurrunt ſpectacula; tot numero divinæ ſigna beneficentiæ, ſapientiæ inventa, ſummæ & incomparabilis opera majeſtatis.

Quanta eſt enim aëris ad terrigenarum obſequia promptitudo & alacritas? Quacumque incedam, cedit ille venienti, latera euntis claudit, ſequitur ambulantem: quocumque me vertam, non ſecus ac fideliſſimus ſatelles ſtantem, ſedentem, jacentem ambit & ſtipat. Ille rerum imagines ad oculos defert, ſonum ad aures, odorem ad nares devehit. Illius alliſu & interceptione loquitur lingua, ſonant fiſtulæ, ludunt organa, ſtrepunt tympana, clangunt tubæ, reſonant valles, volucres cantillant: ille celeri affluxu inviſum illud naturæ vacuum impedit, & ne quando primævus mundi nexus quacumque in parte vel ad momen-

tum

tum dissolvatur, ipse, ut summa vi caveat, sese violentus urget, clausus erumpit, exclusus penetrat, levia deorsum, gravia sursum agit: ille denique continua reciprocatione cor refrigerat, vitámque animantibus conservat.

Tertius ascendendi ád Deum gradus.

Et quis tantam Numinis beneficentiam, hoc aëris famulatu quot momentis sibi præstitam, satis expendit? quis æstimat? quis gratum se exhibet auctori? Non tamen intra hos limites divina stetit benignitas: insuper in hoc aëreo cælo, sive mundi aviario, innumeras volucrum cohortes, ex aqua primùm potenti verbo conditas, deinde in immensum auctas sapientissimè collocavit, usui & honesto mortalibus oblectamento futuras. Sed quanto illas pennarum, vocum, pastûsque discrimine? quàm vario indolis, formæ, & naturæ ductu? quàm raro & stupendo magisterio?

Quis, obsecro, accipitres aucupium docuit? quis nauticam vultures? quis hirundines cæmentariam? quis grues certum in volando observare tempus, gregem, ordinem? quis alcyones astronomiam, cantum luscinias, gallos vigilantiam, ciconias pietatem in parentes? Quis oculatam syrmatis appendicem pavoni, psitaco venustam alarum purpuram & virorem, niveum columbæ vellus ceu proprium decus attribuit? Quis medendi vim indidit, ut ciconia pellat apoplexiam, alauda colicam, pica spasmum, cuculus febres propulset, aliæ aliis morbis aves medelam afferant? Nónne si *principes gentium in avibus cæli ludunt*, multò magis in illis ludere dicenda est illa, ad cuius imperium *produxerunt aquæ omne volatile secundum genus suum*, omnipotens Dei sapientia?

Baruch. 3. *v* 17. *Genes.* 1. *v.* 21.

Sed quid hoc ignium est, quod huc illúcque erraticum discurrit? alicubi adhærescit, lambit non tamen urit? quod illic velut sagitta fugit per auras, hîc ceu capra saltat, ibi ut alatus draco volat, alibi ut stella cadit & evanescit?

unde illi tanta in humido elemento audacia? Quid porrò illud est nebulosi pulveris, quod longè latéque terris sensim ab alto ceu fumus, infunditur, atque ad solis radios disparet? Quid hoc aquæ, quod modò guttis æquali distantiâ, quasi per cribrum sparsis, terræ sinum modestè compluit; modò ruptis cataractis impetuosè obruit? unde hi nivei cælestis lanæ flocci, qui hiberno tempore deflui solum candenti vellere insternunt? unde illi grandinis è crystallo lapides, quibus iratum cælum segetes, vineas, arborésque lamentabili strage verberat? unde tot támque mira nubium ludibria, iridum spectacula, pareliorúmque miracula? unde jucunda roris copia, gratæ mellis deliciæ, dulcis mannæ saccarique liquores? tantúmne virium est surgenti ex aquis vapori, atque exhalato è terræ visceribus fumo, ut hæc quotidiana faciant prodigia? Annon hæc atque id genus alia sunt manifesta inventricis, infinitæ nimirum sapientiæ, argumenta?

Matth. 24. v. 27. Quid denique fulgura, quæ *exeunt ab Oriente & parent usque in Occidentem?* quid tonitrua, quæ horrendo fragore terras concutiunt? quid fulmina, quæ inevitabili celeritate & impetu ruendo obvia quæque pervadunt, & vel frangunt vel incendunt; salvâ etiam vaginâ gladium, illæso marsupio monetam non rarò absumunt? Quid venti tenuissimi Spiritus, validi præliatores? unde veniunt, quò vadunt? cur ab Ortu Eurus, ab Occasu Zephyrus? cur Auster à Meridie, à Septentrione Boreas grassatur? quare Corus gelu, Africus imbres, ubertatem Favonius, Eurus secum vehit serenitatem? unde tam ferox illis violentia? quà, cùm inter se certant, annosas sæpe arbores diffringunt, vel radicitus evellunt, domorum culmina dejiciunt, mirificis solum omne motibus impatienter quassant, turrita sternunt ædificia, & quandóque vallibus montes æquant? nónne indubitata sunt indicia divinæ prorsùs potentiæ sui Conditoris?

ditoris? Non igitur sine causa hoc etiam loco Dilectum inquiro, & huius plagæ incolas interrogo: *num, quem diligit anima mea vidistis*? Sed audire mihi videor confusis vocibus antiquum illud repeti: *ipse fecit nos, & non ipsi nos*: Sic omnes cantare, garrire aviculas; strepere, sibilare ventos; mugire & reboare tonitrua. Sat habeo, placet ingenua mihi confessio. Verè enim *fecit Dominus c..'um & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt*. Ipse ex vero & absque jactantia dicere habet: *meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus & boves: cognovi omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est*. Ipse mirabiles possidet *thesauros nivis & grandinis*, & cùm res postulat, *dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit; mittit crystallum sicut buccellas*; ipse imperiosa dextrâ *ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum*, ipse inimitabili artificio *extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum*: ipse *fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura, posuit pluviis legem, & viam procellis sonantibus*: ipse mittet *fulgura & ibunt, & revertentia dicent illi: Adsumus*. Et *quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? qui* solummodò *respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant*. Rectè omnia. Agnosco Numinis sapientiam & veneror: amplector munificentiam & exosculor: timeo potentiam & admiror. Est sanè in aëre Deus, sed longè supra aërem. Miranda per hunc communem naturæ ministrum facit; at si tantus est in tenui vestigio, quantus erit in se ipso? Si hæc, quæ aër impertit munera, *specie sua delectant, quantò his dominator eorum speciosior est? & si virtutem & opera eorum* miramur, quantò *qui hæc fecit, fortior est illis*? Non ergo mihi sufficiunt tot aëris obsequia, non auræ commoda; non juvant volucrum deliciæ, non nubium spectacula: non me percellunt fulgura & coruscatio, non terræ motus & quassatio, nihil sunt sine Dilecto omnia,

Mirabilis in aëre Deus.

Exod. 20. *v.* 11.
Psal. 49. *v.* 10.
Iob. 38. *v.* 22.
Psal. 147. *v.* 16.
Iob 26. *v.* 8
v. 7.
Iob. 28. *v* 25.
Iob. 38. *v.* 35.
Iob. 26. *v.* 14.
Psal. 103. *v.* 32.
Sap. 13. *v.* 3.
v. 5.

omnia, & rectè vocantur uno tantùm verbulo: *magnum inane.* Adhæc quoties turbatur aër & incommodat? quoties irascitur & necat? nunc æstu adurit, extenuat, dissolvit, bilem auget, acutos creat morbos: nunc gelu constringit, humores incrassat, poros occludit, malignas generat defluxiones, quò subtilior, eô plerúmque nocentior?

§. VIII.

Quidquid habet boni aër, atomus est ad Deum.

AT de te, ô Dilecte! quid dicam? Tu sine omnibus es mihi omnia, tu vitalis aura cordis mei: Tu spiritus mentis meæ; tunc enim anima mea feliciter spirat, cùm te suspirat. Atque ut non vivit corpus, nisi aërem hauriat; sic quoque & extinguitur meus quamprimùm spiritus, nisi te semper imbibat. Sed quantò tu melior es aëre nutritius, quia Deus! & quantò tuus excellentior est *Spiritus*! nempe *sanctus*, quia *divinus*, *unicus* naturâ, *multiplex* perfectione: *Subtilis* ad penetrandum, *disertus* ad persuadendum: *mobilis* succurrendi celeritate, *incoinquinatus* puritatis amore: *certus* fidelitate, *suavis* illapsu; *acutus*, ut penitissimè perspiciat; humanus, ut liberaliter impertiat: *stabilis*, quia immutabilis: *securus*, quia infallibilis: *amans bonum*, utpote bonus ipse bonitate immensa; *omnem habens virtutem*, scilicet ipse virtus & potestas æterna: *quem nihil vetat*, cùm sit supremus Dominus: *qui capiat omnes Spiritus*, cùm Angelicarum, humanarúmque mentium sit ipse inspirator, & Dei digitus.

Sap. 7. v. 22.

Hinc ergo illud mirum mirissimum, mi Dilecte, quòd tu Deus omnia videas, ipse non videaris, omnia comprehendas, sísque incomprehensus: omnia mutes, moveas, impleas; ipse semper immutabilis, immotus, teipso plenus. Tu calore foves animas; sed cælestis flammæ: humore irrigas; sed gratiæ divinæ. Tu oculis lumen fidei admo-

ves; tu ſalutis & beatitudinis acroamata auribus infundis: tu ora mutorum ſolvis, & *linguas infantium* quoque *facis diſertas.* Tu mortales officioſiſſimæ charitatis ſinu undique circumdas, ſuprà ut gubernes: infrà, ut ſuſtentes: intus, ut vivifices: extrà, ut protegas. Sícque ſemper *in te vivimus & movemur & ſumus* omnes, quotquot ſumus, movemur & vivimus. Tu, ut horrendum non naturæ, ſed gratiæ gloriæque vacuum caveres, quid non feciſti? ut mortales ad vacuas Angelorum ſedes eveheres, quid non es paſſus? quid hodiéque in dies & horas non moliris, ne terra animæ remaneat *inanis & vacua*? ultro te ingeris & hortaris: *Dilata os tuum, & implebo illud.*

Sapien. 10. *v.* 21.

Actor. 17. *v.* 28.

Pſal. 80. *v.* 11.

§. IX.

O Me felicem tali Dilecto, quem dum quæro, ſentio; dum non video teneo. Habeat ſuas ſibi res aër. Tu es mea lux, quæ non extinguitur: meum melos, quod non abrumpitur: mea fragrantia, quæ non intercipitur. Tu meum mel, *& hereditas tua ſuper mel & favum:* tu *manna abſconditum, quod datur vincenti.* Tu *ros cæli, qui ardorem refrigerat.* Tu meus es pelicanus, cuius me vulnera ſanant, ſanguis vivificat; tu mea aquila, quæ *provocas ad volandum pullos tuos & ſuper eos volitas:* tu meus *phœnix, qui in nidulo* crucis inter odoriferos ſanctitatis ſurculos charitatis igne conſumptus es: tu columba candidiſſima, quæ de cælo portâſti *ramum olivæ virentibus foliis*, æternæ pacis à Deo mortalibus oblatæ pignus.

Tertia aſpiratio ad ad Deum.

Eccleſ. 24. *v.* 27.

Apocal. 2. *v.* 17.

Eccleſ. 18. *v.* 16.

Deuter. 32. *v.* 11.

Iob. 29 *v.* 18

Geneſ. 8. *v.* 11.

Nefas eſt vel cogitare fatuos apud te ignes, obſcuras nubes, maleolentes nebulas, noxios imbres, ſævas grandines, ignita fulminum tela, ventorúmque furias, niſi contra induratos Numinis tui hoſtes. Alii ſunt tibi venti, pluviæ, tela, nubes & ignes, ad animæ tibi charæ obſequium parati: divinæ ſcilicet lucis flammulæ, caſti amoris jacula, gravidæ ſolatio-

ſolatiorum nubes, gratiarum pluviæ, fecundi auxiliorum Favonii: His expedita eſt & ſecura ad cæleſtem portum navigatio, meſſis copioſa meritorum, certum gaudii gloriæque incrementum. *Veni* ergo mi optatiſſime & cæleſtis *Auſter: perfla*, quæſo, *hortum meum, & fluent aromata illius.* Audiam divinos tuæ gratiæ ſuſurros, ut inveniam, quem quæro; quem ubique ſentio, non ſpecto; quem omnia prædicant, non ſatis præſentant; quia eſt in omnibus, ſed ſuper omnia. An vis ut porrò te etiam per ignes ſequar? nihil moror. Qui amore ardet, ignes amat, non horret.

Cant. 4. v. 16.

§. X.

Conſideratio ignis.

ENimverò non ſemper, ut video, ignis urit, nec lucet ſemper. Ecce! quantus hîc ab usque ſuprema aëris plaga ad Lunæ cælum, per ingens mundi ſpatium ſe globus igneus attollit? & quaqua verſum diffuſus longè latéque ſe expandit? neque tamen (ſit licèt ſummè calidus, atque excellenter ſiccus) abſumit, quem infrà complectitur vicinum aërem, neque quod ſuprà lambit incumbens cælum, adurit? nec lynceis aut aquilinis cerni oculis poteſt. Nempe in patria, in regno ſuo, quia purus & ſubtilis eſt, ideo & oculos fugit, & tranquillè placidéque ſe habet; extrà verò, cùm ſuo avulſus loco, velut in hoſtili ſolo adverſantibus ſibi elementis miſcetur; tunc ut ſeſe tueatur, in pugnam inſurgit, lucet & ardet, invadit & urit, adhæret & conſumit: ſurſum enititur ſecúmque rapit, quæ corripit: quamdiu accíſas habet vires, ad obſequia promptus eſt, ſéque componit ad placitum; at verò cùm invaleſcit, indomitus, hoc plura involat, quò plura devoravit; numquam ſatur, dum quod prehendat, ſupereſt: incipit à ſcintilla, mox in flammam creſcit, in fumum, carbonem, cinerem fuliginémque deſinit.

Non

Non hîc ego percontor: *Num, quem diligit anima mea, vidistis?* quia non est in igne, quod vivat, aut respondeat, nisi fortè frigida Salamandra, vel levicula pyrausta: ab his, quid nisi leve frigidúmque habeam responsum: neque hîc opus est alio indice, quàm igne: satis supérque ille ipse vestigiorum Dilecti mihi ostendit. Quis enim alius tam intractabile atque immensum ignis elementum primus collegit? unde excussit vel accendit? quomodo in sphæram compegit? quis locum cælo proximum assignavit? quâ tot sæculis escâ pascit? quo repagulo intra suos limites compescit? Magna certè supremi rerum omnium Conditoris potentia, illa est, quæ sicut ex aqua verbo ignem produxit, atque ex arbitrio suo formavit: ita sine foco, sine pala, sine pabulo in sua statione conservat.

Quartus ascendendi ad Deum gradus.

Divina in humanum genus munificentia est, quæ magnam ignis partem nullo non loco terris tam providè sparsim indulsit, ut vel ab uno igniculo mille iterúmque mille ignes sine alterius detrimento accendi; quin imò solarium radiorum reflexione excitari, è saxis elici, ex leonum ossibus, & aridis lauri ramis inter se collisis excuti possit. Illius munus est, quòd lignis, cerá, oleo, sevo, & ipsâ denique terrâ inescatus ignis, ne auffugiat, teneatur; in aris, lampadibus, thuribulísque templorum divino cultui ministret: in lychnis & candelabris domorum: in furnis & focis officinarum: in turribus & portubus civitatum, in tormentis & tentoriis castrorum ad varios mortalium usus, velut anima mundi, luce, calore, vi, ardore serviat: quandoquidem ex oraculo divino *initium necessariæ rei, vitæ hominum, est* non minùs *ignis*, quàm *aqua*, *& ferrum*, *sal*, *lac & panis*. Infinita Dei sapientia est, quæ jubet, ut hîc ignivomis è montibus egurgitet, atque obvia quæque accendat; ibi in abditis terræ cavernis bulliat, vicinis tamen nivibus parcat: isthic sulphureis immersus aquis ardeat; illic subterraneos

Amabilis in igne Deus.

Eccles. 39. v. 31.

Mirabilis.

 therma-

thermarum fontes calefaciat: quíque modicâ vel è ſtramine flammâ leonem fugat; ipſe paucas etiam aceti guttas, præ ceteris humoribus hoſtiles, fugiat: qui ſaxa, ferrum, æs, atque alia id genus metalla duriſſima mollis ipſe liquefacit, ut fluant; aquâ largiùs affuſâ opprimatur, ut in auras abeat.

Et terribilis.

Metuenda Numinis juſtitia eſt, quæ ſevero ignium ſupplicio utitur ad plectendam impiorum pertinaciam. His illa infames olim Pentapolitas exuſſit: his ſeditioſum Nadab cum populo rebelli abſumpſit: his temerarios in Eliam milites interemit: his oppida, civitates atque integras vaſtavit regiones: Principes, Reges, Imperatores in cinerem redegit: his quoque purgandas in piaculari carcere reorum animas ad purum excoquit, ut beet; damnatos ſceleratorum manes & corpora æternùm cruciat in tartaro, ut caſtiget. Et ſint adhuc, prò nefas! qui ignem timent, Deum non timeant? qui ne ſerpens è vicino flamma tectum corripiat, totis viribus cavent; ne perpetuis inferorum rogis pabulum fiant, non laborent? qui luce gaudent, calore in rem ſuam utuntur, violentiam ignis demirantur; Conditorem verò nec ament, nec laudent, neque ut par eſt ſuſpiciant? Et quid poteſt ſine Deo ignis? an tribus in Babylonia fornace pueris, aut ardentibus in deſerto rubi ſpinis nocere valuit? an Sinaitici montis verticem, vel nobile Solymorum templum ſuo illapſu læſit? minimo minùs. At Deus nullis eget ignibus: urit tamen, conſumit, & cùm vult, in cinerem, in nihilum omnia reducit.

§. XI.

Quidquid virium habet ignis, favilla eſt ad Deum.

QUantuſcumque ergo ſit, ſive in ſua ſphæra, ſive in terra eiúſque viſceribus ignis (& eſt ſanè maximus) nihilo tamen ad Deum plus eſt, quàm levis favilla, vel tenue

nire vestigium: quo sempiterna Majestas præclaro, ubique tamen obvio, mortalibus signo indicare voluit suæ magnitudinem potestatis. Est itaque in igne Deus: sed longè supra ignem.

Eccur enim, obsecro, quondam Moysi, gregem in deserto pascenti, *apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi?* cur Israëlitas, non secus ac fidelis ductor, *per noctem in columna ignis* præcessit? cur divina traditurus populo præcepta consultò voluit, ut esset *species gloriæ* eius, *quasi ignis ardens super vertice montis?* nisi quia ipse ignis est: non terrenus, sed cælestis: non elementaris, sed sidereus: non corporeus, sed spiritualis: non creatus, sed æternus: non Seraphicus, sed divinus: ignis amabilis, quia amoris; sed & terribilis, quia justitiæ & majestatis: tam grandis, ut nullis claudatur finibus: tam nobilis, ut nullo indigeat pabulo: tam validus, ut nulla dometur arte vel elemento: ignis quidem, minimè tamen sterilis, qui ex se ignem ante æterna sæcula natum, Deum de Deo, sibi æqualem semper gignit: qui Angelicas in cælo mentes, ceu minores ignes, accendit: ignis vel ipso purior sole, nulla re creata permixtus, in quo quidquid est, Deus est: ignis excelsior cælis, ad quem nihil quod Deus non est, loco, dignitate atque excellentiâ queat ascendere: ignis lunâ stellísque clarior, qui mundum illustrat, sideribus lucem impertit, tenebras, noctémque nescit.

Exod. 3. v. 2. *Exod. 13. v. 21.* *Exod. 24. v. 17.* Deus ignis.

Ipse nimirum *ignis consumens est*, noxásque tollit, ut pœnitentes animæ exustâ peccati rubigine *fulgeant sicut splendor firmamenti, & quasi stella in perpetuas æternitates:* pervicaciam plectit, ut, *sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant* obdurati *peccatores à facie Dei: Ipse quasi ignis conflans*, pretiosas mortalium mentes, velut auri argentíque metalla liquefacit purissimâ divini amoris flammâ. Ipsius *oculi tamquam flamma ignis*, dum ardent, lucent:

Deutero. 4. v. 24. *Dan. 12. v. 3.* *Psal. 67. v. 3.* *Malach. 3. v. 2.* *Apocal. 1. v. 14.*

cent: dum aspiciunt, feriunt, & nunc amore sauciant, nunc convulnerant timore. *Omnis sermo* ipsius *ignitus*, *clypeus est sperantibus in se:* qui dum docet, illuminat: dum protegit, corroborat & coronat. *In dextera illius ignea lex*, quam Sapientia dictavit, justitia sanxit, charitas humanis cordibus inscribit: *Pedes eius tamquam columnæ ignis*, quibus mare, terrámque calcat, utriusque Dominus, utrobique tam colendus, quàm admirandus.

Prov. 30. v. 5.
Deuter. 33. v. 2.
Apocal. 10. v. 1.

Jam verò Deus ignis quid in suis nisi ignes amat? Nónne *facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem?* nimirum mente, puros, obsequio celeres, ardentes amore, qui lucem sidereásque flammas per orbem spargant. Nónne, cùm in cæli curia millibus millium & decies millies centenis Beatorum millibus stipatus senatum habet, *thronus* eius sunt *flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus?* Nónne, ut charum sibi caput, Eliam vatem, ex hominum consortio transferret *in cælum, currum igneum & equos igneos* submisit? nónne, ut pauperem & opis indigum locupletet servulum, ipsemet peramanter monet, ut rogando emat, accipiendo ditescat? *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, ut locuples fias.* Nónne Ecclesiæ fidelium, ceu sponsæ pro inexpugnabili munimento ignem pollicetur? *Ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eorum.* Adhunc itaque suspiro ignem, hunc quærito, atque ut prehendam, vestigia transcendo.

Psal. 103. v. 4.
Daniel. 7. v. 9.
4. Reg. 2. v. 11.
Apocal. 3. v. 18.
Zachar. 2. v. 5.

§. XII.

Quarta aspiratio ad Deum.

TU, JESU, meus es ignis: ad te, veluti scintilla ad suum centrum, emicare gestio: tua me lux exhilarat, urit amor, fovet bonitas, vis virtúsque animat. Te sinè alget spiritus, torpent jacéntque vires, mens densis involuta tenebris caligat. Tibi lux sine umbra, flamma sine fumo, ardor sine fuligine. Tibi pro luce est sapientiæ claritas,

ritas, pro potentia immensa dominatrix voluntas. Tu semper in sinu Patris tranquillus agis, luces & ardes; in terras delapsus non ligna, ceram, oleum; sed pia mortalium corda, castas mentes fidelésque animas incendis, uris, depasceris: quæ corripis, purgas, non inficis: quæ consumis, emendas non destruis.

Tu stygium fugas leonem, acetosas Mundi Carnísque voluptates fugis & horrescis, impuros ignes meliore flamma pellis & extinguis. Tu semper blandus bonis, infestus malis: illos compléčteris, ut tibi unias; hos comprehendis, ut consumas: illos cælo natos ad Deum evehis, ut bees; hos terræ affixos deseris, ut condemnes.

Ad te ergo Dilecte mi, anhelat anima: ubi te inveniam? quando stringam? O quis mihi det, ut velut Ætna tam divino plena igne ardeam, & totum mundum incendio tam beato involuam? O liceat mihi in hunc amoris rogum insilire, atque in tam sanctis Dilecti flammis, ut pyrausta, volitare, vivere, perennare! O quando, mi amor, meus ignis, Deus meus apparebis & mihi *in flamma?* in quo rubo, in quo monte, aut in quo tandem mundi angulo te perquiram? Ecce me! adsum ut hominem in me veterem consumas, ut meam in te animam confles, ut meam tuo auro ignito pauperiem locupletes, ut igneam charitatis legem cordi meo tuo digito insculpas. O JESU, ignosce amori; caleo, non ardeo: uror non conflagro: te sentio, non specto: te tango, non teneo: aut si teneo, ignoro: ardere & conflagrare cupio: te spectare & stringere concupisco. Ministros facis ignem urentem: & sponsam non facies? amantem non amas? si amas, non venis? non appares? ubi reperiendus sis, non ostendis? Justum est hoc tarditatis meæ supplicium. At ego quærere non desistam, donec inventum teneam. Vale terra, valete cognata terræ elementa: vestigia Dilecti obtruditis, Dilectum mihi, vel me

me Dilecto, non sistitis. Valete: ego altiùs, quà licet, enitar.

§. XIII.

SEd non sinit is, cui aqua, aër, ignis famulantur, terræ inquilinus homo, naturæ delicium, mundi compendium, cæli cura, Dei imago. Hîc certè quærendus est in fratre frater. Et ecce! commodùm se mihi par nobile fratrum offert.

Hem! nisi fallor, invéni, ipse est Dilectus: profectò sic ille manus, sic oculos, sic ferebat castissimam oris venustatem. At enim! duos video: Dilectus unus est; ferè tamen unum dixerim, adeò alter alteri, uterque Dilecto est simillimus. Alloquor. *Num, quem diligit anima mea, vidistis?* gressum equidem firmant: videntur tacitè annuere & mussitare: *vidisti:* at ecce, dulcem quamdam præseferunt majestatem, silentio transeunt, etiam vultum avertunt. Nónne, si Dilectus esset, saltem nutu salutaret? non autem tegeret amorem? Nescio. Alteruter certè, si ipse non est, aliquid tamen, & sanè multum Dilecti habet: quem etsi non specto oculis, mente tamen sentio. Sat mihi dicunt, scilicet, non malè quæri in homine Deum. Ergo tam nobile mundi cimelium tacita inspicio mentéque contemplor. Papæ! quam admirandum sapientiæ divinæ opificium, homo! En! ut staturâ rectus, vultu decorus, loquelâ inclytus, sublimis mente, spiritu immortalis, desiderio immensus, æternitatis capax, rerum conditarum Dominus, corpore mundum, animo mundi opificem pulcherrimè repræsentat, imò parvum in se mundum circumfert. Quis non videt in rotundo, mobili & excelso capite cælum? in oculis, duo cæli lumina? in cerebro, cæli curiam? in pectoris sinistro látere, ignem cordi insitum? in dextero, aërem pulmonibus infusum? in ventre, aquæ congeriem? in

Considderatio hominis.

in pedibus, terræ firmitatem? quis non advertit variam bilis, sanguinis, pituitæ & melancholiæ temperiem, cum quadruplici elementorum mixtione meritò componi? hominem ipsum corporeâ, quâ constat, massâ gravi ac densa convenire cum metallis? vegetari, nutriri, crescere cum plantis? videre & audire, gustare & olfacere, tangere & tangi cum animalibus? intelligere ac velle cum Angelis & Deo?

Miranda corporis structura: Oculorum.

Quis non obstupescat absolutissimam humani corporis structuram? tam multiplices in oculis tunicas? adnatam, corneam, uveam, secundinam, retinam, araneam? tam diversos humores, aqueum, crystallinum, vitreum? musculos denique tam lubricos, nervos & glandulas, cilia & palpebras tam flexiles: movendis, stabiliendis, purgandis, claudendis, aperiendísque tam pretiosis animæ fenestellis factas? Adhæc tam delicatum in aure tympanum ex membrana, pelui, malleo, incude, osseóque stapede confectum? tam varia foramina, valvulas, cuniculos ac cochleas ad excipiendum & retorquendum sonum pro curiositatis infundibulo ingeniosissimè extructas?

Aurium.

Linguæ.

Quis non miretur fungosum saporis judicem, mentis interpretem, religionis organum, linguam? palato tamquam fornice tectam, dentibus ceu vallo septam, pulmonibus velut follibus animatam? Deinde cor, quod vitæ officina est, adeò tenerum, calore fervidum, palpitatione inquietum, amoris domicilium? timidis magnum, audacibus parvum, in medio veluti sol inter planetas positum, primum vivere, ultimum mori? Manus deníque intus carnosas, extrâ nervis & unguibus armatas, digitis articulisque distinctas, venis irrigatas, tot actionum instrumenta, tot artium ministras, tot tantorúmque operum effectrices.

Cordis.

Manuum.

Atque, ut reliqua silens prætaream, quale prodigium est in innumerabili hominum turba vix duos reperiri vultu aut voce similes? triginta duos plerisque dentes esse, come-

stioni

ſtioni & loquelæ idoneos: plusquam ducenta oſſa firmandis membris neceſſaria; tot venas, tendines, membranas, fibras, nervos, muſculos paſſim toto corpore ſparſos: irrigandi, movendi, ligandíque facultate præditos: aliáque id genus plura tam ſapienter excogitata, ut in ſingulorum formatione Auctor naturæ ſupra 40. ſcopos ſibi præfixerit obſervandos.

Galen.

Quintus aſcendendi ad Deum gradus. Membrorum varietas.

Sapientia profectò divina eſt, quæ tot partes heterogeneas & homogeneas: alias molles, vel duras, mediáſque alias: humores innatos & acquiſitos: ſpiritus vitales & animales: temperamentum calidum, frigidum, humidum, ſiccúmve, aut ex his mixtum ſingulis diſtribuit. Illa, illa facit, ut ad vegetandum, augendúmque corpus, ventriculus nutrimenta ex ore delata in chylum decoquat: venæ meſaraicæ de chylo quidquid eſt purius, rapiant, & in hepar tranſuehant. Illa providè conſtituit, ut hepar optimam chyli partem vertat in maſſam ſanguinis, reliquos ab illo humores ſeparet, bilem in folliculum fellis transmittat, melancholiam in ſplenem, phlegma in renes & cutem, aliáſque partes; ſanguinem verò tum in dextrum cordis thalamum, tum per ramoſam & cavam venam ad cætera membra trajiciat. Illius inventum eſt, quòd cor vitales ſpiritus, ceu flammulas, ex puriſſimo ſiniſtri thalami cruore natas quaqua verſum diffundat, præſertim cerebro miniſtret, in quo ex vitalibus etiam animales effecti quinque ſenſibus per nervos ex capite deſcendentes perenni fluxu diſpertiantur.

Nutritio.

Senſus, vita.

Mirus hominis artifex, Deus. Formatio membrorum. Concordia.

Agnoſco itaque ex tam præſtanti opere divinum artificem, ſpecto in humano corpore inexplicabilem magiſtri ſapientiam: admiror potentiam, quâ in materni uteri tenebris tam mira ſedulitate, tam brevi tempore, tanto ordine, ſine ſenſu, ſine molimine ſingula formavit. Laudo providentiam, quâ tot inter ac diverſa membra concordiam ſanxit,

ſanxit, ut alia aliis vel infixa, vel illigata cohæreant, dolente uno etiam cætera laborent, mutuis ſibi obſequiis adſint, auxilium cuncta cunctis ferant.

Senſum obiecta.

O quanta illa eſt charitas? quæ cuique parti neceſſaria ad exequendum munus adminicula miniſtrat? quæ oculis lumen & colores, formas & figuras, totámque pulchritudinis ſcenam, quâ terra, cælum, ſidera, gemmæ, flores, picturæ, & hominum animantiúmque varietas fulget, ſpectandam largitur? quæ auribus aërem & ſonum, volucrum hominúmque voces & concentus, fidium & tibiarum modulationes, dulcia amicorum colloquia, erudita artium & ſcientiarum præcepta velut pabulum offert? quæ naribus odoramenta, florum, balſami, aromatum, thuris, aliorúmque ſuaveolentium unguentorum & aquarum fragrantiam deliciáſque præbet! quæ palato ſaporem, ventri eſcas, morbis medicamina, membris omnibus tegendis ornandíſque ex aëre, aqua, terra, totiúſque mundi promptuario volucres, piſces, animalia, fructus, herbas, metalla, gemmas, & quidquid ad vitæ opportunam ſuſtentationem attinet, ſine ceſſatione largiſſimè providet & præſtat.

Corporis humani, ex Chriſti corpore dignitas.

Quanta illa eſt Numinis clementia? quâ humanos artus non modò ut plaſtes finxit, ſed & ut frater induit, adeóque per ipſam Verbi hypoſtaſin arctiſſimo nexu divinitati conjunxit, ut idem corpus hominis eſſet ac Dei: quâ inſuper ſacratiſſimum illud Dei corpus in Euchariſtia humanis inſerit corporibus, veluti Angelorum eſcam ſtomacho ſumendam, ut illa divino corpori intimè copulentur, atque propemodum in unum coaleſcant. Annon ergo rectè Deum in homine quærito? annon ſpes magna affulget Dilecti, ſi porrò quæſiero, inveniendi.

§. XIV.

Excellens Dei imago, Anima.

QUodsi meliorem hominis partem, animam, attenta mente perlustrem, annon clarissimum divinitatis speculum intueor? Numquid enim illa corporeæ molis & divisionis est expers, ut Deus? immortalitatis, sapientiæ & beatitatis capax ut Deus? Numquid præest cum imperio cæteris animantibus, ut Angelis Deus? nónne res plerasque alias in se excellenter continet, ut summas, infimásque omnes Deus? Nónne tota totum occupat corpus, & tota quamlibet corporis partem, ut mundum Deus? annon, dum seipsam intelligit, similem sui ipsius imaginem gignit, dúmque se amat, sui in se ipsa amorem format, ut ferè divinum Verbum Sanctissimúmque Spiritum Deus?

Anima una tres impertit vitas.

Anima quidem una est; at trium instar tres homini vitas impertit. Illa, ut nutriatur, sentiat, intelligat facit: illa per oculorum orbes videt, per aurium cochleas audit, per linguæ gutturísque fistulam loquitur & cantat: illa in cerebri senaculo species à sensibus ingestas excipit, novas effingit, asseruat, disponit, comparat, atque ita clausis oculis quodammodo aspicit, discernit, æstimat, & corpore sopito, ligatisque sensibus absentia quoque & præterita sibi repræsentat. Multum ergo Dilecti mei habet anima. Gaudeo, quia per eam, ut adverto, propiùs semper ad Dilectum accedo.

Intellectus.

Sed altiùs ut ascendam, mens ipsa, velut apex animæ, sua me celsitudine rapit. Hîc enimvero intelligendi facultas tamquam magistra eminet, hîc voluntas regina cupiditatum imperat, hîc memoria rerum præteritarum custos & imaginum omnium fidelis proma conda excubat. Quæram itaque in intellectu, quem tot votis suspiro, Deum. Quid enim inter res omnes conditas plus habet divinitatis quàm intellectus? Hic est animæ, quod mundo sol, quod

oculu

oculus corpori, quod auriga currui, quod annulo gemma. Vastissimum habet sinum, quo, quidquid fuit, est, & erit, complectitur, apprehendit, ponderat, dijudicat: miram quoque penetrandi vim & aciem, quâ cælestia & terrena rimatur, divina ac humana pervestigat: ex notis ignota eruit, vera falsis comparat, & discernit. O præclara divinæ magnitudinis & sapientiæ vestigia!

Tantâ verò pollet velocitate, ut momento citiùs universum mundum sine motu, sine strepitu pervagetur, montes superet, maria tranet, jam in Asia ultimas orientis solis terras Chinam, Japoniam, Indiam, Persiam transcurrat; mox in Europa Italiam, Galliam, Germaniam, Hispaniam lustret: inde raptim in America Quiviram, Peruvium, Brasiliam, Mexicum: in Africa Numidiam, Æthiopiam, Ægyptum, Barbariam sedendo percurrat: imò per immensa aëris ignisque spatia, per astriferos cæli globos, pérque insuperabiles cælestium aquarum vortices, ad usque empyrei regiam & Dei thronum, in ictu oculi se transferat. O admiranda divinæ subtilitatis & potentiæ argumenta!

Tanta denique illius est facultas, ut in corpore quidem à phantasmatibus mutuatas usurpet species: at extra corpus per proprias de cælo infusas rerum imagines, totus ad contemplandum factus, verum justúmque sapienter investiget: scientiâ, consilio, ratione: in scholis & templis, in castris, & Curiis, pace & bello, domi forísque, artes, scientias, status, provincias, regna, vitam denique universam gubernet: quódque ad cumulum felicitatis accedit, lumine fidei affulgente, naturæ vires transcendat, recondita cæli mysteria, Deum trinum in unitate, in Trinitate unum agnoscat: Deum hominem factum, vitam pro mortalibus mortuam firmissimè credat: divinam sub panis specie carnem ab hominum innumerabili multitudine, innumeris simul in locis sumi, non consumi indubitatum teneat: mortuos

tuos & in pulverem redactos in vitam redituros, sine mora judicandos, atque vel inferis vel cælo addicendos certissimum sibi persuadeat: ac denique post fata beato gloriæ cælestis lumine donatus, ipsam Deitatem clarissimè æternùm contemplaturus sit ac possessurus. O verè manifesta divinæ beatitudinis & majestatis insignia!

Voluntas.

O Dilecte, Dilecte! ubi te quæram, si te hîc non inveniam? An fortè in voluntate, nempe Deum amorem in amoris regia? certè non alia puto, sedes placet Dilecto summè bono, nisi ea animæ virtus, quæ tota fertur in bonum, omnis mali inimica: quam etiam umbra boni rapit, mali umbra terret. Quid jucundius Deo, qui ipsa est bonitas, quàm bonitatis venatrix voluntas? adeò bonitatis studiosa, ut aliis omnibus posthabitis soli bono inhiet, quod vel honestas commendat, vel utilitas persuadet, vel denique delectatio comitatur? Ubi libentiùs moretur supremus rerum arbiter, qui uti necessariò *est qui est*, ita liberrimè agit, quidquid extra se agit, quàm in ea mentis humanæ facultate, quæ servitutis nescia, libertate gaudet, & cogi nequit? Ubi *Rex Regum & Dominus Dominantium* gloriosiùs habitet, quàm ubi mens dominatrix aliis omnibus corporis animíque viribus arbitratu suo frænos vel attrahit, vel remittit?

Exod. 3. v. 14.

Apocal. 19. v. 16.

Hîc anima, cùm primùm rationis dictamine, ceu face admota, bonum quodcumque innotescit, mox eius amore capta in id tota propendet: si absit, magno impetu ad illud rapitur, ac desiderio velut extra se peregrinatur: si illius consequendi via appareat, spe erigitur, modos obtinendi opportunos, rationis consilio probatos eligit, potentiis sibi subiectis, ut suas exerant vires, imperat: si qua difficultas sese objiciat, in audaciam insurgit, & ne conatu suo frustretur, eò usque exardescit, ut ardua quæque aggrediatur: At ubi bonum, ad quod ardenter anhelaverat, tandem attigit,

tigit, apprehendit, ſtringit, tum denique tota gaudio & mira delectatione in illius amplexu conquieſcit. Malum, contrà, ubi fors advertit, illico totis viribus odit, & averſatur, quâ poteſt fugâ declinat; ſi immineat, timet; ſi premat, dolet; ſi excutere nequeat, irarum fluctibus agitata efferueſcit.

Sic illa Deum & divina amat, ſuſpirat, inſequitur, & complecti gaudet: ſic inviſas Deo noxas execratur, fugit, timet, damnat, plectit. Quid aliud fieri vult Dilectus? Quid ergo ambigua adhuc fluctuo? Jam ut opinor, *inveni quem diligit anima mea:* in voluntate virtutum omnium chorus habitat: in hac namque pœnitudo plangit, pietas ſuſpirat, benignitas liqueſcit, fortitudo certat, patientia vincit: in hac juſtitia moderatur, temperantia continet, clementia parcit, pax quieſcit, floret vigétque ſpes: denique in voluntate ſedem divina fixit charitas: & quomodo abſit charitatis fons, & omnis boni origo Deus? profectò in bona voluntate, ſi uſpiam eſt, Deus eſt; ſupereſt tamen adhuc latibulum, quo ſæpenumero, dum ſe Dilectus penetrat, occultando manifeſtat. Numquid enim Verum quærit intellectus, Bonum voluntas, utrumque memoria, & in utroque primam Veritatem, Bonitatem infinitam? hæc qui habet, Deum jam invénit.

Memoria.

Ergóne & in memoria quærendus eſt Dilectus? omnino, ſi invenire eſt animus. Ubi rectiùs quæratur totius mundi theſaurus quàm in animæ gazophylacio? ubi mirabiliùs ludit omnium artifex ſapientia, quàm in reminiſcendi facultate? Hæc ſedem habet in occipite, officinam in cerebro. Materiâ caret, & omnem capit materiam. Si ceream dico tabulam, non erro; quia quaſcumque intellectus illi imagines imprimit, ſervat: ſi dixero mentis ſpeculum, non fallo; quia in eo, quidquid ſenſus vel ratio tranſmiſit, quoties lubet, aſpicit: ſi diſpenſatricem animi vocavero,

cavero, rem acu tango, quia rerum innumerarum ideas, nomina, virtutes, discrimina, figuras, loca, tempora, effecta, causásque sibi commissas suis quasque locis recondit, ordine disponit, cum fide tractat, suóque tempore, cùm voluntas aut mens reposcit, rursùm protrahit, & sistit.

Nunc antiqua, nunc recentia, ut jussa fuerit, suggerit; nunc etiam non jussa integras eiusmodi imaginum classes adducit, aut phantasmatum pulsu excitatas prosilire, iterúmque evanescere sinit. Et quid tandem foret homo? quæ infelix humanæ vitæ felicitas, si reminiscendi spoliatus facultate, quidquid vidisset, vel auditu percepisset, vel mente concepisset, mox effunderet, atque sempiterna oblivione sepultum perderet? nónne actutum in bruta degenerarent mortales? hebesceret intellectus, langueret voluntas, súsque déque omnia verterentur? nónne omnes numeri, litteræ, verba, simúlque artes, scientiæ, negotia, linguæ, atque ipsa denique humana consuetudo protinus è mundo tolleretur?

O ergo præclarum Dei donum, memoria! ô charum Numinis conclave! quod habitare gaudet, atque inde languidum expergefacere ac pascere intellectum; tepidam inflammare voluntatem, & mirificè divinis oblectare deliciis consuevit. Non dixit gratis Rex vates: *Memor fui Dei, & delectatus sum.*

Psal. 76. v. 4.

§. XV.

Quod in homine pretiosum est, luto vilius est, ad Deum.

SEd quid ago insipiens? cur inter has minutias gradum figo? Quascumque hominis dotes enumeravero, nugæ sunt, non gemmæ; lutum, non aurum; vestigia Dilecti, non Dilectus. Piget diutiùs sic humi serpere. Ascendendum est in sublime ad Deum: ipsum quæro, non imagines: totum volo, non istas, quas mundus exhibet, tenues quasi particulas divinitatis. Sint hæc, quæ dixi, mortalium

ſium décora ſupra modum grandia, ſint præclara & miranda; omnia tamen ad Dilectum nihil ſunt.

Humani corporis miſeriæ.

Nobiliſſimum plaſma eſt homo: quis neget? at ex luto corpus, ex nihilo habet animam. Dilectus meus, Deus ſcilicet meus, quem in Dilecto præcipuè quæro, corporis eſt expers. Quid autem eſt humani corporis moles? nónne oſſium ſtrues, nervorum cataſta, humorum ſentina, ſordium congeries? nónne morborum ſeminarium, temporis ludibrium, ſaccus vermium, miſeriæ theatrum, mortis præda? Nónne ut vivat, cadaveribus nutritur? ut creſcat, terræ quiſquiliis paſcitur? ne algeat, pecudum involvitur exuviis? ne deficiat, ſomno mortis fratre inſtauratur? ut ſentiat, & intelligat, quàm plurimis aliunde emendicatis adminiculis indiget? nónne dum naſcitur, plorat? dum vivit, fame, ſiti, æſtu, frigore torquetur? laboribus exercetur & frangitur? animi corporíſque periculis objicitur? dum moritur, in pulverem revertitur?

Animæ calamitates.

An fortè melior eſt animæ conditio? Illa quidem in mortis falcem non incumbit, neſcit ſenium, mole caret; at verò, quot aliis urgetur malis? quàm grave à corporis hoſpitio, ſeu carcere, ſentit onus? quàm periculoſas à ſenſibus, domeſticis nempe lenonibus, incurrit inſidias? quàm varias ex membrorum ſeditione ſuſtinet pugnas? Quàm multa ignorat intellectus? quàm difficulter capit? quàm citò turbatur? quoties fallitur? quantoperè fatigatur? Si ſuis relinquatur viribus, facémque fides non præluceat, ut hæret? ut præpoſterè apprehendit? ut temerè judicat? ut ineptè conſultat? perverſè concludit, peſſimè decernit?

Neque hilo melior voluntas, plerumque ſui amore furens: quæ nata eſt regina, ut imperet, perduellibus maleſuadæ carnis cupiditatibus ancillatur: amat malum boni fuco illitum; odit bonum, ſi duro vel acerbo cortice ſit veſtitum: deſiderat, quæ nocent: fugit, quæ expediunt: gaudet

gaudet inconcessis, tristatur profuturis: quæ delectant, inprimis curat; quæ honesta sunt in postremis habet. Caduca sequitur, quia præstò sunt: negligit æterna, quia longè posita videntur. Quotidiano discit experimento, quòd creatis satiari nequeat bonis; summum tamen, quo solo expleri potest, bonum, quàm oscitanter quærit, tam languidè tenet, támque turpiter dimittit!

De memoria quid dicam? quæ humido nixa fulcro rarò sibi constat, plura perdit quàm retineat: Si quæ citò capit, ea facilè dimittit: quæ diutius conservat illa, non nisi tardè prehendit: plurima confusè & obscurè, pleraque vix tandem longâ indagine velut è latibulis eruta reminiscendo sistit. Quot, eheu! mentem nugis implet? quoties intempestivè interpellat? quàm facilè à Deo & divinis avocat? Miser est igitur, etsi felicissimum se credat, quisquis homo tantùm est. Dilectus meus mihi quidem factus est homo; sed mansit semper, qui fuit ab æterno, Deus.

§. XVI.

Christus homo. 1. *Corint.* 15. *v.* 47.

HOmo est, at qualis? totius humani generis Reparator, *de cælo cælestis*, sine viro conceptus, ex Virgine natus. Verum illi corpus est, vera anima, uti & omnibus Adæ posteris; at omnis noxæ labísque expers. Divina hypostasis utrumque sustinet, facítque animam corpúsque Dei. Hinc divina corpori elegantia, perfecta temperies, sanitas, virésque integræ. Quòd olim sitiit, esuriit, lassatus est, gelu æstúque conflictatus, ac denique mortuus, id liberæ voluntatis fuit, non duræ necessitatis. Ipsemet cohibuit, ne *fluminis impetus, qui lætificat civitatem Dei*, beatitudo inquam animæ, in corpus redundaret, atque adeò quale nunc est, clarius sole, subtilius aëre, vento agilius, omnis ignarum & incapax passionis foret. Hinc illa sacratissimis impressa

Psal. 45. *v.* 5.

membris

membris virtus, ut oculi, manus, digiti, fimbriæ veſtimentorum, verba, quin & ſputa magnis prodigiis clareſcerent, totúmque mundum factis præſtantiſſimis complerent: Hinc illa dignitas, ut una lacrymula ex oculis, una ſanguinis ſtilla ex venis ſparſa pretioſior eſſet omnibus mundi theſauris, imò cunctis Beatorum meritis ſine fine modóque excellentior haberetur etiam in cælis.

Quodſi animam Dilecti introſpicio, Deum immortalem! quanta puritate fulget? quâ coruſcat gloriâ? procul ignorantia, error, oblivio: procul incompoſiti motus, turbatio, aut minima ad malum propenſio. At ſedem ibi divina fixit ſapientia, ſcientia rerum omnium exacta, rectitudo ſumma, ſanctitas perfecta, omnis denique virtus, quæ hominem Deum deceat, conſummata. Quæ linguæ calamúſque exprimat gratiæ ſanctificantis plenitudinem? donorum Spiritûs ſancti excellentiam? gratiarum quoque cæterarum copiam? Quæ mens, quæ ratio comprehendat, quo gloriæ donata lumine? quâ beatificæ viſionis claritate? quo divinæ fruitionis exceſſu, à primo ortûs ſui momento fuerit accumulata? Omnia dixero, ſi dicam: Dilectus meus homo eſt, ſed omnium caput hominum: habet quidquid omnes habent, & non habent, boni: homo eſt, ſed *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Quis nunc ambigat? nihil eſſe omnes homines ad hunc hominem, ad Dilectum meum? & quid eſſe poſſint ad Deum comparati?

Coloſſ. 2, v. 9

§. XVII.

Christus Deus.

TRanſeo ergo quidquid eſt terreni hominis, ſi Deum hominem, *quem diligit anima mea* invenire ardeo. Exiguum námque habet & precarium mundi dominíum homo; totum & abſolutum Deus. Non ille hunc modò mundum quantus eſt, quem condidit, conſervat & regit,

 cælis,

cælis, sideribus, elementis leges, metásque ponit: verùm & mille alios, quos condere posset, mente gerit. Et homini quidem corpus sit oportet, ut mundo dominaturus videat, audiátve. At Deo non opus est corpore, & tamen *magnitudinis eius non est finis.* Caret oculis & omnia videt, sine auribus audit universa, sine manibus cuncta operatur, sine lingua loquitur, sine pedibus ambulat.

Psal. 144. *v.* 3.

Nempe *Spiritus est Deus*, & divinas pro oculis aliísque membris habet perfectiones. Illi namque Scientia præstat oculos, aures Sapientia: manus ad dandum Liberalitas, brachia ad feriendum Justitia, ad operandum Potentia, pedes ad standum Æternitas, ad ambulandum Immensitas: cor denique ad amandum Misericordia & Charitas. O stupendi oculi! ò aures manúsque prorsus ineffabiles! Verè *oculi Domini multò plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & corda, intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia.*

Ioan. 4. *v.* 24.
Oculi & aures divinæ.
Ecclesi. 23. *v.* 28.

Verè auris Dei tamquam solicita observatrix, est *auris Zeli, quæ audit omnia: propter hoc, qui loquitur iniqua, non potest latére:* auris erecta & benigna, quæ non modò clamorem & orationes pauperum admittit, sed, quod creatis auribus negatum est, etiam *desideria* percipit, *præparationes cordis* audit, suspiria & *lacrymas* haurit.

Sap. 1. *v.* 10. & 8.
Psal. 9. *v.* 17.
Psal. 38. *v.* 13.

Quid mirabilius brachiis? quæ cùm vidisset Moyses, exclamavit: *Magnificentiâ eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna.* O brachia robusta! Certè *in brachio excelso* vel unico *eduxit de ergastulo Ægypti* Israëlitas, tot prodigiis flagellavit Regem totúmque regnum, siccavit profunda maris, suspendit Jordanis aquas, elicuit de petra frigidæ torrentes, de cælo admirandas panis delicias. O manus prodigiosæ! quando vel una *fundavit terram, & dextera mensa est*

Brachia, pedes, cor.
Deuter. 33. *v.* 27.
Exod. 6. *v.* 6.

cælos:

cælos: quando *tenuit extrema terræ concutiens, & excussit impios ex eâ.* At, ne minùs benefica videatur, quàm grandis & severa, sicuti vultu gratiam diffundit Deus, sic liquidas cæli voluptates liberali manu dispensat: de quibus David: *adimplebis me lætitiâ cùm vultu tuo, delectationes in dexterâ tua, usque in finem.* O solidos & immensos pedes! non frustra *similes aurichalco*, quibus *terra scabellum* est, æternitas stabilitatē, magnitudinē certa ubiq; præsentia confert. Nempe æternus ipse Deus, Principium & finis, sine fine & principio, qui *à sæculo usque in sæculum est*, qui ante omnia sæcula fuit, qui *verbum* habet æternum, *nomen regnúmque* æternum: *vitam, lucem, gloriam æternam: consolationem, potestatem, salutem æternam: mandata, annos, tabernacula æterna*, pro pedibus quoque habet æternitatem. O cor dulce & benignum, mite, & paternum, Misericordia! magna profectò, quia illinc *super cælos* extensa: hinc terris omnibus infusa, ut *misericordiâ plena* sit *terra*; longa, quia *à progenie in progenies* labantem servat mundum. Verè pia Dei viscera: *viscera misericordiæ, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Ab his mansuescunt corda, & viscera servorum Dei, ut sint *viri misericordiæ*: quales fuisse oportet Moysen, Jobum, Davidem: cuius cor unâ stilla, tetigit, & mititate præditum effecit, *virum secundum cor Dei*: qui & ipse vocari gaudet *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, atque etiam *cùm iratus fuerit misericordiæ recordabitur.*

Isaiæ 48. v. 13. Iob. 38. v. 13. Psal. 15. v. 10. Apocal. 1. v. 15. Isaiæ 66. v. 1. Psal. 89. v. 2. Psal. 116. v. 2. Psalm. 134. v. 13. 2. Petri 1. v. 11. 1. Ioan. 1. v. 2. Sapient. 7. v. 26. 1. Petr. 5. v. 10. 2. Thessal. 2. v. 15. Daniel. 7. v. 14. Hebr. 5. v. 9

Ecclesi. 1. v. 5. Psal. 76. v. 6. Lev. 16. v. 9. Psal. 107. v. 5. Psal. 32. v. 5. Luc. 1. v. 50. v. 7. 8. Ecclesi. 44. v. 10. 1. Reg. 13 v. 14. 2. Cor. 1. v. 13. Habac. 3 v. 2.

§. XVIII.

Quinta aspiratio ad Deum.

TAlem ergo quæro hominem, *qui mediator Dei & hominum, homo Christus IESUS, cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, &c. formam servi accipiens,*

1. Tim. 2. v. 5. Phili. 2. v. 5.

cipiens, in similitudinem hominum factus, humiliavit semetipsum &c. usq; ad mortem, mortem autem crucis: cùm *sit splendor, gloria & figura substantiæ* Patris, *sedet ad dexteram majestatis in excelsis*. Te, te mi Jesu, præ omnibus mortalibus amo, tuam sacratissimam humanitatem veneror & admiror: tuum complecti castissimum corpus, & animam in corpore tenere ardeo; ut à tuo meum corpus, mea anima trahat veram à tua sanctitatem. Ad tuæ divinitatis oculos attollo meos, à tuis pendeo infirma brachiis, in tuis vivo visceribus, tuis advoluor pedibus; sapientiam, potentiam, justitiam adoro; clementiam, misericordiam, charitatem supplicibus votis imploro. Hoc ego cor quæro, hæc viscera prenso, hos pedes stringere, has venerari manus, has aures, hoc divinos magni Numinis oculos aspicere, adorare atque æternis celebrare laudibus unicè desidero.

Hebr. 1. v. 3

O si etiam sacra divinitatis tuæ adyta liceret ingredi! si divinum tuum Dilecte mi, intellectum & voluntatem contemplari fas esset, liquidò sanè mortalibus constaret, optimam quamquam hominis voluntatem atque intellectum esse quidem imaginem Dei, sed quæ non nisi rudibus lineamentis prototypon suum adumbret. Admirari habet Angelicus, nedum humanus intellectus (comprehendere non potest) quis quantúsque sit divinus. Deus est, nihílque à divinitate re ipsa differt: nostrâ tantùm distinguitur ratione, quod unum idémque est in Deo: Essentia & existentia, substantia & intellectus, natura & voluntas. Quidquid enim in Deo est, Deus est. Hinc quod producit Verbum Deus est: quem spirat Amorem, Deus est. Itaque in seipso intelligit Deus seipsum, & comprehendit: aliâ non eget potentiâ, non lumine, non aliis opus habet speciebus. Uno intuitu videt se, & in se omnia: quæque videt, pervidet. Res omnes quæ sunt, fuerunt, erunt vel esse possunt, perspectas habet: omnes rerum causas & effecta,

Intellectus divinus.

fecta, naturas & proprietates, vires, motus & fines intimè pernoſcit. Quidquid Angeli hominéſque ab ortu mundi fecerint, dixerint, cogitaverint, atque in omnem æternitatem facturi dicturíque ſint aut cogitaturi, ipſe ab æterno certâ & evidenti notitiâ complexus eſt. Nullus hîc errori locus, nulla obſcuritati, vel ignorantiæ latebra: non opus ratiocinio, non conſultatione; ſed clara, aperta, nuda ſunt omnia, ubi ſapientia æterna, ſcientia infinita, providentia ſumma, veritas prima, intima ubique locorum in terra & in cælo rebus omnibus præſentia.

Voluntas divina.

Quæ verò voluntatis & quanta ſit excellentia ſolus novit capítque intellectus, qui parem habet naturam, divinus ſcilicet divinam. Solius quippe divinæ mentis eſt, dum ſe amat, ſummum amare bonum, ideóque meritò infinitam in ſe Filióque bonitatem infinito quoque amore complecti, & amando, Deum ſibi æqualem ſpirare: Nil poſſe mali velle, & quidquid boni velit, poſſe; volendo, facere: nihil extra ſe amare, deſiderare, nec ullo affici gaudio poſſe, niſi propter ſe: nihil odiſſe, averſari, fugere, niſi malum culpæ: non dolore cruciari; nihil ſperare, deſperare nihil; cùm nec adverſa pati, nec quidquam acquirere queat, omnia poſſideat, poſſítque omnia: numquam triſtitiâ torqueri, non irâ conturbari, non audaciâ efferri, non timore contrahi; ſed perpetua pace, ſumma beatitudine, perfecta omnium bonorum poſſeſſione gaudere. Nullâ hîc effrenis cupiditas; nullus mentis impetus immoderatus, nulla cum ratione pugna, nulla à recto tramite deviatio; ſed rectitudo inflexibilis, ſanctitas inſeparabilis, charitas divina, immenſa ſuavitas, benignitas inexhauſta, miſericordia ſempiterna.

Et ego Dilectum, cui talis voluntas & intellectus, non quæram, etiamſi ultra extremos huius mundi terminos ſit reperiendus? Quæram enimverò in cælis, ſi non fas ſit reperire

perire sub astris. Non frustra tot ubique impressit vestigia: reperiri voluit, quia viam tam operosè claris suæ præsentiæ indiciis signavit. Tuus iste, mi JESU, intellectus pro face & speculo mihi est, tua voluntas pro amussi & perpendiculo. Quod sentis, sentio: quod vis, volo. Te cogitare, de te, quidquid est grande, sanctum, divinum affirmare; negare, quidquid imperfectum, indignum, malum est: ad te ceu finem semper aspicere, te medullitus semper amare, te desiderare, te uno gaudere, dum spiro, statuo. Aliud nec volo, nec excellentius optare queo cogitandi vel amandi argumentum. Quærere ergo, quamdiu vivo, non cesso: cesso vivere, si non invenio.

§. XIX.

Siderum & cæli siderei consideratio.

SEd ubi quæram? an superest, quod non lustraverim? Est profectò. Cælum & Angelos nondum inspexi. Eundum ergo altiùs, & ultrà cælos? O arduum nimis iter, audax conatus! quomodo eousque enitar? quis scalam, quísve currum ministrabit? Non sum ego Jacobi vel Eliæ æmula. Quid? ergóne meticulosa trepido, & amo? procul esto vecordia, procul vani timores. Nil timeo, si verè amo. Nihil impervium, nihil inaccessum est amori. Quò non datur ire pedibus, fas est evolare oculis & desideriis. Licebit fortè Astronomis inter sidera ambulare? cælos inspicere? stellas metiri? & mihi non liceat Dilectum inter astra & Angelos investigare? Et ubi tandem commoretur ille libentiùs? ubi habitet digniùs? quàm in stellata aula, & inter Angelicos proceres cæli terræque Monarcha, Deus? Erigam ergo corporis mentísque oculos, & Fide atque Amore, optimis viæ ducibus, ad sidereos orbes ascendam.

Planetarũ orbes.

O quales fornices specto! quàm multiplex & varium cælestis regiæ vestibulum ingredior! In primo statim limi-

no

ne occurrit Lunæ cælum, altitudine visendum. Huic, ut video, incumbunt Mercurii Venerísque orbes, quò altiores, eò latiùs expansi. Si porrò altiùs conscendo, proximum tenet locum sphæra Solis, supra Solem majoribus semper intervallis Mars, Jupiter, & Saturnus in suis globis insurgunt? supra hos quoque planetarum orbes firmamentum longè ampliùs à terra sejunctum, denique crystallinum, primum mobile, empyreúmque cælum sublimitate eminet? quàm longum, latum, profundum, unum quodque illorum sit, necesse est? quàm præstanti materia formáque compositum, quàm admirabili artificio suspensum, quàm firmo & durabili opere confectum? ut neque clavis, neque columnis aliísque sub structionibus egeat? nec levitate sursum vel gravitate deorsum vergat, omnis damni & ruinæ expers, atque adeò incorruptæ perennitatis securum?

Sextus ascendendi ad Deum gradus.

Quæ verò manus tam vastos orbes ad volubilitatē rotundavit? támq; doctè inter se cōmisit? ut à primo cæteri omnes subditi circa mundi polos ab ortu in occasum moveantur? suo tamen proprio quisque motu aliorsum ferantur? & hic quidem ab Austro in Septemtrionem, ille ab hoc in Austrum, alius ab occasu in ortum circa Zodiaci alíósq; polos volutentur? quæ vis, quódque brachium tantæ molis & immensæ vastitatis machinas, adeò potenter, támque æquabili ac perenni impetu in gyrum torquet, ut viginti quatuor horarum spatio circum axem & centrum mundi volutæ immensos ambitus absolvant? & jam à sex millibus octingentis, & quod excurrit, annis nec à constanti gyratione cessaverint, nec à tramite & mensura latum unguem aberraverint?

Quis artifex colore tam amæno pinxit? fulgore tam nitido illustravit? virtute tam arcana & nobili insignivit, ut occultis qualitatum defluviis in abdita terræ viscera penetrando aurum, argentum, gemmásque & id genus alia producant; quin & in corpore humano vires augere vel detrahere,

trahere, temperiem humorum conciliare, vel turbare, quámque animo, arbitrii sui domino, non licet, sensibus vim quodammodo inferre videantur?

Quis pantopæus hæc divinæ aulæ propylæa, tot tantísque sideribus, ceu faculis accendit, ceu gemmis distinxit? alia ut suo fixa loco fulgerent, immobiliter in suo statu stare jussit? alia verò, ut indefesso cursu lucem mortalibus datura intra suas periodos oberrando horas, dies, menses, annos, sæcula signarent: hiberna frigora, delicias veris, æstatis ardores, autumni fructus suo accessu, recessu, occursu, conflictu terrigenis afferrent: diversis itineribus certísque orbitis vagari voluit? Quo consilio, ut Sol aurum, Luna argentum, Venus cuprum, Mars ferrum propitio influxu generet: Juppiter stannum, plumbum Saturnus, Mercurius vivum sibi argentum vendicet? planetæ simul omnes, ut suo quisque radio, virtute, cursúque rebus inanimis atque animatis; homini verò in primis famularentur, lege inconcussa sanxit.

Qua arte & industria in octava cæli testudine stellas visu cognitas plus mille viginti: alias, quæ aspectum pæne fugiunt, in galaxia & passim toto firmamento, innumerabiles depanxit? has in Zodiaci zona, illas in Australi ac Boreali plaga miro ac concinno ordine collocavit? qua ratione cæli campum eoúsque in longum latúmque extendit, ut tot millia stellarum caperet, quarum minima sextæ scilicet magnitudinis, terram decies & octies: maxima, quam in primo magnitudinis gradu ponunt Astrologi, terram centies ac septies excedit? taceo quod Saturnus & Jupiter plus nonagies, Sol denique centies sexagies & ampliùs nostrum, quem calcamus, telluris globum magnitudine transcendat. Et tamen tam prodigiosæ molis astrum, Sol, quem spectamus oculis, cæli cursor inter suos syndromos nec tarditate ultimus, nec celeritate primus, unâ horâ millionem & centum quadra-

quadraginta leucarum millia, imò dum oculum claudo & aperio, plusquam ſeptuaginta milliaria currendo conficit: ut ubique terrarum gentiúmque aureos ſuos radios diffundat, ſuo calore plantis & animantibus vigorem vitámque impertiat, ſuis etiam umbris tempora diſtinguat.

§. XX.

Cæli co-rúmque ſidera non ſunt plus-quam um-bra ad De-um.

VErùm quid tamdiu mecum ipſa tot prodigiorum artificem inquiro: Nónne *cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum?* loquuntur ipſi ſuum factorem, canunt, prædicántque Deum? quid hoc teſtimonio clarius? Ipſe, *ipſe eſt, qui fecit cælos in intellectu:* quos ut ex nihilo educeret, támque exquiſitè exornaret, nec morâ temporis, nec miniſtris aut inſtrumentis, nec ullo opus habuit adminiculo: ſat erat, divina mente ab æterno concepiſſe, & cùm placuit, voluiſſe. Ipſe eſt, qui pari felicitate ex primæva, quam mundo naſcenti affuderat, luce *fecit luminaria magna, Solem in poteſtatem diei, Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis.* Sic itaque etiamnum ſicut *Verbo Dei cæli & facti & firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*; ſic quoque eodem Verbo perenniter durabunt.

Pſ. 18. v. 2.

Pſal. 135. v. 5.

Pſal. 135. v. 7. 8. 9.

Pſal. 32. v. 6

O ſapientia, ô potentia, ô bonitas! tam mira, tam grandia, tam pulchra æternùm cogitâſſe, ſemper potuiſſe, tandem & feciſſe! imò grandiora multóque pulchriora in fecundo divinæ ſapientiæ ſinu adhuc geſtare, & ſi voluerit, poſſe! Jucundum equidem eſt mihi hæc ſtellata cæleſtium concamerationum lacunaria ſuſpicere: illarum lumine, virtute, doníſque aliis gaudere: magnitudinem admirari, laudare venuſtatem: motum, ordinem, ac firmitatem perpendere, atque iteratis exclamare vocibus: *Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia eius! glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, ſupervalebit*

Eccleſ. 43. v. 31. & 32. & 33.

enim adhuc. Exaltate eum quantum potestis, major est enim omni laude: non nescio tamen, quòd etiamsi multa specto, & stupenda; nihilominus *multa abscondita sint, & majora his: pauca enim vidimus operum eius:*

v. 36.

Ignosce, quæso, ô magne Conditor! ut hæc grandia sint & obstupescenda; non tamen mihi sufficiunt. Pulchra sunt, sed non ipsa pulchritudo: bona quidem, sed non æterna bonitas: magna utique, sed principium finémque suis includunt terminis: splendent oppidò, sed brutis æque ac hominibus. Et quoties etiam ista luminis interceptu eclypsantur? quoties occumbunt, ut oriantur? nascuntur, ut occidant? quoties suo aspectu terrent? fulgore perstringunt? occursu famem pestémque creant? Nonnè & suas habent astra maculas? Nónne tandem & *cæli qui nunc sunt, igni reservati, magno impetu transient, & ardentes solventur?* quidquid tandem sunt faciúntque boni, tuum est munus, tuum opus. *Quid* ergo *mihi est in cælo* sine te? *& à te quid volui*, aut quid velle possum *super terram?* Heu! quàm sordet mihi terra, cùm cælum aspicio! at vilescit etiam cælum, cùm Deum cogito: *Ipse enim Omnipotens super omnia opera eius. In sole* quidem *posuit tabernaculum suum*, eúmque, cùm miseretur, *oriri facit super bonos & malos*; at cùm irascitur *præcipit soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo.*

2. Petr. 3. v. 7. 10. 12

Psal. 72. v. 25.

Eccles. 43. v. 30.

Matth. 5. v. 45.

Iob 9. v. 7.

Deuter. 33. v. 26.

Ipse est *ascensor* cæli tantò sublimior, quantò Rex triumphali curru melior: invictus heros equo phalerísque nobilior: imperator summus throno, quem premit, dignitate eminentior; vel ut clariùs, veròque propiùs dicam, quantò is, qui est omnia, ipso nihilo excellsior. Ipse est, quem *cælum & cæli cælorum non capiunt*; quia infinitus: quem *exercitus cæli adorat*; quia sanctus: *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*; quia solus omnium Rector ac Dominus. Ipse, *qui facit magna*; quia maximus:

2. Paralip. 2. v. 6.

2. Esdr. 9. v. 6.

Psal. 146. v. 4.

mus: *incomprehensibilia*; quia nec Seraphico intellectu comprehensibilis: *& mirabilia*, quia undequaque in seipso admirabilis. Quid ergo cælum? quid sidera ad Conditorem sunt plus quàm umbra? Cur non igitur & ista transeo? *Iob.9.v.10.*

§. XXI.

Dilectum quæro; Te, te mi JESU: non cælum, non sidera: Te sinè cælum mihi carcer est: sidera sunt bullæ, sunt crepundia, sunt denique nihil. Tu cælis pulchrior, astris clarior. Tu firmamentum meum, tu primum mobile: mensura temporis & æternitatis. Tu circulus es; quia principio & fine cares: sed circulus perfectus & divinus, cuius centrum ubique, peripheria nusquam. Semper operaris, semper quiescis: quia moves omnia ipse immotus, bonitate quaquaversum effluis, æternitate in te ipso manes: omnia lustras perenni providentia, ubique præsens es Numinis tui immensitate: locum non mutas nullo circumscriptus loco; omnem tamen imples locum & excedis: Tu fons lucis, oceanus claritatis, tot immensis radiis coruscas, quot divinas perfectiones numeras: tantâ siderum fulges copiâ, quanta *multitudine virtutis tuæ.* Sexta aspiratio ad Deum. *Psal.65.v.3*

O quàm verè dixisti! *Ego sum radix & genus David*, humanâ scilicet clarus prosapiâ; sed *stella splendida & matutina*, divinâ clarior origine. Verè *stella* splendida, cui æternus Pater applaudens, sibique ipsi simul gratulatus, ait: *in splendoribus sanctorum ex utero* & substantia meæ divinitatis *ante Luciferum*, ab æterno, *genui te.* Verè *matutina*, cui *ab æterno* & *ante tempora sæcularia* datum est, ut in divina Patris mente fulgurares, *esséque splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* At ô prodigium amoris! Non tibi sat erat splendere Patri; ut itaque splenderes & mihi, factus es *stella ex Iacob*, mihi de cælo in terras delapsus è sinu Patris, in virgineum *Apocal.22. v.16.* *Psal. 109. v. 3* *Proverb. 8. v. 23.* *2. Tim. 1. v. 9.* *Hebr. 1. v. 3* *Num. 24. v. 17.*

gineum intactæ matris uterum descendisti: mihi in vilissimo natus tugurio, è stabulo fecisti cælum, ad quod cælestes advolarent Genii, stellâ duce properarent Reges: mihi ipsos triginta tres annos in hoc mundi inferioris epicyclo versatus densam errorum caliginem tua luce discussisti, tandémque ad Patris æterni pectus, à quo numquam discesseras, humanæ carnis habitu, ceu nube candida, indutus feliciter confecto amoris curriculo rediisti.

Malach. 4. v. 2. Tu es ille *Sol justitiæ*, cuius luce exhilaratur cælum, perstringitur terra, inferi percelluntur: cuius fulgore detegitur vitiorum fœditas, virtutum amœnitas, veritatis candor & majestas. Tu sol *illuminans mirabiliter à montibus æternis*, qui mentes tibi addictas uno splendoris radio plus arcanorum cælestium unâ doces horulâ, quàm mille annis omnes libri & cathedræ: uno radii cælestis fulgore facis, ut videant, quod alii vix credunt; ut sciant, quod naturæ vires non capiunt; ut docere possint, quod numquam didicerunt. Tu sol, qui *reversus decem lineis* infra novem Angelorum choros, & demum infra homines te demisisti, factus *despectus & novissimus virorum*; sed denuo emersus ascendisti *super cælum cæli ad Orientem*: eò altior post voluntariam depressionem, quò profundior fuit abjectio celsitudinis, & majestatis occultatio diuturnior.

Psal. 75. v. 5.

Isaie 38. v. 8.

Isaia 53. v. 3.

Psal. 67. v. 34.

Et ego ad te Dilecte mi, non suspirem? te non quæram? per avia & invia ad te penetrare non satagam? O quando videbo serenissimam faciem tuam? quæ etiamdum mortali carne vestita in Thaboræo monte *resplenduit sicut sol*: atque nunc etiam super cælos elevata, *sicut sol lucet in virtute sua*? facítque immensâ suæ lucis copiâ, ut illa beata *civitas non egeat sole, neque lunâ, ut luceant in ea?* At ego, mi Dilecte, ego vehementer indigeo; alium tamen solem, aliam lunam, quàm te nolo.

Matth. 17. v. 2.

Apocal. 1. v. 16.

Apocal. 21. v. 23.

Tuas,

Tuas, mi JESU, desidero beatas flammas, ut cor accendas; tuos suspicio radios, ut mentem illustres. Tuo calore mea foveri anima gestit: tuo influxu meus vegetari Spiritus exoptat. A te pendeo, ut à sole radius: sine te langueo, ut sine sole flosculus: absque te sterilis jaceo, ut absque sole campus. Te absente pigra torporis hyems fatali frigore constringit animum. Sed da radium & vivent, florebunt in me omnia: perenne ridebit ver, jucundissima me recreabit æstas, frugifer ditabit autumnus: nulla timebo frigora, nullam noctem, eclypsin & occasum nullum.

Te solem meum adoro; quia Deum agnosco: alia omnia profana siderum nomina odi: despuo Saturnum, Jovem, Martem, & quidquid Monstrorum cæca gentilitas cælis affinxit. A te, à te est charitatis aurum, castitatis argentum, obedientiæ stannum: à tuis venit defluviis patientiæ cuprum, fortitudinis ferrum, plumbum demissionis, omnium gratiarum virtutúmque metalla & gemmæ: à tuis denique serenioribus sole radiis pendet flos & fructus meritorum, vita, salus & gloria sempiterna. O quando mihi rursum orieris? quando nubem, quæ te mihi eripuit, tandem disjicies? Ubique radium tuæ claritatis invenio; at majus aliquid quæro; dum te quæro. Jam scio: in empyreo cælo es, aut nuspiam es.

§. XXII.

Quid enim est supremus ille orbis, cui ab igneo fulgore nomen damus, nisi *habitaculum sanctum* divini Numinis? *sedes* excelsa gloriæ? *thronus* fulgentissimus majestatis? *domus Dei* amplissima? *civitas* Beatarum mentium pulcherrima? *regnum* felicitatis tutissimum? *paradisus* æternæ voluptatis jucundissimus? Percellit me sanè hujus regiæ

Empyrei cæli consideratio. *Exod.* 15. *v.* 13. *Isaiæ.* 66. *v.* 1.

Matth. 5. *v.* 34. *Ioan.* 14. *v.* 2. *Matth.* 3. *v.* 2. 2. *Corin.* 12. *v.* 4.

regiæ cæleſtis ſanctitudo & majeſtas; ſed rapit me gloria & fulgor: terret amplitudo, & celſitas; at trahit pulchritudo & jucundiſſimæ felicitatis æternitas. O quid non video per tenuem, quam mihi fides aperit, feneſtellam! ò millies felix, iterúmque millies beata anima, cui portam charitas pandit, & latum præbet ingreſſum.

Nihil hîc vile & inquinatum, nihil infirmum & triſte, nihil infauſtum & obſoletum. Exulat hinc proſcripta fames, ſitis, frigus, æſtus: longè eſt labor, timor, dolor, luctus: procul relegata eſt ægritudo, cura, ſenecta, mors: locum non habet pugna, culpa, vindicta, pœna: non inopia, contemptus, injuria, periculum, invidentia, viciſſitudo; ſed perfecta, pura, ſancta ſunt omnia. Hîc omnis honor & gloria, pax & ſecuritas, lux & claritas, gaudium & abundantia, voluptas & elegantia, perennitas & beatitudo regnat.

Quantum à terra diſtat firmamentum, tanto abeſt ſpatio à firmamento empyreum: quid ſublimius? quod eſt globus terræ ad ſidereum orbem, ſcilicet nil puncto amplius: hoc eſt ille orbis ad Beatorum regiam, ut illorum quiſque integrum pro aula regnum habere, ſi velit, queat: quid magnificentius? Si millies mille Soles ſuos conjungerent radios, tantum claritatis mundo non afferrent, quantum lucis ſuprema Numinis aula ſpargit, cuius ſinguli inquilini præ ſole rutilant: quid illuſtrius? Si omnes ſilvarum arbores verterentur in cinnama: omnia camporum gramina abirent in roſas & lilia: omnia terræ flumina pro undis affunderent balſama; cæleſtis tamen paradiſi non æquarent ſuaveolentiam: quid jucundius? Si denique omnis florum, gemmarum, animantium, ſiderúmque pulchritudo, totáque artis & naturæ venuſtas in unum conflueret, certè beatæ patriæ elegantiam non adumbraret: quid pulchrius?

Inſpexit

Inſpexit equidem uranoſcopus ille Divus, Joannes, feliciſſimam hanc civitatem, atque, ut rudi illam penicillo nobis delinearet: *Erat*, inquit, *ſtructura muri eius ex lapide jaſpide: ipſa verò civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata &c. Et duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, &c. Et plateæ civitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum.* Vidit equidem, ſed non niſi in imagine; neque tamen, quidquid viderit, meliùs exprimere potuit: atque ita multum dixiſſe ſibi viſus eſt; quia plus dicere non licuit. *Oculus enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Sed unde hæc cæli empyrei celſitudo & vaſtitas? unde tam mira claritas & pulchritudo? unde tanta jucunditas & felicitatis plenitudo? unde tam ſecura immenſæ gloriæ æternitas? niſi à ſuo Rege, à Conditore, à Deo? Non niſi divinus artifex tam grandem ſplendidámque potuit architectari machinam. Magnitudo certè operis immenſum prædicat opificem, claritas infinitam auctoris lucem manifeſtat, pulchritudo ineffabilem venuſtatem, jucunditas inexhauſtam bonitatis dulcedinem, celſitudo inacceſſam dignitatis eminentiam, firmitas æternæ virtutis excellentiam.

Septimus aſcendendi ad Deum gradus.

Apocal. 21. *v.* 18. & *ſeq.*

1. *Cor.* 2. *v.* 9.

Et eſt quidem ſtupendum omnipotentiæ magiſterium hanc cæli feciſſe regiam: quid ergo fuerit eam ex nihilo produxiſſe? in momento omnibus abſolutam partibus perfeciſſe? ſolo divinæ voluntatis imperio ex ſua mente procreâſſe? Et quo tandem conſilio eam condidit, quóſve in uſus fabrefecit? An fortè hac indigebat ſede, qui numquam fatigatur, non ſtat, non ambulat, ut ſedere opus habeat? an habitaculum neceſſe erat illi, qui eſt ubique, qui omnem implet locum, nullo clauditur? an thronus, civitas, regnum illi deerat, qui ab æterno ipſe ſibi regnum, civitas, thronus fuit majeſtate, gloriâ, felicitate infinitus, commen-

commensus & incomparabilis? O admiranda charitas! non tam sibi fabricare aulam mens erat, quàm Angelis hominibúsque locum parare consilium fuit. Hîc, hîc suam Beatis mentibus gloriam ostendit; hîc spectandam præbet serenissimam divinitatis faciem: hîc suæ facit participes beatitatis: hîc mortalium rectè facta remunerat, labores perpetua requie compensat, virtutem coronat: hîc victoribus parat triumphos, palmas dividit, honores decernit, omnibúsque tandem malis exemptos, omnibus cumulatos bonis gloriosa donat immortalitate, secúmque regnare jubet, secura divinitatis suæ possessione æternùm felicissimos.

§. XXIII.

Empyreū Dei Sedes: portat non capit, Majestatem.

HOc ergo loco necesse est Dilectum esse meum, ubi tam clarè illius se prodit charitas. splendet potentia, regnat majestas. Hîc placet quærere & exclamare: *Num quem diligit anima mea, vidistis?* non cælum quæro, sed cæli Conditorem: non Beatorum aulam, sed beatitatis fontem: non Dei thronum, sed divinitatem. Perplacet quidem hæc splendoris copia; sed non sufficit: delectat hæc fragrantiæ jucunditas; at non satiat: demulcet rapítque consummatæ felicitatis ubertas; verùm non explet.

Non possum non amare, & ardentibus ambire votis hanc empyrei cæli Curiam; at dum aliquid illâ melius mente concipio, gradum hîc sistere, metámque figere amori nequeo. Est illa, non inficior, amplum, ornatúmque Angelis & hominibus palatium; at pro Numinis immensa magnitudine, pro Conditoris gloria, pro summi optimíque Dei majestate vix tugurium: Plena est voluptatis, gaudiorum vitæque immortalis; at ipsamet vitâ, sensu animâque caret: Summum tenet in mundo locum, ipsósque sub se cælorum orbes despicit; at illa infinitis infra Deum spatiis

ſpatiis depreſſa jacet: admirabili ſplendore fulget; at interminatæ luci comparata, neſcio quibus involuta tenebris vileſcit: felicitate æternùm duratura affluit; at non multis abhinc retrò annorum millibus, nec ipſa nec illius felicitatis umbra fuit; Deus fuit, qui eſt, eritq; ſemper feliciſſimus, in empyreo quidem præſens, ſed & ſuprà empyreum elevatus, intercapedine innumeris paraſangis non emetienda. Huic igitur quærendo ut inſiſtam urget amor, ſpes extimulat, audacia juvat; ut inveniam, perſeverantiæ dabit, qui quæritur, Dilectus.

§. XXIV.

Septima aſpiratio ad Deum.

AN fortè tua, mi JESU, charitas in irritum vota cadere ſinet? non audies tandem ſuſpiria? tot preces non admittes? tam impigrè quæritanti non occurres? Abſit hoc à me ſcelus, ut metuam. Inveniri amat, qui ubique veſtigia relinquit. Et vel idcirco immortales tibi grates debeo, quòd tam illuſtria paſſim inveſtigandi tui monimenta ſpecto. Ignes ſcilicet mihi ſuos empyreum affundit, & flammas auget; facem admovet atque oculos illuſtrat. Oppidò enim cæca ſim, ſi quantùm me ames, non videam. Nónne inter cæteras dilectas tibi animas & mihi tam celſam parâſti domum? mihi in tam ſplendido palatio locum ab æterno deſignâſti? mihi in tam glorioſo beatitatis regno munus ſtationémque clementiſſimè conſtituiſti? Parùm dixi. Nónne feliciſſimæ huius civitatis jus & municipatum tuo mihi ſanguine mercatus, exilium elegiſti, ut tuâ me donares patriâ? ut me ad cæleſtis paradiſi gaudia tecum eveheres, in horridum mundi deſertum de ſinu Patris deſcendiſti? Et ego mutuis non ardeam amoris ſancti flammis? non te ſuſpirem? non quæram? non inclamem?

Agnoſco charitatem, clementiam admiror, exoſculor munificentiam & adoro. Hac in Regia, in hoc throno

aliquando te inveniam, hîc tuo perenniter fruar aſpectu, tuæ ſatiabor poſſeſſione divinitatis: ita non meo quidem ſolo merito, ſed tuâ potiſſimùm gratiâ, in optima ſpe pono. At nunc? ô dolor! ô pœna! omnes empyrei receſſus luſtro, te tamen non video: præſentem non neſcio, ſed intueri non valeo. Imples & emines, ne comprehendam: *lucem inhabitas inacceſſibilem*, ne oculo nondum expurgato videam, ſed tuæ interim aulæ ſpectaculis me paſcam.

1. Tim. 6. v. 16.

Parce tamen, ô Deus, parce, ſi dicam, quod ſentio: ſi ſentio quod dictat amor. Nullam quæro gemmis auróque fulgidam domum: nullum gloriâ divitiisque plenum in cælo terrísve regnum: nullum perennibus affluentem gaudiis deliciísque paradiſum. Te, te mihi oſtende: te mihi, vel me tibi præſentem ſiſte, & acquieſco. Ubi, ubi fueris: ibi mihi regnum, paradiſus, cælum erit. Tu *Rex Regum & Dominus Dominantium*. Tecum gloria eſt & majeſtas: tecum divitiæ & potentia. Tu arbor vitæ, tu hortus voluptatis. Tecum juſtitia & pax: tecum fontes & flumina gratiarum. Tu Cæli gloria, tu Cælitum beatitudo: tecum venit claritas & agilitas: tecum ſubtilitas & immortalitas Beatorum. Tecum eſſe, regnare eſt: te tenere, beatum eſſe: tibi adhærere, uniri, immergi, in te transformari, ſumma eſt eius, quam creata mens attingere poſſit, felicitatis, facítque, ut quidquid infra Deum eſt, pro nihilo ducam. Et quomodo me cælum recreet, dum te mihi occultat! Nónne dum deſideria non explet, amorem magis accendit? Stat pergere quærendo: relinquere omnia, ut in Deo inveniam omnia, ſine quo nihil ſunt omnia: nulla ſummo etiam cælo lux & ſuavitas, nulla pulchritudo & opulentia, nulla gloria & felicitas, nulla potentia, virtus, & ſanctitas: nulla omnino, nulla beatitas. Dum ergo Deum meum non video, dum non teneo, infelix ſum & miſeranda. Quid ſuper-

Apocal. 19. v. 16.

supereſt, niſi ut extremum ſolatii ſpeíque aggrediar tentamentum, atque inter fortunatiſſimos cæli inquilinos, quem ſuſpiro, Dilectum meum perveſtigem?

§. XXV.

AT quomodo agreſtis ego ancillula ad hos cæleſtis regni Proceres levare oculos poſſum? quâ fronte viliſſimum ego mendicabulum Beatorum civium me cœtibus inferre audeo? Ignoſcent tamen facilè, non dubito; quia *quem diligit anima mea*, & ipſi diligunt, & anxiè quæri gaudent. En! ultrò ſe ſpectandos offerunt. O quanta eſt illorum præſtantia! quanta ſapientia & felicitas? quæ illis potentia? qualis locutio? quis locus, motus, numerus & ordo? Omnis mortalium ſapientia præ illis mera eſt infantia: omne robur & potentia, infirmitas: omnis magnitudo parva, numerus & ordo exiguus & pro nihilo ducendus. Major eſt illorum nobilitas, quàm ut cum ullo humanæ celſitudinis faſtigio conferri poſſit.

Conſideratio Angelorum.

Sive enim naturam Angelorum, quoad mortali fas eſt, inſpicio: ſive gratiam, gloriámque contemplor; invenio ſanè permiram, & æmulam divinarum perfectionum excellentiam. Non ſunt illi, quemadmodum cæli, ſidera, hominésque ex materia & forma compacti: non quantitate molis, partiúmque numero extenſi: non elementorum humorúmque temperie conflati: non mutationibus corporeis obnoxii; non carnis oſſiúmque ſarcinâ gravati: non cibi, potûs, ſomni veſtiúmque egentes: nulla terreni pulveris contagione infecti; ideóque defatigationis, doloris, vulneris, morbíque expertes, atque ab omni corruptione quàm longiſſimè remoti: eò magis præ mortalium animis naturâ inclyti, quò minùs ullius corporeæ ſubſtantiæ vel adjumenti cupidi ſunt, aut indigi vel capaces.

O quàm bellè à nobilissimo rerum gradu sortiti sunt nomen, ut Intelligentiæ dicantur! Sunt enimverò mentes ex integro puræ; sunt Spiritus completi & perfecti; quibus quidquid est substantiæ, proprietatum, potentiæ & accidentium, id omne spiritualis naturæ sequitur conditionem; nempe subtilem, indivisibilem, rationalem, liberam, Deóque plurimùm affinem, ut adeò excelsiori naturæ loco infra Deum nequeant collocari. Annon ergo divina in illis rutilat Majestas?

Intellectus Angelicus.

At ecce! quis fulgor aciem mentis perstringit? Angelicúmne intellectum putem? Non erro. Illam scilicet tam præcellentem cælestium Geniorum substantiam non impar intelligendi Verum, Bonúmque amandi facultas comitatur. Quid enim ad summum scientiæ culmen deesse queat iis, in quos primò omnium divinæ lucis splendor emanat? qui se ipsos singuli, propriásque actiones absque specierum ministerio in suamet substantia, velut intuendo, penitissimè cognoscunt? qui alios omnes suæ felicitatis consortes per species Conditoris beneficentiâ congenitas; Deum verò ex rebus creatis, maximè tamen in se ipsis, tamquam in tersissimis speculis, relucentem contemplantur? qui omnes lapides, metalla, gemmas, margaritas, pisces: omnes herbas, flores, fructus, folia, arbores: omnes vermiculos, bruta, muscas, volucres, homines: omnes quarumcumque rerum colores, mensuras, intervalla, figuras & actiones: verbo, quidquid habent elementa, cæli, sidera rerum conditarum, nonminùs perfectè, quàm facilè velocitérque per imagines initio sui ortûs impressas perspiciunt? atque insuper quibus causis, partibus, differentiis, viribúsque constent, in comperto habent? oppidò felices, quia etiam multa uno simul intuitu: plurima sine ullo mentis ratiocinio: præterita quoque ac futura causarum, quæ liberè non agunt, effecta intelligunt: multò tamen felicio-

feliciores, quia ſine tædio, ſine erroris periculo, quidquid apprehendunt, penetrant, atque à jucundiſſima ſuimet cognitione numquam ceſſant: denique feliciſſimi, quia, ut Boni Malique diſcrimen optimè nôrunt; ita nihil quod malum ſapiat, eligunt; quod verò elegerunt bonum, mordicus tenent: quantumvis ſumma gaudeant libertate; eam tamen nonniſi ad honeſti juſtíque amorem inflectunt. Annon ergo divina in illis reſplendet Sapientia & Bonitas?

Voluntas.

Sed cur altum ubique ſilentium? An fortè loquuntur, & non audio? an tacendo verba faciunt, mente ſermones ſerunt, non voce? ita eſt. Quid ergo Angelica locutione jucundius? quid auditu ſecretius? Non eſt, ut video, illis opus aëre, ſono, linguis vel auribus, quibus pro lingua eſt voluntas, intellectus pro auribus & ore, pro verbis ſunt conceptus mentis: quibus propriam cogitationem aliis velle manifeſtam, atque ad eos mente dirigere, tantumdem eſt ac loqui: alterius cogitatum ad ſe directum clariſſimè mox cognoſcere, eſt audire. O mirabile fandi privilegium! quo idem ſimul tacet & loquitur, animi ſui decretum eodem tempore aliis tegit, aliis aperit: ſolo nutu & arbitrio per immenſa locorum intervalla ſermocinatur. Sic nempe ſuaviſſimis colloquiis unus uni, pluréſve pluribus, aliis non audientibus, mentis arcana pandunt: Sic æternas Deo laudes concinunt: ſic veritates, myſteria, & divina alii aliis imperia revelant. Annon autem hæc tam ſecreta locutio divinam refert loquendi rationem?

Locutio Angelica.

§. XXVI.

QUod verò iſtud eſt jucundiſſimum, quod cerno, ſpectaculum? En! ut Angelorum alii ſurſum, deorſum alii, variiſque flexibus quaquaverſus mira agilitate feruntur? nunc momento temporis, nunc longiore tractu ibi ſunt, ubi volunt! jam diſcreto & interrupto, jam continuo motu alium

Motus & locus.

alium ex alio locum sortiuntur! O quantâ facilitate & impetu, non alio quàm voluntatis impulsu, motricem potentiam excitantes absque pedum pennarúmve auxilio ambulant aut volant! quantâ varietate æqualem suæ perfectioni locum quisque sibi vendicant, omnes quidem magnum; extensione virtutis atque intimâ præsentiâ implendum; alii tamen majorem ac majorem, nonnulli maximum, intra præfixos limites concessum, occupant! O quàm mirabili dexteritate ipsi indivisibiles divisibili loco, toti in toto, nec minùs in qualibet parte toti definiuntur! modò amplissimum terræ cælive spatium obtinent! modò in uno plures loco, cùm lubet, consistunt: alienum transeunt, atque etiam, si res exigat, in unum punctum se contrahere non gravantur! Annon ergo divina in illis Immensitas graphicè repræsentatur?

§. XXVII.

Potentia Angelorũ.

VErùm plura & majora, quæ tellus obstupescit, cælum suspicit, natura vix suis perficienda viribus agnoscit, hîc mihi se offerunt, Angelicæ virtutis prodigia. Quid enim quantúmque in rebus inferioribus patrare valeant, ex iis, quæ jam sæpiùs perpetrârunt, liquidè cognosco. Perfacile est illis permissu Numinis, quidquid locali motu vel agentia passivis applicando perfici potest. Parùm est, momento citiùs ex vicino aëre sibi formare corpora, illa induere & movere, atque ita sese spectabiles facere, tangendos exhibere, articulatas voces edere. In promptu illis est, dura penetrare marmora, grandia movere pondera, latentes terræ divitias patefacere, fontes elicere vel siccare, flumina & maria sistere vel dirimere: horrendas strages edere, vel avertere, bestias cicurare, vel efferare: aërem, aquam, ignem in scelerum vindictam stringere, vel in præmium virtutis exarmare. Tam in expedito habent ut morbos

morbos affient, quàm ut afflatos propulsent: sterilitatem agris tam facilè inferant, quàm tollant: nullo negotio arcana pandant, absentia manifestent, obiecta sensuum immutent, phantasiam moveant, humores excitent, mentem quoque illustrent, impellant denique & voluntatem.

Quis Agari inter deserti aridas arenas repentè *puteum aquæ* produxit? quis *pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem &c. à cælo, & subvertit civitates has, & omnes habitatores urbium?*

Genes. 21. v. 19. Genes. 19. v. 25.

Quis ad flagellandam decem cruciatibus Ægyptum, convertit *aquam fluminis in sanguinem?* fædorum animalium, *ranarum, sciniphum, muscarum locustarúmque* exercitus cunctis domibus & regiæ aulæ infudit? *jumenta peste, homines ulceribus, plantas & arbores grandine* afflixit? *horribiles* toto triduo induxit *tenebras*, tandem omnes Ægyptiorum *primogenitos una nocte* interemit, nisi Angelus? Quis inter Pharaonis copias & inermes Israëlitarum cohortes, ita se interposuit, ut *nubes tenebrosa* innumeram Ægyptiorum multitudinem quaqu .versum spissa caligine obrueret, eadémque *illuminans noctem*, Abramidarum *sexcenta ferè millia peditum virorum absque parvulis, sed & vulgus promiscuum innumerabile* clara luce perfunderet? Quis Moysi cum universo populo *per medium sicci maris*, ut esset *aqua quasi murus à dextera eorum & læva*, prodigiosum iter aperuit? Quis ad Hebræi Ducis obsequium rapidas Jordanis undas *retrorsum* egit, *ut instar montis intumescerent*? Hierichuntis *muros* tantùm *vociferante populo, & clangentibus tubis* solo æquavit? nec multò pòst solem stitit *in medio cæli, ut non festinaret occumbere spatio unius diei*? Profectò Angelus, Deo annuente, Synagogæ Præses & propugnator.

Exod. 7. v. 20. & seq. cap. Exod. 14. v. 20. 12. v. 37. 14. v. 21. Iof. 3. v. 16. 6. v. 20. 10. v. 13.

Nónne Angelus Babylonicæ fornacis ignes exarmavit, & *fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem*, ne innocentem puerorum ternarium ustularent. Nónne Angelus *septem*

Daniel. 3. v. 49.

ſeptem famelicorum *leonum ora* ſolidis *ſex diebus* frænavit, ne Danieli dentes aut ungues infigerent? atque inſuper Habacuc *capillo capitis ſui* prehenſum cum pulmentaria olla ex Judæa in Babylonem detulit, ut clauſo inter rugientes feras vati vates prandiolum miniſtraret? Nônne Angelus Tobiæ juniori, ne *piſcis immanis ad devorandum eum egreſſus*, damno eſſet, ſed in multorum dierum iter annonam, medelámque præberet, præſidio fuit? à Sara dæmonium profligavit? ſenioris cæcitatem illito felle abſterſit? utrumque magnis opibus ditavit? Nónne Angelus Eliam humanis deſtitutum auxiliis in deſerto ſubcinericio pane & hauſtu aquæ ſic refecit, *ut ambularet in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb*? Nónne Angelus Petrum *catenis duabus* vinctum exolvit? per medios cuſtodes inobſervatum deduxit, & *ferreâ portâ ultrò eis apertâ* ad ſuos liberum dimiſit?

Daniel. 14. *v*. 35. — *Tob*. 6. *v*, 2. & *ſeq*. — 3. *Reg*. 19. *v*. 7. — *Actor*. 12. *v*. 6. & *ſeq*.

Teſtatur ſuo expertus malo David Angeli potentiam, quem vidit *ſtantem inter cælum & terram, & evaginatum gladium in manu eius*: quando *ceciderunt* peſtilentiâ non multis horis *de Iſrael ſeptuaginta millia virorum*, in regiæ nimirum arrogantiæ pœnam extincta: Teſtatur Senacherib luctuoſam ſuorum cladem: quando *Angelus Domini percuſſit* una nocte *in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia*, in barbaræ & blaſphemæ impietatis ſupplicium interempta. Experietur denique orbis univerſus, quas clades daturi ſint *ſeptem* Angeli die extremi judicii appetente: quando unus *tubâ canet*, fiétque *grando & ignis miſta in ſanguine &c. & tertia pars terræ comburetur*: alter canet, *& tamquam mons magnus igne ardens mittetur in mare, & morietur tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari.* Sic & cæteri canendo tubis percutient *tertiam partem fluminum & fontium, ſolis & Lunæ, tertiámque hominum impiorum partem igne, fumo, ſulphure* inter diros cruciatus internecione delebunt.

1. *Paral*. 21. *v*. 16. — 4. *Reg*. 19. *v*. 35. — *Apocal*. 8. *v*. 7. & *ſeq*.

Annon

Annon ergo divina in illis Justitia pugnat, omnipotentia triumphat?

§. XXVIII.

Numerus Angelorum.

SI tanta est uni è Spiritibus supernis virtus & potentia, quanta erit multis? quid unâ plures, quid omnes junctis simul viribus jubente aut non obsistente Deo poterunt? Et sunt fortè pauci numero? neutiquam sanè. Video enim integras cælestium satraparum militúmque legiones: & quò diutiùs profundiúsque mentis oculos defigo, eò plures eorum exercitus deprehendo: ut adeò arenas maris numerare velle videar, si illos in numerum cogere adlaborem. Multum sibi visus est dixisse Rex citharœdus, cùm dixit: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.* Amplius aliquid proferre ausus est oculatus testis Daniel, quando ait: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Sed neuter, quot millia spectaverit, expressit; quia uterque numerum excogitando defecit. Rem dixit, qui apud Jobum interrogando: *Numquid est numerus militum eius:* quem ullus hominum valeat enunciare? eos omni numero plures asseveravit. Si ergo tot esse putem Angelos, quot cæli sidera: quot à mundi ortu ad finem usque fuerunt erúntque homines: quot regna, provinciæ, urbes, oppida, pagi, publicæ privatæque domus: quot montes, colles, flumina, fontes, arbores, perfectæque aëris, aquæ & telluris animantes, à vero non aberravero. Par est utique, multò plures in cælesti regia supremi Numinis esse ministros, quàm in terræ ergastulo res servulorum obsequio creatas, numero mortalium ingenia excedente, soli Deo, Angelísque uti cognito, ita & numerando.

Psal. 67. v. 18.

Daniel. 7. v. 10.

Iob. 25. v. 3.

Ordo.

Tametsi verò tantam Angelicarum mentium cerno multitudinem; nulla tamen uspiam apparet confusio, tur-

bamentum nullum , ſtrepitus , diſſenſio , tumultus nullus: ſed omni ex parte ſumma quies, pax jucunda , concordia perennis, ordo pulcherrimus, claſſes diſtinctæ, officia diviſa , nexus ſuaviſſimus omni multitudine in novem choros, trésve hierarchias ſapientiſſimè diſtributa, cum voluptate & admiratione ſpectatur. O quàm gratiosè, qui Deo propiùs aſſiſtunt, atque idcirco plus divinæ lucis hauriunt, Angelorum Proceres, in eos qui inferiore locati ſunt gradu, radios reflectunt, & jam illis ſecreta æternæ Majeſtatis conſilia referant, jam mandata résque ex Dei ſententia gerendas explicant ! Quàm reverenter & promptè hi lumina excipiunt ! quàm exactè hilaritérque juſſa exhauriunt ! quàm ſincerè ſedulóque unam omnes Dei gloriam hominúmque ſalutem ſpectant.

En! quàm ſolicitè fidi mortalium ſtipatores, Angeli, ubique præſtò ſunt ad ſuorum clientum opem tutelámque parati ! quàm induſtriè pervigilant invicti Communitatum Tribuni , Archangeli , ad res curandas publicas, & majora nuntianda miſſi ! quàm providè habenas tractant inclyti regnorum Præſides, Principatus, ad copulandam gubernaculis æquitatem delecti ! Hîc Poteſtates , veluti fortiſſimi exercituum Duces, contra tenebrarum Principem, & execranda ſtygis agmina majeſtate certant , fidem tuentur , juſtitiam urgent, atque animas ſuperis charas propugnant: iſthic Virtutes, ceu potentiſſimi æthereæ aulæ Prætores, admirabilia mundo dant ſpectacula, prodigioſa divinæ potentiæ argumenta: illîc Dominationes, tamquam ſummi Regis Legati, univerſam utriuſque orbis harmoniam cum imperio gubernant: omnes quidem perpetua divinitatis poſſeſſione feliciſſimi , licet officio quiſque ſuo ſupremis impares: majorem tamen Numinis propinquitatem non invident , ſed ſuaviſſimè gratulantur. Enimverò copioſa gratulandi materies eſt, quòd Throni ſumma tranquillitate immenſam Dei majeſtatem exci-

excipiunt, & veluti in regia ſede quieſcentem ſuſtinent, aut non ſecus ac in curuli Sella triumphantem portant: quòd Cherubini, ſcientiæ plenitudine clariſſimi, plus cæteris ex vaſtiſſimo infinitæ ſapientiæ Oceano ſplendoris trahunt, & ceu vivi codices primam, quam præ reliquis ſibi impreſſam agnoſcunt, veritatem ſuper omnes celſiſſimis præconiis exornant: quòd denique Seraphini, ceu ardentes cæleſti flamma clibani, plus rebus creatis omnibus inextinguibili ſummi Boni æſtuant charitate.

O millies iterúmque millies beati Spiritus, quos munificentiſſima Conditoris largitas tantis naturæ gratiæque donis mirificè cumulavit! vos quippe mox cum cælo ante Solem Lunámque ſanctificante gratia dotatos condidit: vos momento temporis excellentiſſimis virtutum meritis claros æternâ gloriâ beavit: vos in ſiderum, plantarum, animantium, hominiſque creatione ſpectatores eſſe voluit: vos aulæ ſuæ Magnates atque intimos, ceu primæ admiſſionis amicos, regni conſortes, gloriæ participes effecit: vos encomiaſtas ſuæ majeſtatis, gloriæ præcones, theſaurorum diribitores, vindices honoris, Numinis teſtes, antitypos divinitatis habere gaudet. O felicitas! ô dignitas! ô voluptas! Regem Regum clarè perpetímque intueri, amore ardentiſſimo complecti, ſecura ſummi Boni poſſeſſione triumphare! Deo Deorum numquam non aſſiſtere, cantare laudes, honorem gloriámque æternis quærere incrementis;

Felicitas.

§. XXIX.

QUanta verò hæc eſt beatis Angelis gaudiorum ſeges, tanta mihi inde lacrymarum gemituúmque meſſis naſcitur. Angelos cerno, Regem Angelorum non video: in Seraphinis Charitatem, in Cherubinis Sapientiam, æternitatem in Thronis contemplor: conſidero in Domina-

Octavus aſcendendi gradus ad Deum.

tionibus Majestatem, in Virtutibus Potentiam, Justitiam in Potestatibus admiror. Exhibent mihi Principatus Providentiam, Archangeli denique & Angeli suavitatem & misericordiam: ineffabilem omnes Sanctitatem, Gloriam, Beatitudinémque insigniter mihi repræsentant. At ubi ipse? Frustra ergo hîc percontando exclamem: *Num, quem diligit anima mea, vidistis?* vident profectò *& revelata quidem facie.* Sed sibi, non mihi, vident. Ostendunt multum Dilecti, sed non Dilectum: monstrant illum *in speculo & in ænigmate, non facie ad faciem.* Si centies interrogavero, quid responsi feram, nisi solemne illud à Seraphinis carmen: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth?* & festivam à Cherubinis antistrophen: *Alleluia! quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens?* quibus denique pleno cæteri choro intercalare accinunt: *Benedictio, & claritas & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen. Quia Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos & non ipsi nos.*

2. Cor. 3. v. 18. — 1. Cor. 13. v. 12. — Isa. 6. v. 3. — Apoc. 19. v. 6. — Apoc. 7. v. 12. — Psal. 99. v. 3

Angeli, Dei ministri, adorant, quam non comprehendunt divinitatem.

Quid hîc ego dicam? quid infelix faciam? non placet hoc in loco quiescere; ulteriùs tamen non datur pergere. Nulla mihi quies sine Dilecto; at ubi quæram superest nihil. Placet Beatorum Regia, placet Angelicarum mentium societas; sed sine Deo, sine Dilecto quid sunt? quid valent? quid conferunt? Ordines quique suos concinnè pacificéque tenent; at digessit stationes gradúsque Deus. Sunt numerosi eorum exercitus; at unus à quo pendent, omnes pretio excedit Deus: Sunt mirifici; at multa non possunt: potest omnia Deus. Neque enim eò usque se extendit Angeli energia, ut vilissimum ex nihilo vermem producat: ut eundem ex integro destructum restituat: ut duobus simul locis præsentem statuat: ut vacuum inducat: ut elementorum situm immutet. Non est illi concessum animare corpora perfecta: non vitalem in corpore assum-

pro

pto exercere actionem: non artes aut ſcientias infundere, non occultas hominum cogitationes certò inſpicere, non libertatem arbitrii invito demere, atque alia his conſimilia patrare.

Quid porrò? permagnum occupant locum; at major eſt, qui omnibus locum ſtatuit, ipſe nullo clauditur, omnes complectitur Deus. Celeritate quoque maximè feruntur quò volunt; at ſiſtere motum poteſt, quem exire non poſſunt, quique non habet, cur aut quò moveatur, Deus. Grandia & innumera intelligunt; at non niſi inſpiciendum ſe præbeat, quem cognoſcendo non exhauriunt, quíque videt omnia, Deus. Sunt denique naturâ ſuâ corporis partiúmque expertes; at etiam generis ac differentiæ, temporis & menſuræ, loci & modi, omníſque neſcius compoſitionis, Deus.

Rectè hæc omnia. *Illi namque omnes ſunt adminiſtratorii* tantùm *Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis*: ipſe verò *Spirituum ponderator eſt & Dominus.* Eſt ergo vel maximè in Angelis Deus; ſed & millies milliéſque tantò ſupra Seraphinos altior, quantò ſupra nihilum Seraphini.

Heb. 1. v. 14.
Prov. 16. v. 2.

§. XXX.

ET miretur forſan aliquis, quòd adhuc quæram, *quem diligit anima mea*? at non æquè miraberis & tu, Dilecte. Tu, quid quæram, intelligis. Non mihi omnes ſine te ſufficiunt Angeli; tu etiam ſine Angelis unus ſolúſque ſufficis. Si te unum præſentem habeam, non deerunt Seraphinorum flammæ, non Cherubinorum lumina, non Thronorum gaudia, non Dominationum ſceptra, non Virtutum brachia, non denique Angelorum cæterorum præſidia. Tu unus inſtar es omnium, à quo omnes habent, quid quid ſunt & poſſunt.

Octava aſpiratio ad Deum.

Te ergo unum inter tot Angelos quæro Angelum, non equidem naturâ, sed excellentiâ: non ministerio, sed potestate. Tu enim, quia homo es, *Angelus es testamenti*, quem ad generis humani instaurationem ex pacto misit Pater. At, quia Deus es, omnibus es Angelis gratiæ gloriæque Auctor: cui comparati nihil sunt ipsi quoque Angeli: neque, quantus in te ipso sis, capere possunt vel penetrare.

Malach. 1. v. 3.

O quantis exulto gaudiis, Dilecte mi, quòd tam excelsa tibi sit majestas & gloria! ò quàm tota tecum triumpho, quòd omnibus te rebus eò usque superiorem intelligam, ut supra te nihil, nihil tibi æquale; infrà te infinitis omnia sint intervallis! quàm liquida voluptate medullitus perfundor, quòd Supremi quoque Spiritus te Caput, Regem, Deúmque suum agnoscant, infimísque obsequiis universo mundo testatum faciant.

Te enim sedente, *omnes Angeli*, ceu prætoriani milites modò stant *in circuitu throni*; modò proni *in facies suas* cadunt, tuámque tremendam adorant majestatem: Te jubente, Archangeli tamquam Regii præcones properè volant, mandata explicant, atque olim ad tuum tribunal *supremâ* quoque *tubâ* è tumbis mortuos evocabunt. A tua dextera gladium fascesq; venerabundi accipiunt Principatus & Potestates, teq; *ad dexteram Dei & supra omnem virtutem & dominationē, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro* elevatum suspiciunt, lætiq; gratulantur. Te imperante *Virtutes cælorum* prodigia patrant, & cùm fatalis mundo dies illucescet, etiam ipsæ *movebuntur*, pavidæq; Judicem præcedent. *Te filium dilectionis, imaginem Dei invisibilis, primogenitum omnis creaturæ, in quo condita sunt universa in cælis & in terra*, fatentur *Throni & Dominationes*, suumq; venerantur, laudant, amantq; Conditorem. *Tu sedes super Cherubim*, qui-

Apoc. 7. v. 11.

Thessal. 4. v. 15.

Ephes. 1. v. 21.

Luc. 21. v. 26.

Coloss. 1. v. 13. 15. 16.

Dan. 3. v. 55.

bus

bus triumphalem gloriæ tuæ currum, anteire, portare, trahere summa est voluptas & prærogativa dignitatis. Tibi adstant Seraphim, sed tantæ impares majestati *faciem pedésque velant*, atque illud cæleste trisagion sine cessatione accinunt.

Isa. 6. v. 2.

At quid ego? dum ardent Seraphini, frigeo? dum Cherubini splendent, lucentque, caliginosa squaleo? dum Throni toto mentis sinu te excipiunt, ego inanis remaneo? dum alii cælestes Genii tuis serviunt imperiis, alii cantandis insistunt laudibus, omnes tuam gaudent divinissimam contemplari faciem; ego languida, elinguis, mœsta tuo prohibeor aspectu? quamdiu per terras cælósque omnes anhela, anxia, afflicta te quærito, non invenio? neq; enim invenisse me puto, quem non video; quem non audio loquentem, cujus non gusto suavitatem. Lustravi, inspexi, examinavi, quoad licet, omnia; in omnibus inveni tuæ magnitudinis vestigia. Sed vestigia inflammatum tui desiderium augent, non extinguunt.

Tunc enimvero plenissimè pascetur amor, cum tuo quiescet in complexu: tu vota mea explere vales, quia solus es interminatum essentiæ pelagus, ens entium, primum, necessarium, ens ex se, in se, per se existens. Tu inscrutabilis & inexhausta excellentiæ, perfectionis, abundantiæq; abyssus: Tu sapientiæ, bonitatis, gratiæ gloriæq; incomprehensibilis thesaurus: Tu fons lucis numquam deficiens, torrens voluptatis semper abundans, veritas æterna, vita divina, sanctitas suprema. Tu pulchritudine ineffabilis, dulcedine incomparabilis, largitate, clementiâ, majestate inæstimabilis: Tu immensus magnitudine omnia sustentas, omnia imples, omnia circumdas, omnia transcendis. Tu æternus sine fine & principio, perfectus sine modo & limite, potens sine mensura & termino.

Quid est quod nescias, qui teipsum intimè & quid-

quid

quid præterea eſt, vel eſſe poteſt, penitiſſimè cognoſcis? Quid eſt quod deſideres, qui tuammet amando bonitatē infinita frueris bonorum omnium poſſeſſione? Quid eſt, quod æterna dignum laude non feceris faciasq; etiamnum, qui pulcherrimam mundi machinam architectatus, cælum ſideribus & Angelis, terram hominibus, animantibus plantiſq; replêſti: quæq; omnipotenti dextera condidiſti, eadem conſervas: qui tam providè juſteq; gubernas, tam amanter & ſollicitè certum cuiq; rei finem præfigis, adminicula ſuppeditas, dirigis, adjuvas, unamquamq; ſuo modo, liberas liberè, neceſſarias & naturales neceſſariò naturalitérque agere permittis: qui malis ſupplicia, præmia bonis æterna & temporaria decernis, atque ut uno omnia complectar verbo, quæ innumeris ſæculis non ſatis dicat æternitas, qui es unus & trinus: ſolus ſummus, optimus: ſolus æternus, maximuſq; Deus.

Tantum ergo támque admirabilem Deum quæro, dum te quæro, Dilecte: Numquid jure meritiſſimo cælos terráſque circumeo? quomodo niſi te invento quietem capere queo? Tranſivi certè omnia, quæ Deus non ſunt. An etiam Deum in Deo quæram? in Patre Filium, ſanctum in utroque Spiritum? At non mihi fas eſt illud divinitatis ſacrarium penetrare. Niſi te alicubi foris oſtenderis, nemo te, niſi Deus Deum contemplabitur.

O quando mei te tanget miſeratio? quando meis ſatur cruciatibus occurres quæritanti? quando eriges proſtratam? ſolaberis afflictam? tuo beabis aſpectu infelicem? Miſerere obſecro, tuæ, quam adeò amanter vocabas, ſi non amicæ, dilectæ, formoſæ, ſororis & Sponſæ; ſaltem ſimplicis columbæ, & infimæ omnium ancillæ. Da quæſo, ut, quoniam ampliùs non eſt, ubi quæram; ſit ſaltem ubi te inveniam: qui ubique inveniri, ſi vis potes; ſi nolis, nuſpiam inveniendus. Merui pœnam, ſed lui noxam. Amare, &

amati

amati præsentiâ vel momento carere, longum nimis est, & acerbius morte supplicium. Non nescis, Dilecte, quis dixerit: *Quærite & invenietis*: inveniam, si occurras; si moram trahis, morior.

Matth. 7. v. 7.

At ecce! rursum spectabiles illi se mihi offerunt gemelli: sereniores quoque frontes explicant: miro animi sensu, dum vel aspicio, ad quærendam amati Numinis faciem invitant. Alloquor denuo, neque responsum à suavissimo alterutrius ore despero. Beabit me vel unum de Dilecto, quod faciant, verbulum. Quidquid dixerint, pro oraculo erit. *Num, quem diligit anima mea vidistis?*

Christus, Amor.

DEscendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium. &c. Si floruisset vinea, & germinâssent malà punica. *Cant. 6: v: 10:*

EXEGESIS.

§. XXXI.

QUid ais? Soror. Tuósne omnibus perspectos esse amores autumas? Castos piósque illos esse, facilè mihi persuadet verecundæ frontis modestia. Cur verò non exprimis ore, quem corde diligis? tam jucunda certè sunt sua amantibus nomina, quàm nota. An reverentia dolórve prohibet? an fortè hæc te præ cæteris delectat nomenclatio, quia amorem sapit? an consultò ænigmata lóqueris, & nos arbitraris Oedipos? Bene habet, uterq; nostrum divinus est. Vis vatem experiri? Pandam ergo, quæ tu tegis; ut intelligas, me tui arcana pectoris introspicere. JESUM diligis, quæris, suspiras; per mare pérq; terras & ipsos denique cælos investigatum. Numnam probè divinavi? At hoc mihi perfacile fuit.

Adest Deus & loquitur, etiam cùm non agnoscitur.

Act. 4. v. 32.

In horto quærendus.

Gen. 2. v. 8.

IESUM & ego diligo, & diligendo tam tibi quàm aliis nihil concedo, cunctis palmam præripio. Crede nobis *cor unum & animam esse unam.* Itaque evangelia mihi debes: dicam ubi quæras. In horto: Non fallo. Nam & ego ipse *descendi* cum illo *in hortum*: non illum regiæ aulæ *paradisum voluptatis*; sed suburbanæ villæ *hortum nucum*, in quo convalles, torrentes, montes, colles: pomarium quoque vinea, viridarium, arbusta, silvulæ, sed maximè nucum sæpe ingrata, plerumq; noxia multitudo. Vis ut planiùs rem edisseram?

Sed horto nucum.

In Palæstinam descendimus, in Synagogam vénimus, *hortum* Judaico plantatum populo, Patriarcharum sudore consitum, Prophetarum sanguine rigatum, Regum sacrorúmq; hominum studio excolendum, prodigiosis cæli favoribus, undequaque instructissimum. Causa descendendi fuit animarum salus, Dei gloria, Religionis incrementum; ut illo, horti nimirum Domino, fructus tantis impendiis non impares exigente, ego quoque sodalis intimus *viderem poma convallium, genimina torrentis*: quantum scilicet fides, spes, charitas, suiq; demissio in plebe fructum redderet: *si floruisset vinea*, uberémq; vindemiam justitiæ, clementiæ, fortitudinisq; racemi inter Magistratus & Principes sponderent: *si* denique *germinâssent mala punica*, nempe quæ & quanta pietatis, Zeli divini, sanctimoniæque décora, ex Sacerdotum & Pontificum mitris sperari possent, poma sidereis digna apothecis.

§. XXXII.

In vita & passione Servatoris

ET sanè *in hortum* descendimus, sed *nucum*: quæ scilicet arbores non frustra â nocendo nomen traxere: quarum odor gravis, & vel umbra damno est: fructus pertinaci cortice, duro putamine, amarâ pelliculâ reconditus, ex

ramo

ramo sine fustibus non decutitur, absque labore & inquinatis manibus non eruitur. Invénit hoc in loco Dilectus tuus pro *nucibus* duriora petris capita, amariores felle linguas, inquinata fædissimis peccatis corda. Réperit pro *pomis convallium* mores vulgi corruptissimos: perjuria, fraudes, gelidos turbidosq; animorum fluctus: & pro *genimine torrentis* lapides & nodosos suo tergori fustes.

Nec melior fuit *vineæ* proventus. *Expectavit, ut faceret uuas, & fecit labruscas.* Vidit & indoluit, inter proceres ubique pampinos superbiæ, invidiæ Dracones, luxuriæ propagines in silvas excrescere: flagellis quoque, vinculis, sarmentis avaritiæ, crudelitatis & ignaviæ omnia plena: botros verò virtutum & religionis tam paucos *in medio terræ; quomodo si pauca olivæ quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi, cùm fuerit finita vindemia.* Quid hîc tulerit feceritque Dilectus, compendio dicam: *Agricolæ videntes* cælestis patrisfamilias *filium, dixerunt intra se: hic est heres: venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam & occiderunt.*

Isa. 5. v. 4.

Isa. 24. v. 13.

Matth. 21. v. 38.

In lacrymis & suspiria prorumpis, dum hæc audis. Placet. Iam video quòd ames; at quid faceres, si spectatrix fores? *Itaque in horto nucum*, ut Dilectum quæras, hortator tibi sum & autor.

Quæsiveras hucusque in rebus creatis: non reprehendo, laudo. At hoc docet natura, ratio, Philosophia. Gradus hi sunt, ut à terra sensim insurgas; at non hîc figendus est pes. Restat, ut ex naturæ propylæo ad gratiæ sacrarium transeas, per quod ad thronum gloriæ, si Deo visum fuerit, emergas. Ab horto nucum Synagogæ, gradum flectere, si lubet, pores, ad *hortum* Ecclesiæ *irriguum*, atque inde ad *hortum* animæ *conclusum*. Hæc est inveniendi, quem quæris, Dilecti via; si tamen Dilectum, & non potiùs te ipsam quæris.

& tandem in horto amœniore

Isa. 58. v. 11.

Cant. 4. v. 12.

Non quærit Dilectũ sed seipsum, qui in rebus etiã sacris suam tantùm quærit consolationem.

Quæ enim potior tibi cura fuit? Dilecti, an tui? divinæ gloriæ; an tui Solatii? Jucundum fuit de Deo alta speculari; at quàm acceptum, pro Deo humilia pati? dulce erat propriæ vacare saluti; sed quàm familiare, quærere alienam? cælestibus pasci deliciis gaudebas; at illis ablactari quàm moderatè tulisti? suam gratulari Dilecto potentiam & majestatem studebas; sed vitam, labores, crucem, mortémque animo volvere, ne dicam imitari, quàm sedulò curâsti? Annon ergo amor Dilecti plurimum habebat amoris proprii admixtum? Puriùs ille te adamavit. Descendit *in hortum nucum*: non ut se suáque commoda captaret; sed te tuámque salutem quæreret: sudare, egere, despici, pati, mori in votis habuit.

Non solùm admirandus est, ut Creator: sed imitandus, ut Redemptor.

Tu ergo, si amas, fac sincerè solidéque, ut ames. Vitam, mortémque Dilecti inspice, meditare, séquere: *in hortum nucum* descende, sacra Palæstinæ loca mente frequens perambula: Nazarethi Bethlemíque oppida, regiam Solymorum urbem, Oliveti Calvariæque montes sedulò perlustra; Sic enimverò propiùs semper ad Dilectum accedes: quémque mirificum orbis Conditorem in rebus creatis admirata es, deinceps sanctissimum hominis Reparatorem in clarissimis vitæ exemplis perquires: non jam otiosa spectatrix ad voluptatem, sed assidua imitatrix ad omnem virtutis exercitationem. Certa deprehendes ubiq; vestigia, & sanè spectatu digna; quia divinis impressa pedibus: plura etiam sanguine purpurata, quæ si constanter legeris, â via non aberrabis.

Videbis forsitan, quem quæritas; at non agnosces: interrogabis filias Jerusalem; at neque ipsæ aliud tibi, quàm olim dicent: *Vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum &c. Et quasi absconditus vultus eius, & despectus, unde nec reputavimus eum.* Neque enim solùm pastoris, medici, magistri partes egit: sed & miserabilem peccatoris

Isa. 53. v. 2. & 3.

ac rei personam velut in tragœdia sustinere tuâ causâ non erubuit. Vt ergo speciosum videas, deformatum quære: ut gloriosum invenias, sequere patientem.

NEscivi: anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab. *Cant. 6. v. 11.*

Philothea.

EXEGESIS.

§. XXXIII.

SUperi! quid hoc? ubi sunt, quos modò spectavi? quò abiit, quem loquentem jamjam audivi? quàm inopinató celeritérque se subduxit? Dum ego lacrymantes tergo oculos, ex oculis uterque momento citiùs evanuit.

Indicia præsentiæ Dei.

Ipsemet, credo, Dilectus fuit. Quid ambigo? fuit, fuit ipsissimus, Divino, ut solet, Amore comitatus. O me felicem, quòd vidi! sed simul infaustam, quòd non agnovi! suspicabar equidem non temerè, sub tam cælesti schemate divinum aliquid latitare. Quis enim alius sic vulneraret aspectu? quis adeò demulceret, flecteret, moverétque alloquio? quis illapsu tam arcano cordis intima penetraret? illustraret oculos mentis? Sanctissimis voluntatem desideriis inflammaret? miráque vi dulces cieret lacrymas? sed, eheu! cùm tot indubitatis ille se indiciis proderet, ego imprudens, quæ mei est hebetudo animi, non agnovi, quis esset, *nescivi.*

Sic ferè accidisse crediderim Dilectæ Christi Magdalenæ, quando Dominum suum pro hortulano habuit: sic duobus Discipulis Emauntem petentibus, quando in suo magistro peregrinum hominem loqui censuerunt. At illis ignoscendum fuit, non mihi. Sciebant illi certò mortuum; resurrexisse adhuc trepidi subdubitabant. Ego vivum, glo-

riosum, regnantem scio; & tamen, cùm se mihi coràm sisteret, velut ignotum alloquebar, & de Dilecto solicitè compellabam.

Animæ turbatio à sensibus orta; ex perturbatione error multiplex.

Nimirum *anima mea*, adhuc rudis & addicta sensibus, *conturbavit me*, fecitque, ut, quidquid in Dilecto humile apparet, crederem tantâ indignum majestate, & grandia, alta, illustria tantùm in illo suspicerem. Mundi vanitas, sensuúmque blanditiæ nebulam menti offuderunt, ne sub obscuro tegmine, velut sub nube solem spectarem: existimatio propria, falsa virium præsumptio, & quæ sunt his affinia, turbaverunt animi quietem, ne veluti commotâ ventis aquâ me meósque fines, desideria conatúsque clarè cognoscerem: atque ita gloriosum potiùs Dilectum, quàm patientem quærere: emergere magis, quàm descendere: jucunda versare animo mallem, quàm tristia sectari.

Hinc ille prolixus error, ut tam longo arduóque itinere frustra quærerem; quia præposterè Dilectum quærebam.

Ps. 130. v. 1. Ps. 18. v. 2.

Nescivi, faciliùs illum occurrere quærenti animæ, quæ suis diffisa viribus humili incedit via, quàm quæ *ambulat in magnis & mirabilibus super se*. *Nescivi*, quàm est utile ad cognoscendum Deum, naturas rerum, tamquam *opera manuum eius* inspicere; tam esse necessarium ad amandum Deum, vitam moresque Salvatoris intimè perspectos habere. *Nescivi*, placere quidem Dilecto magnitudinis suæ laudatores; sed maiore in pretio apud illum esse demissionis, patientiæ, charitatisque imitatores. *Nescivi* planè, quòd dum Dilectum à me quæri arbitrabar, ego inepta potiùs me ipsam quæsierim, & callido amoris proprii dolo seducta divinis altiùs rimandis operam dederim: non tam Dilecti amore, quàm exquisito illius, quâ pascebar, dulcedinis sapore.

Ignoratio

Quid ergo mirum, si *nescivi* Dilectum esse, qui loquitur:

tur? quæ me ipsam ignoravi, etsi nulla est, quàm suiipsius facilior cognitio, nulla ignoratio perniciosior. *Nescivi* sanè tot me pravis etiamnum habitibus implicitam, tot rerum terrenarum amoribus ligatam, tam densis involutam tenebris, tam frequentibus errorum maculis aspersam, tam facilem ad lapsum, tam imbecillem ad ardua, tam instabilem in bene cæptis: O quàm multa ignorat, qui seipsum nescit! quàm parùm juvat totius mundi cognitio, si proprii cordis absit notitia & inspectio!

Dei, ex ignoratione sui.

Adhæc, videbam multas Deo dicatas animas, ut olim *Aminadab*, qui primus rubri maris undas quadrigis suis generosè ingressus est, magna quæque pro Dilecti gloria involare: spectabam alias per circum perfectioris vitæ magno impetu velociter feliciterque ferri, & celerrimas alterius Aminadab, Solymæi Principis, aurigatoris optimi quadrigas imitari: Agatham, Agnetem, Barbaram aliásque sexcentas Christi heroides animo volvebam, ideóque *propter* ejusmodi *quadrigas* veri *Aminadab*, Dilecti mei, audentior facta, non expensis virium mearum meritorúmque facultatibus, præmatura celeritate æquare cursu volui, quas mirari oportebat, & moderatè sequi prævolantes: donec crescentibus Dei munere pennis altiùs volare docta ad pares conatus evocarer.

Præfervida desideria sæpe noxia.

At enim; resipisco tandem, & sacras Evangeliorum *quadrigas*, quibus *Aminadab* meus per universum orbem celerrimè vectus rerum gestarum claritate nominísque famâ terras omnes implevit, ejusdem consilio & hortatu quantociùs conscendo, Palæstinam peto, vestigia Dilecti lego, vitam à quatuor Christi chronographis descriptam, morésque inspicio; quidquid illum patrâsse, vel perpessum esse videro, pro viribus imitatura.

Altam contemplationem humilis meditatio præcedat.

Quaram, non ut antè, animam meam; sed *quem diligit anima mea*: non libertatem propriam, sed Dei voluntatem

tem: non rara de divinis lumina, ſed majorem divinitatis gloriam: non cæleſtes delicias, ſed cæli Dominum. *Quæram* in paupertatis incommodis, in laborum ſuſpiriis, in vigiliarum anguſtiis: *Quæram* in aridæ mentis deſerto, in deſolati cordis exilio, in ſpiritûs contriti & afflicti gurguſtio. *Quæram* inter injuriarum aculeos, ludibriorum nimbos, dolorum ſpinas: inter maledicentiæ flagella, morborum vincula, inſectationum malleos: *Quæram* per fellis rivos, per aceti torrentes, per flumina cruoris. Magnum erit mihi operæ pretium, inveniſſe Dilectum; Dilecto gaudium, ſic quæſiiſſe.

Philothea. REvertere Dilecte mi. *Cant. 2. v. 12.*

EXEGESIS.

§. XXXIV.

Supplicatio animæ Deum quærentis.

REvertor ergo ad te; tu quoque ad me *revertere, Dilecte mi.* Memini, quid olim fueris pollicitus: *Revertimini ad me, & revertar ad vos.* (*Malach. 3. v. 7.*) Vt ad te redeam, felix me cogit miſeram neceſſitas; ut ad me tu redeas, innata urgeat clementem charitas: illud officii ratio â me poſtulat; hoc miſericordiæ & bonitatis immenſitas â te flagitat. Veniſti, ut vocares, *revertere* ut adjuves: adiiſti, ut excitares; *revertere*, ut confirmes: ſponte acceſſiſti ad languentem; *revertere* vocatus ad ferventem: quæſiviſti prior tui ferè oblitam; *revertere* & conforta tui ſemper memorem, tibi dicatam, tuáque veſtigia quærentem. Prima fuit gratia prævenire; ſecunda erit comitari.

Revertere, quæſo. Non diu ſtabis ad oſtium: non fruſtra pulſabis, non incaſſum vocabis, non gratis oſtendes *caput plenum rore & cincinnos guttis noctium.* Admittéris illico,

co, ad intima cordis, ad animæ penetralia: non offendes dormientem, non pandiculantem, non inertem animam; sed experrectam, suspirantem tuíque desiderio tabescentem. *Revertere* obsecro; ita te per laboriosos pedum tuorum gressus, per pretiosos sacræ frontis sudores, per madidos adorandi capitis cincinnos, per castissimas Divini pectoris flammas, per charas tibíque devotas animas, per augustissimam divinámque tuam Parentem, per sacratissimam denique & adorandam tuam divinitatem oro & obtestor: ita precor, quia sic decet: sed aliud non addo; quia superfluum foret. Tu tempus præfiges, tu locum deliges, tu modum statues. Mihi sat erit, Dilecto sic placuisse.

Resignatio in desolatione.

Ut autem tibi citiùs reverti placeat, ferventiùs ego quærere non desistam, semper suspirabo, ubique exclamabo: *Dilecte mi*, *Dilecte mi*: quid enim dicam jucundius? Quid mente volvam sanctius? quo cantu molestias leniam faciliùs? Quo pericula résque adversas præsidio vincam potentiùs? quàm cantando, ingeminando: *Revertere, Dilecte mi*: spes mea, gaudium meum, voluptas mea, *Dilecte mi*: thesaurus meus, hereditas mea, corona mea, *Dilecte mi*: fortitudo mea, lumen meum, vita mea, *Dilecte mi*: Salus mea, beatitudo mea, Deus meus, *Dilecte mi*.

SI dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. *Cant. 8. v. 7.*

Misericordia.

ad Philotheam abeuntem.

EXEGESIS.

§. XXXV.

SIc perge, Philothea, & proprior Dilecto, quàm putes, eris: cui nemo vicinior, quàm qui agendo & patiendo est

Vera Dilectio, non

ex sensibili devotione sed agendo & patiendo æstimatur.

est similior. Hæc secura est illius imitandi ratio; videre quà iverit, sequi ut assequare: quærere vestigia,& inventa tenere; illud docet frequens vitæ mortisque meditatio; istud fortis & constans imitatio. Hic circus & stadium amantis animæ, hic cardo perfectionis & salutis; hic lapis est lydius veræ *dilectionis*.

O quàm splendidè, quámque multi sæpenumero se ipsos fallunt, qui tunc se magnâ præditos dilectione censent, cùm tenero devotionis sensu deliniuntur, cùm præter morem inter preces incalescunt, cùm suspirant, lacrymulas fundunt, grandia proponunt, dulcia cum DEO miscere colloquia gaudent: qui affulgente cæli serenitate quieti, sine contemptu humiles, sine periculo fortes,sine dolore & adversis patientes, in abundantia liberales, in jucundis obedientes, Dilectum cominus sectari sibi persuadent. At quando evanescit dulcedo, quando expirat ardor, cessántque lacrymæ; mox eorum simul frigescit charitas: languescit virtutis studium, vires concidunt, animus contrahitur & hebescit. Cùm insurgunt horrida ventorum prælia,mox & ipsi turbantur: tempestati cedunt; ad injurias queruli, ad pericula pavidi, inter adversa abjecti, pauperiem aversantur, mandata eludunt, doloribus succumbunt.

Parva sunt omnia dilectioni comparata.

Næ delicata nimis hæc est charitas! Nescit pretium *Dilectionis* quisquis tam vili sumptu eam mercari cogitat, emptor imperitus. Si *dederit* omne, quod arcas strangulat, argentum & aurum: si impenderit omnes, quos in thesauris habet, annulos, torques, pocula, gemmas, margaritas: si adjecerit cunctas, quas possidet, domos, arces, oppida, provincias & regna; adeóque *omnem substantiam domûs suæ pro dilectione*, ut nempe comparet sibi, quam non habet; aut quam habet, ut servet, augeat, stabiliátque genuinam Numinis charitatem: modicum omnino dedit, imò nihil se erogâsse certò sibi persuadeat.

Nam

Namque si æqua lance dati acceptíque pretium rectè expenderit, illam rerum caducarum opulentiam non jam putabit *substantiam*, quâ securè niti queat, sed *quasi nihil despiciet eam*: ex nihilo scilicet factam in nihilum redituram, atque idcirco sapienter nihili faciendam: Parum dixi. Ea est divinæ charitatis excellentia, ut quisquis supra vulgus sapit, & terrena cælestibus comparare novit, solam summo habeat in pretio *dilectionem*; cætera omnia in nullo. Auferat illi repentina clades post opum jacturam etiam amicos, parentes, liberos; *despiciet*; tollat insuper famam, dignitatem, favorem & gratiam; *despiciet*: adimat tandem sanitatem, vires, sanguinem vitámque per atrocissimos cruciatus expressam; *quasi nihil despiciet eam*: solâ dives, felix & gloriosus charitate, non existimabit se jacturam fecisse, sed lucrum, dicétque cum Gentium Apostolo: *omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Aliam nempe & *meliorem manentémque* habet, quam nemo auferat, *substantiam*, Dilectionem & Dilectum: diligit & diligitur. O felix reciprocatio amoris! ô dulcis & secura pollicitatio! *Ego diligentes me diligo*, quâ suam Dilectus obstringit fidem, vicem rependit, & ne gratis ametur, amorem amore compensare spondet. Neque tamen sic par pari reddere censendus est; quia pro finito dat infinitum, pro pulvere cælum, pro humano affectu divinum, pro nihilo Deum. O admiranda amantis animæ *substantia*! quia immensa & æterna, *Dilectio* & Dilectus; *Deus enim charitas est*: quem qui diligit, *divinæ consors naturæ* per dilectionem in Deum transit, Deum possidet, in Deo omnia. An non bene stabit, cui talis est *substantia*.

Substantia mundi, nulla.

Philip. 3. *v.* 9.

Hebr. 10. *v.* 34.

Dilectio, vera est substantia.

Proverb. 8. *v.* 17.

Ioan. 4. *v.* 16.

2. *Pet.* 1. *v.* 4.

§. XXXVI.

Origo & pretium divinæ charitatis.

OMnem ergo *ſubſtantiam* longè ſuperat Dei hominúmque caſta *dilectio* : cujus fons & origo, ſcopus & centrum, ſedes & quies DEUS eſt. Mutuus namque Dei Patris, Filiíque Divini Amor, eſt Deus. Hic utriuſque Spiritus utrumque divino quodam benevolentiæ nexu complectitur & ſtringit: hic increatus Amor, fons eſt creati amoris: ex hoc fluit cæleſtis illa charitas, quæ animam Deo intimè conjungit, facítque ſponſam : ex hoc immenſo igne ſuas mutuat flammas, quiſquis Deum diligit, dicítque cum Paulo exultans : *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.*

Rom. 5. *v.* 5

Quid verò jucundius charitate? quæ cæli civem, æternæ heredem gloriæ, adoptivam Dei filiam, Filii Sponſam, auguſtiſſimum Spiritûs ſancti templum creat: quæ denique virtutum omnium Regina, *legis plenitudo*, animæ anima, *honorabilis Sapientia*, ſalutis arrha, *perfectionis vinculum*, ſanctitatis corona, *multitudinem peccatorum operit*, *divinæ facit naturæ participem*, *unúmque cum Deo Spiritum* : quæ in terris cœpta, conſummata in cælis æternùm durat, Deum videt, quem videt amat: amando fruitur, & beatur.

Rom. 13. *v.* 10. *Eccl.* 1. *v.* 14 *Col.* 3. *v.* 14 *Iacob.* 5. *v.* 20. 2. *Pet.* 1. *v.* 4. 1. *Cor.* 6. *v* 17.

Et ſunt tam pauci, qui purè Deum diligunt.

Et ſit adhuc, ò mortales, tam ferus ac ferreus aliquis, qui Deum non amet? qui non vel ad ſolum Dei nomen incaleſcat? Numquid natura ad amandum Conditorem inclinat, ratio perſuadet, urgent beneficia, docent exempla, trahit jucunditas, inſtat neceſſitas; hortatur, invitat, imperat Deus? & adhuc mortalium quiſpiam in amore ſummi boni frigeat? etſi glaciem & chalybem in corde ferat, non tandem liqueſcat? Ergóne modicam creati boni guttulam amat & deperit; immenſum verò æternæ bonitatis mare non quærat & ambiat? Nimirum quod oculis non uſurpat, ægrè in animum admittit, quod comprehendere nequit,

quit, non capit. Amari se sentit, sed amare nescit: quò se diligit magis, minùs diligit; quia dum sui amore flagrat, Dei in se amorem retundit: dum fugacis boni inopiam timet, summi possessione boni infelix excidit.

DIlecte mi! Dilecte mi! *Cant. 7. v. 11. & 13.*

Philothea, *Eminus iteratò exclamans.*

EXEGESIS.

§. XXXVII.

INCARNATIO.

AUdin' vociferantem, Dilecte mi? En, ut clamoribus te insequor, quem assequi gressibus non valeo! profectò sat altùm clamat, qui profundè suspirat. Vbi verò locorum te quæram? qui tot meâ causâ peragrare loca non dubitâsti, etiam Virginis ingressus uterum? Rectè habet: non aberrabo; si à Matris utero ad dexteram Patris te prosecuta fuero, Dominum ancilla. Sed quid? ergóne JESU, amor mi, verus de DEO vero DEUS, homo factus es? & quidem, ut homo fieret participatione DEUS? O miraculum demissionis, Deus homo! O prodigium charitatis, homo Deus! O quàm meritò meus est *Dilectus*, qui me sic dilexit! obstupescite cæli rem novam in terra. En! *Verbum*, caro: caro, fœnum. Admiramini Cælites rem grandem in puncto. En! Deus, homo: homo, *pulvis*: Ecce! Sapientiam, infantem: immensitatem, pusillam: æternitatem, tempori subjectam: omnipotentiam, infirmam: claritatis fontem, obscuratum: Majestatem Numinis infra Angelos depressam!

Suspiria animæ vitam Christi & passionem meditantis.

Jo. 1. v. 14.
Isa. 40. v. 6
Gen. 3. v. 19

Sic ergo te demittebas? Dilecte mi, fratercule dulcissime, & ego me extollam? an non potiùs in infimam mei nihili abyssum me demergam? sic tu magnitudinem tuam contrahebas; ego ut grandis, quæ non sum, saltem esse videar,

Dilectus, Frater.

dear, inflata me dilatem? Tu, ut frater meus esses, quid amplius facere poteras? ego, ut juxta sim Soror, quid hucusque præstiti? tu mihi similis naturâ fieri tantopere contendebas: ego tibi gratiâ & virtute similis esse quantùm adlaboravi? O me ignavam! O ingratam & infelicem!

B. Virgo, mundi miraculum.

O fausta tamen hora, quæ talem mihi dedit fratrem! felix tam sacro fetu uterus! beata tam mirabili prole parens, Filia sui Nati futura, Mater Patris & Soror: Virgo fecunda, mulier Deipara, & quod inde sequi necesse est; Sapientiæ sedes, omnipotentiæ regia, Justitiæ Præses, Misericordiæ abyssus, thesauraria gratiæ, auctarium gloriæ, salutis anchora, vitæ porta; cæli Imperatrix, mundi Domina, utriusque miraculum: unica infra Deum, supra omnes. O pretiosa Numini Virginitas, mortalibus tam vili æstimata! Angusto Deum excepisti utero, sed præ cælis charo; quia puro: obscuro quidem carcere tenuisti captivum amoris, sed præ gemmata Cræsi regia jucundo; quia integro & intacto. Certè post divinam paterni pectoris sedem, non erat thronus Virgineo Matris sinu excellentior. Et illa tamen, cùm sit utriusque orbis Domina, pro *ancilla* se gerit: an ego digna sim hujus esse dicique ancillula ancillæ? Tu quoque, Dilecte mi, *formam servi* meâ causa accepisti; an ego tibi, tuíque amore ulli servire dedignabor? stat vivere moríque tuam *ancillam, ut Soror* & *Dilecta* resurgam.

Phil. 2. v. 7.

§. XXXVIII.

ITER IN MONTANA.

Dilectus, hinnulus cervorum. *Cant. 2. v. 17.* *Luc. 1. v. 39.*

SEd quis te, Dilecte mi, hinnule gratissime, tam citò peregrè abduxit impetus? an mater? an verò tu matrem? Charitas, puto, & te & illam abripuit: ut nempe *similis* esses, O Jesu mi, *capreæ hinnulóque cervorum super montes Bether.* Vix in terram de sede Majestatis descenderas, & mox *abiisti in montana cum festinatione*: nondum hanc lucem aspexeras, & jam vidisti alieno clausum utero infantem, cognatum,

& jam

tuæ opis egentem. Sic ſcilicet ſaltu curſúque valent, ſic acutùm vident hinnuli. Nondum fari per ætatem poteras, & jam præconem tibi delegiſti: nec dum formare greſſum noveras, & jam tuum excitâſti prodromum, *gigas* gigantem, qui mox *exultavit in utero ad currendam viam ſuam.* Odiſti namque moras ad obſequia charitatis; moleſta tibi fuit quies ſine animarum auxilio: nullum non tempus amplificandæ Dei gloriæ rebaris opportunum. Ne ergo *quaſi menſibus tribus* otioſus ageres, Joannem gratiâ & *gaudio*, Eliſabetham *ſpiritu ſancto*, Zachariam ſolatio, Matrem præſtantiſſimæ charitatis gloriâ replere geſtiebas.

Pſ. 18. v. 6.

Luc. 1. v. 56

v. 44.

v. 41.

O quando ad me inviſes? Dilecte mi: quando venies *ſaliens in montibus, tranſiliens colles*? vel te eburneum materni ſinûs ferculum ad me deferet? dicerem ſanè cum grandæva Prophetide: *Vnde hoc mihi, ut veniat Dominus* meus *ad me?* & cum divina pſaltria cantarem: *Magnificat anima mea Dominum &c. quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Cor mihi præ gaudio exiliret, emicaret ſpiritus, mens provolaret. Si cognatam quæris animam; non neſcis & me tibi per gratiam & Euchariſtiam eſſe conſanguineam: ſi ſanctitatis indigam inviſis; non me reperies ullam egentiorem: ſi denique infans infantem diligis; non ſum infante major vitæ melioris robore & ætate. Quàm enim curta mihi charitas? quanta in adverſis imbecillitas? in divinis ruditas? ad lapſum propenſio? ad ardua torpor? quantus crepundiarum amor? neglectus temporis? incuria profectûs? oblivio beneficiorum? Veni ergo, Dilecte mi, & ex infante facies gigantem.

Cant. 2. v. 8.

Luc. 1. v. 43.

v. 46. & 49

§. XXXIX.

NATIVITAS.

HEm! Dilecte mi, agnelle candidiſſime. Cur appetente naſcendi tempore rurſum per tot incommoda peregrè profectus es? an inter maternæ domûs parietes nimis bellè

Dilectus, Agnus.

bellè tibi fuisse ratus, quærere voluisti, ubi tibi ægrè esset? Quò etenim migrâsti? heu me! in malè sartum maléque tectum Bethlemi tugurium. Ergóne *passer* inveniat *sibi domum & turtur nidum sibi*: tibi verò cæli terræque Domino *non* fuerit *locus in diversorio*? At facere potuisses, ut esset etiam in Herodis palatio. Nimirum, memineras te Dei quidem filium, sed *& agnum Dei, qui tollit peccata mundi*, teesse; idcóque censebas agno stabulum convenire, non regiam: pati proprium esse, solemne despici. Esto tamen, velis esse, & haberi *agnus*, Dilecte mi: es certè *agnus Dei*, vel, quod idem est, Deus homo factus, velut agnus pro homine immolandus, atque ita non aulâ tantùm regiâ, verùm & cælo dignus. Ah! intelligo. Etiam meus esse *agnus* volebas: ut mihi datus, mihi natus tuo me vellere vestires, sanguine lavares, pasceres carne, morte vivificares. O agnelle mitissime! Et ego non te amem? Adeò curæ tibi fuit mea salus, ut tuis divitiis meam tolleres egestatem? ò charissime agnelle! Et ego non deseram omnia, ut te solum quæram? Tam chara tibi fuit paupertas voluntaria, ut, quam super astra Deus amplecti non poteras, in terris homo quæsieris, & inventam arctissimè strinxeris? ò pauperrime agnelle! & ego inopiam formidem? terrenis commodis adhærescam? opibus perituris incubem? quas æterna sapientia contempsit, abjecit, proculcavit; ego in pretio habeam? avertat hanc à me Deus insanæ mentis impietatem.

Ps. 83. v. 4.

Luc. 2. v. 7

Io. 1. v. 29.

Quid verò vos ad hæc? ô Angelicæ cohortes? Cernitis Regem vestrum in terris nudum & pusillum? & tamen: *Gloria in altissimis Deo*, concinitis? an *gloria* est jacére in obscura caula, in rudi vilique præsepio algere, in stramine & fœno somnum capere? an *gloria* est inter bruta abiici, pastoribus innotescere, panniculis involvi, in hominum oculis inopem haberi & neglectum! Non equidem sic mundi fert sensus; Cæli hæc est Philosophia. Enimverò te, te magi-

Luc. 2. v. 14.

magiſtro, Dilecte mi, *gloria* eſt, paucis contentum eſſe, multis non indigere, omnia caduca ſpernere, terrena nauſeare, captare cæleſtia, æterna ſectari. Non perdit gloriam, qui fugit: neque eget, qui nihil cupit: non obſcurat nobilitatem, qui diſſimulat.

Ecce! quem Bethlemitæ reiiciunt, Angelorum adorant turmæ: quem ignorant homines, ipſæ cognoſcunt pecudes: quem pungit fænum, cælum demulcet. O quàm ex animo hanc tibi veræ gloriæ pompam gratulor! gaudeo, quòd undique te fulgor divinæ lucis veſtit: an non pretioſum pallium? quòd te virgineum lac ſacris de cælo uberibus infuſum paſcit; an non dulce nectar & ambroſia? quòd te ſtella natum mundi Dominum ſplendore curſûque promulgat; an non præclara nuncia? quòd apertis Sabæ theſauris ad tuos pedes proſtrati Reges infantem oculis uſurpant, Deum mente agnoſcunt, regiiſque muneribus venerantur; an non grande & honorificum obſequium? O honorata & locuples paupertas, quam non neceſſitas imponit; ſed contemptrix opum generoſa quærit voluntas! Ite procul divitiæ, procul ite opum commoda & ſpes fallaces. Tu, Dilecte, meus es theſaurus: tecum egere, opulentia mea; gloria mea eſt, tecum contemni. Et quia tantus eſt tibi paupertatis amor, ad me diverte. En! cor meum pro præſepio, pro pannis brachia, pectus pro diverſorio. O quàm læta, te intra præcordia ſuſcepto, cantarem Angelorum æmula? O quoties ingeminarem! vetus Canticum novo clauſum epiphonemate: *Gloria Deo, pax hominibus*; mihi pro gloria & pace Deus!

§. XL.

CIRCVMCISIO.

Quid hoc? Dilecte mi, ſol candidiſſime, jam purpuraſcis? quàm vereor, ne rubicunda naſcentis vitæ aurora

Dilectus, Sol.

rora illætabilem ferat veſperam occidentis! Et unde hæc tibi purpura? ah dolor! â Vulnere, cultro, circumciſione! quid tibi cum hoc infami vulnere? an te Pater non agnoſceret, haberétque pro ſuo, niſi circumciſum? an tuam deleret animam *de populo ſuo*, niſi corpus hoc ſtigmate eſſet notatum? Abſit. Non poteſt ignorare, quem ab æterno in mente geſſit. Lex fortè urgebat? at non eſt legislator Deus ſubjectus legi. Vbi non eſt culpæ originalis carcinoma, fruſtra eſt ſevera medentis manus & inciſio. Et tamen hoc vulnus accepiſti! ſanguinem tenellus infantulus fudiſti, non ſine dolore & tuæ ſanctitatis eclypſi! Tanti mea tibi fuit ſalus, tanta mandati reverentia! Sic ergo *Sol juſtitiæ* obſcurari debuit, ut impleret *omnem juſtitiam*? ſic peccatoris ſubire umbram, ne umbra violatæ legis haberet locum? Sic tibi placuit, mi innocentiſſime JESU, ſervare latam, quantumvis duram à Patre legem. Et mortales tam temerè facillimas quaſque tranſgredi non verentur!

Gen. 17. v. 14.

Malach. 4. v. 2.

Matth. 3. v. 15.

O crudelis culter! o durum ſaxum! quem feriebas? quem cruentabas? ſub nube Sol, ſub infante Deus latuit. Debuiſſes tam divino ſanguine molleſcere magis, quàm erubeſcere. Quid fauciâſti dolore, jam antè amore faucium? O dilecte mi! Verè *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* Tuum ſparſiſti cruorem, ut meum provocares: tuam dediſti Sponſæ purpuram, ut ingratæ exprimeres ruborem. O quis tunc caſtiſſimi tui fuit animi ſenſus? quis ſacri corpuſculi dolor? ô ſi quis mihi dediſſet cadentes ex oculis lacrymarum margaritas, ex vulnere rubentes ſanguinis pyropos colligere, meúmque illis ornare collum! ô quàm ſplendidè torquata eſſem!

Exod. 4. v. 25.

Nomen JESU.

At enim emergis tandem ex cruenta nube, ô Sol pulcherrime, totóque cælo radios diffundis. Quem culter, vulnus, ſanguis teſtabantur hominem; nomen, Angelus, cælum appellant Deum, Salvatorem, JESUM. Salve ergo au-

augustissimum JESU nomen, divini solis atmosphæra, splendor gloriæ, spes vitæ, salus mundi! qui te non videt, talpa est: qui non amat, saxum: qui non adorat, insanit: qui contemnit, periit! Salve cœli ornamentum, terræ gaudium, terror inferorum, fax animæ, delicium mentis, linguæ promulsis, aurium melos, oculorum theatrum, brachii cordisq; sigillum! Salve turris fortissima, vexillum inexpugnabile, speculum divinum, gemma incomparabilis, cæleste gazophylacium: Nomen grande, quinis omnia litteris complexum; Verbi breviati compendium! utinam profundissimè cordi meo impressum! Quid deesse possit, si JEsus in corde fuerit? Quis autem faciet, ut sit? An supplicabo Amori? Omnino; solus enim potest, & si volet, Amor Chalcographus sculpet, imprimet Dilectus.

§. XLI.
OBLATIO IN TEMPLO.

QVid ergo hæres anima? ipsum Dilectum pete, & habebis Verbum cum nomine. Vt divinum faciliùs expugnes precibus Amorem, etiam virgineæ Matri supplica, quæ in manibus gessit, ut donaret: sistendum Patri ad templum detulit, ut pro te tibique offerret: scilicet columba turturem. O gratissimum Patri sacrificium, omnibus hecatombis anteferendum! O donum nobilissimum, quo terra nihil habet pretiosius, astra nihil exoptare possunt majus. Et tamen hæ Virginis primitiæ totis cæli opibus emendæ, hic turtur turture redimitur! ut nimirum paupercula quoque anima mercari queat.

Dilectus turtur.

En, Virgo! meum cor offero. Matris est privilegium gestare natum brachiis & sinu; non tamen negabis Ancillæ pectori, quem senilibus indulsisti Simeonis ulnis. Turturem peto, cujus *vox audita est in terra nostra: Surge columba mea & veni.* Adsum, ò dilecte! Audivi gemitus, quibus Patris

Cant. 2. v. 12.
Cant. 2. v. 10.

Patris adorabas Majeſtatem, confitebare Dominium, mulcebas clementiam, placabas pro me iram. Accepi ſuſpiria, quibus tuum Deo mancipabas obſequium, dicabas ſanguinem, pro toto mundo victimam te ſiſtebas olim mactandam. O turturelle puriſſime! â te gemere diſco, tecum Patri me dedico, ſub tuis me alis candidiſſimis occulto, tecum patiar, tecum gemam.

Luc. 2. v. 32. Canit quidem Simeon lætus ipſe ſibi leſſum; quia te vidit, ſtrinxit, baſiavit. Et ego cantarem ſalva, ſi *ſalutare Dei* viderem: ſecura, ſi tenerem *lumen gentium*: beata, ſi *gloriam Iſraël* amplexu ſtringerem. Nunc, gemo, neque nulla eſt mihi gemendi cauſa: Dilectus meus, & genitrix Dilecti. *v. 34.* Ille *poſitus in ruinam & in reſurrectionem multorum* &c. *in ſignum cui contradicetur.* O triſtiſſima ruina! O felix reſurrectio! O ſignum inſigne! O deteſtanda contradictio! Illa veluti dolorum meta, *cujus animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* O anima ſacratiſſima! O gladius atrox & barbarus! O corda inhumana! O cogitationes impiæ & abominabiles, non niſi tam crudeli ferro exſcindendæ!

§. XLII.

FVGA IN ÆGYPTVM.

Dilectus, damula.

NEque verò ſola ego ingemiſco: ſua Bethlemiæ matres ſuſpiria, ejulatus lacrymáſque miſcent, dum ſicarii lac maternum bimulorum infantium cruore permiſcent & chara pignora exſpirant. Inſidiæ, inſidiæ! Dilecte mi, eſto quàmprimùm *ſicut damula fugiens.* *Iſaia 13. v. 14.* Herodes ambitione furit, crudelitate ardet, per mille cædes te unum petit: decretum illi eſt te perdere, ut coronam ſervet. O veſana impietas! Tibi certum eſt, ut animas ſerves, ſceptra conſpuere, coronas contemnere, regna repudiare. O pia

cha

charitas! *Fuge* ergo *Dilecte mi,* jam armatus irruit miles in inermem innocentiam. At quò fugias? an in Ægyptum? invisum Numini tuo regnum? Vt scilicet profana illius numina debelles. Certè vix pedem in illo posuisti, & ad tuos prostrata pedes idola posuerunt fastum.

O chara damula! O miserande exul! non satis lacrymabile tibi exilium terra fuit? itáne novum in exilio necesse habebas quærere exilium? O quæ te presserunt ærumnæ! nocte intempesta malè viaticatus iter arripis, infesta latronibus ferisque loca transis, ad terram crudelem & inimicam pergis: ubi tibi neque agellus, neque focus, neque tectum, neque lectus, neque notus, neque amicus, neque templum, neque sacra, nisi impia & detestanda. Hîc menses & annos pauper & obscurus transegisti; solo Patris æterni præsidio lætus, Matris Nutriciíque solatiis contentus. Eccur istud, quòd facilè vitare poteras, exilium elegisti? nisi ut mihi aditum in patriam aperires.

Et ego, Dilecte mi, te non amem? heu me! exulem me esse obliviscor? ad patriam cælestem non anhelo? in exilio bellè haberi, opibus abundare, deliciis affluere, coli amaríq; cupio! quàm est hæc mea infelix stoliditas! sed in hoc sapiens felicitas, quòd vel nunc insipientiam meam agnosco & damno! infelicissima verò Ægyptus, quæ suam ignoravit felicitatem: certè palpandis immersa tenebris solem in suo gremio positum non vidit: Regem Regum, Deorúmque Deum, sicut indigna hospitio excepit; ita malè habitum à se ingrata dimisit.

§. XLIII.

VITA CHRISTI OCCVLTA.

Nimirum florido Nazarethi oppidulo debebatur hic cæli flosculus, terrâ Virgine natus & virgineo irrigatus lacte.

Dilectus, lilium

lacte. O verè *lilium convallium*, humili clausum loco, odoriferum, sed ignotum. Hic tu nobilissima florum gemma, vicinis flosculis, MARIÆ & Josepho, coronatum verticem submisisti: hic *subditus illis* veluti tenera Paradisi plantula sub manu hortulani crescere, flectique in omnem partem facilis juventam exigere voluisti.

convallium. Cant. 2. v. 1

Luc. 2. v. 51.

Aspicite pueri divinum hoc lilium, amabilissimum puellum! spectate juvenes modestissimum adolescentem! Quanta illi Numinis religio, divinarum rerum cura, precandi assiduitas? ad templum peregrinatur sæpius, hæret diutius, magistros audit avidiùs, interrogat modestiùs: quanta illi potus, cibique parcitas, parentum reverentia, laborum tolerantia? quanta otii fuga, ludorum odium, libertatisque contemptus? quàm ardens parendi studium, quàm brevis somnus, quàm perennis cælestium arcanorum meditatio? Cernitis quàm candida mens, quàm purum corpus? quàm modesta cæsaries? quàm vulgaris & honesta vestis. Ecce, quàm pudica frons, cæli gloria? quàm verecundi oculi, sideribus æmuli? quàm casta labia, purpuræ certantia? quàm suavis vox, quàm sancti sermones? quàm decóri gestus? quàm gravis incessus? quàm admirabilis morum ad omnem sanctitatem compositio?

Videte, ô cæli, opificem vestrum fabro subditum: fulmineam dextram runcinâ armatam: brachia, quibus orbem sustinet, dolabris assueta! Qui stupendam mundi machinam solo nutu architectatus est; hic lignis ex arte compingendis modò quadrantem, lineam, circinum, perpendiculum admovet: modò clavos, gluten, malleum, scalpellum adhibet? qui in cælis adoratur Dei Filius, in terris *fabri filius*, videri atque audire non erubescit! *qui docet hominem scientiam*; pro inscito & rudi vilipenditur: & in quo *omnes thesauri Sapientiæ sunt absconditi*; vulgò *litteras* nescire, cùm non didicerit, per contemptum creditur!

Matth. 13. v. 55. Ps. 93. v. 10 Col. 2. v. 3. Io. 7. v. 15.

Et

Et hos labores, Dilecte mi, sex lustris sustinere poteras? ô longa patientia! Hanc nominis Numinísque tui obfuscationem tot annis tolerare gaudebas? ô invicta animi demissio! ô pretiosæ sudoris guttulæ, quæ ex eburnea fronte defluebant! ô felix strophium, beata terra, quæ has imbibêre stillas! ô fortunata ligna, mallei, scalpella tam sacris manibus contrectata!

Gratulor vobis millies, iterúmque millies, ô Virgo! ô Sponse Virginis! quis vestras ex hoc Filio delicias animo comprehendat? quis novam in momenta singula ex tam divino contubernali gratiæ accessionem verbis explicet? Valete Regum palatia; hæc mihi placet domuncula. Valete splendida aularum officia; in hac deliberatum est mihi servire familiâ. Geminam hîc quæro Triadem, præ cunctis mundi bonis desiderabilem: Vnam creatam, æternam alteram, JESUS, MARIA, JOSEPH in terris mihi sunt omnia: Pater, Verbum & Spiritus in cælis sunt mihi super omnia.

§. XLIV.

BAPTISMVS, IEIVNIVM, TENTATIO.

ET vos, ô sidera, ô cæli! tam properè illius terrenæ Triadis partem vobis vendicare voluistis? Josephum certè jam â Matre Virgine, & virginea prole abreptum Virginitatis Laureâ donâstis. Reliquistis equidem terris JESUM & MARIAM; sed eheu! ad quot qualésque pugnas & discrimina. Agnosco hinc beneficium; sed illinc vereor magnum utrique periculum.

Dilectus, Athleta.

Annon enim, Dilecte mi, evoluto triginta annorum spatio tandem ex umbra in solem, & velut è ludo in campum tibi prodeundum fuit? Nempe mihi latebas, ut & ego latére quærerem: mihi prodiisti, ut â te pugnare disce-

fcerem. O quàm efferati Antagonistæ mox tibi occurrerunt, Mundus, Caro, Dæmon, Peccatum, Mors! Quid sceleratius Mundo? quid Carne fallacius? quid Dæmone crudelius? quid detestabilius peccato? quid Morte violentius?

Et tibi hæc monstra negotium facessiverint? Volenti scilicet, ut essent hostes, quos vinceres & exarmares. O Amor! O bonitas! placuit tibi cum singulis congredi, ut eò faciliùs ego jam subactos debellarem. Mundum cursu, Carnem luctâ, disco dæmonem superâsti. Peccatum in cruce cæstu elides, Mortem saltu ex inferis redux superabis. Quid enim possit adversus vitam Mors? contra gratiam peccatum? contra Deum Orcus? Caro contra Spiritum? terra contra cælum?

CONGRESSVS I.

Contra mundum cursu certans.

ÆTernæ igitur tibi sint laudes, Dilecte mi, athleta validissime! qui, ut mundi superbiam cursu anteverteres, velociùs provolâsti ad confusionem, quàm elatus feratur animus, ad vanæ gloriæ splendorem. Venisti ad Joannem, Verbum ad vocem, Dominus ad servum, Rex ad præconem. O demissio! Properâsti fons sanctitatis ad lavacrum pœnitentiæ, Oceanus omnis boni ad fluvium judicii Jordanem: Salvator inter peccarores lavari periisti! O confusio! Quomodo tinget aqua solem? An non Jordanis dum vivam divinitatis arcam sensit, *conversus retrorsum* erubuerit? Baptista certè recusavit manum admovere, ut te undâ aspergeret, non nescius te *Agnum DEI* esse. Tu tamen quasi Agnus lavari omnino festinabas, antequam victima pro me caderes. Mihi balneum parare, meas abolere maculas, *peccatum mundi tollere*, mundi fastum Jordane mergere, vanam sui ipsius æstimationem, stolidúmque humanorum judiciorum & aspectuum timorem, inane hominibus placendi studium extinguere properabas. Et vilissimus

Ps. 113. v. 3.

Ioan. 1. v. 29.

mus terræ vermiculus æstimari semideus velit? vilipendi fugiat pulvis? Peccator balneas pœnitentiæ aversetur? O felix aqua ipsis Paradisi fluviis anteferenda! divini corporis attactu nobilitata!

O quàm medullitus tibi gratulor, Dilecte mi, tam gloriosam de fucata mundi gloria victoriam! O quàm splendidam tuo capiti Agonothera Pater coronam imposuit! O quàm pretiosam Spiritus Sanctus, qui te ad certamen unxit, manibus palmam inseruit! O quàm honorificum novúmque audivit terra epinicion. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* O quando & ego filia ero & dilecta? non quidem naturâ, sed adoptione? Ero, ero, si sic meipsam despexero, si hominum judicia contempsero, si semper studiosa puritatis lavacro pœnitentiæ animam immersero. Summæ dignitatis præmium est, esse dilectam Deo filiam: certum summæ beatitatis pignus, tibi Patríque placuisse: te tibi, Patrémque sibi in me tamquam speculo & imagine expressum perplacere.

Matth. 3. v. 17.

CONGRESSVS II.

At ecce: Dilecte mi, pugil sanctissime, vix uno perfunctus eras certamine, vix devictâ mundi superbiâ respiraveras, cùm mox alterum ingressus es circum, ut iterum in arenam descenderes. Heu me! in desertum properè secessisti. Quomodo hæc arida tellus conveniebat *botro Cypri de vineis Engaddi?* cæli flosculo? quomodo hoc sterile solum quadrabat *frumento electorum*? *vitæ ligno*? En! undique solitudo horrida: rupes asperæ, inculta camporum æquora, cæca ferarum latibula! Quocumque te vertas, focus, annona, latex, receptus nullus: humanæ vitæ subsidia, solatia, commoda nulla! Hîc tamen quæsivisti novum hostem, inimicam spiritui carnem. O admirabile stratagema! ut omnem simul humanæ carnis in Adamo vitiatæ petulantiam pro-

Contra carnem, luctâ.

Cant. 1. v. 3

Zach. 9. v. 17.

Gen. 2. v. 9.

sterneres, tecum ipse luctatus, tuammet sanctissimam & omnis expertem noxæ carnem quadraginta dierum noctiúmque fame, siti, vigiliâ aliisque voluntariis pœnis afflixisti! aut veriùs, eheu! tantùm non pessumdedisti.

O ut expalluêre genæ! ut aruêre labra! ut recesserunt oculi! ut exsucca concidit facies! ut vacua vellicârunt viscera! ut fracti tremuerunt pedes! ut languentia tandem in humum defluxêre membra! At ò sapientia divini luctatoris? Sic delicata primorum parentum gula, sic heluonum crapula, sic carnis illecebræ, sic conviviorum luxus, sic perniciosus corporis cultus erat domandus.

O chara Deo solitudo, amica orationi, innocentiæ propitia, jucunda animæ, nil nisi Deum quærenti! O solitudo mirabilis, in qua Deus, cum Deo omnia, præter Deum nihil! solitudo non tam corporis, quàm mentis! quâ anima terram in terra deserit, & cælum extra cælum incolit! O quando mihi continget, Dilecte mi, ut & de me dicas? *ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.*

Ose. 2. v. 14

O salutare Iejunium! quod corpus attenuat, saginat animam; quo caro deprimitur, elevatur spiritus: gula restringitur, castitas roboratur: exhilarantur angeli, dæmones flagellantur!

CONGRESSVS III.

Contra dæmonem disco.

SEnsit profectò Satanas hoc flagellum, Dilecte mi, atque idcirco in rabiem actus ad pugnam prosiluit, ter tecum ausus congredi, toties cum dedecore suo splendidè superatus. O impia orci crudelitas! cui tandem parcet? quem non invadet? cui non tendet laqueos? si te, Dilecte mi, non est verita; quem metuet? Miraculum quæsivit callidus veterator, ut latentem in homine Deum exploraret: famelico de panibus sermonem intulit, ut gulam proritaret, mirabilémque abstinentiam abrumperet. Frustra támen fraudem

dem machinatus eſt: eluſit increata Sapientia dolum, contempſit panes, Verbo ſatura: diſtulit prodigium, ſolâ patrandi virtute hîc loci contenta. Erit, cùm omnipotens Verbum, quod mundum cùm voluit, condidit; etiam panem, quando volet, faciet; imperabit angelis, & convivium adornabunt. At ò facinus horrendum! quoúſque tua, ſcelerate Lucifer progreſſa eſt temeritas? non horruiſti tam ſacrum attrectare corpus? ò mille inferis dignum nefas! vivam divinitatis arcam per aëra deportare, *ſuper pinnaculum templi, montémque excelſum valde* ſtatuere, temerarium illinc præcipitium, iſthinc Idololatriam ſuadere non erubuiſti? O invicta Numinis patientia! ô inexplicabilis Dilecti mei clementia! ſed habet, habet, jacet hoſtis. *Panes ex lapidibus* ut verbo faceres, popoſcit; tu ex pane tuum corpus verbo feciſti, hodiéque facis, ſummo illius dolore, piarum mentium ſolatio. Suaſit, ut *mitteres te deorſum*; tu in limbum deſcendiſti, ultrà quàm ipſe vellet, atque inde prædam eduxiſti, proavos: ſurſum aſcendiſti, ultrà quàm ille decidit, atque ad Patris dexteram conſediſti. Totum ille terrarum orbem, quem fere non potuit, *omnia regna mundi & omnem gloriam eorum*, quæ non habuit, veluti diſcum per ſummam jactantiam, tibi objecit, peccati illicium vel præmium; tu longiùs â te, quàm polus à polo diſtet, per contemptum rejeciſti. O quàm parùm poteſt tota inferorum acies! quàm nihil nocet! quàm facilè in fumum abit omnis Tartari vis & machinatio, ubi verus eſt Dei timor & amor! ubi generoſum pectus, edomita caro, ſpiritus mundi contemptor in arenam deſcendit.

Matth. 4. *v.* 5. *v.* 8.

verſ. 8.

verſ. 6.

verſ. 8.

Viciſti, Dilecte mi, viciſti Pancratiaſtes nobiliſſime. En! terga dedit hoſtis: beati advolârunt è cælo dapiferi, ut menſam inſtruerent. Tales ſcilicet meretur Iejunium ſtructores & pincernas. Et corpus, refractarium animæ jumentum,

adeò horrescat esuriem? tam ægrè caro suum sibi dimensum accidi patiatur? quid mirum, si in cursu luctáque à nudo jejunóque orci pugile vincatur? si saburrato ventre *viam mandatorum tuorum currere* nequeat? si mentem suâ gravatam sarcinâ, quò minùs ad cælestia festinet, turpiter & sacrilegè impediat.

Ps. 118. v. 32

Agnosco, mi Dilecte, quòd pro me pervigilâris, oraveris, jejunaveris. Adoro clementiam gratáque mente recolo. Annon verò par est, ut & ego tecum & pro te jejuniis vigiliísque insistam, gulæ modum ponam? angelis gaudium, luctum inferis creare studeam? O quàm pium & piis jucundum est mentibus esurire! sicut enim macrescit animus, dum caro pinguescit; sic epulatur spiritus, dum sagina corpori subtrahitur. Denique suaviter jejunat, quem non venti, sed spiritus: non verba, sed Dei Verbum pascit, Deus. Ecquid basilicè epulatur?

§. XLV.

DISCIPVLORVM VOCATIO.

SOlvisti tandem, Dilecte mi, stupendum cunctis jejunium? gaudeo, sed, ut video, non alio fine, quàm ut ad novam longiorémque pugnam corpus curares, & duello jam victor, justo etiam prælio cum tyranno, qui olim primam sibi in cælo sedem, nunc *omnia regna mundi* arrogaverat, pari felicitate confligeres, de summa rei decreturus. Exercitum ergo conflâsti, scripsisti militem, explicâsti signa, bellum invasori indixisti. O factum bene! quis non properet suum dare nomen?

Dilectus, Dux.

Causa belli est, jus Conditoris, Dei gloria, animarum salus: ô quàm justa! Dux belli invictissimus, cæli terræque Imperator: cui pro armamentario æther, pro annona panis Angelorum, pro ærario thesaurus divinæ providentiæ: Dux

Dux ſuorum amantiſſimus, qui aciem ipſe inſtruit in fronte primus hoſtem invadit, commilitonibus vires animóſque addit. O quàm inclytus & charus!

Porrò ſigna belli quæ, niſi purpureum Crucis vexillum? Candida & Jesu nomine inſcripta ſyndon? *agnus abſque macula*? *columba* ſine felle? *leo de tribu* Juda? *pelicanus, aquila*? glorioſa manſuetudinis, puritatis, fortitudinis, charitatis, prudentiæque inſignia? O ſigna ſacroſancta & adoranda! Quæ verò arma belli? niſi cingulum *veritatis*? *lorica juſtitiæ*? calcei *in præparationem Evangelii pacis*? *Scutum fidei, galea ſalutis, & gladius Spiritûs, quod eſt verbum Dei*? O arma pretioſa & invicta! Quæ denique ſtipendia & emeritæ militiæ emolumenta? *niſi centuplum in hoc tempore*? *ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus*? *manna abſconditum*? *calculus candidus, & in eo nomen novum*? *corona vitæ*? Pro ſudoris guttulis adamantes? pro cruoris ſtillis pyropi? pro lacrymis margaritæ? pro luctu gaudia? pro pulvere thronus? pro gladio ſceptrum? pro vulneribus radiantes ſtellæ? O congiaria mille mortibus quærenda! O potentia verbi! ô ſuavitas vocis! ô gratia vultûs! ô ſplendor oculorum! ô ſpiritus loquentis! ô majeſtas Dilecti mei vocantis? verbo innuit, ut veniant, & mox alii navem, retia, patrem deſerunt: alii telonia, menſas, lucra relinquunt: hi domos, agros, conjuges; illi munia publica, amicos, patriam, res & ſpes dimittunt: denique ſe ipſos exuunt, ut ad pauperem Chriſtum convolent!

Eph. 6. v. 14. 15. 16. 17.
Matth. 19 v. 29.
2. Cor. 4. v. 12.
Apoc. 2. v. 17.
Iacob. 1. v. 12.

O fortunate Petre! cui pro Galilææ lacu totus mundus, pro piſcibus homines, divina pro retibus myſteria obtigerunt! ò qualis navis, Eccleſia! acus nautica, fides! anchora? ſpes! velum, charitas! clavus, cæli claves! portus, cælum! His tu, non tam piſcator, quàm miles terrâ marique dominaris, hinc ſummus thalaſſiarchus, illinc cum ſupre ma poteſtate Legatus. O felix Matthæe! qui telonium deſerüiſti,

ut cæli portoria emeres! Palæstinæ renunciâsti, ut totum mundum tibi vectigalem faceres, è publicano Christi archigrammateus, gloriosior quocumque polyhistore, quando pauculas conscripsisti de vita, necéque Dei hominis pagellas, quàm cùm ingentia rationum volumina exarares; sensu jam melior, quàm censu: in paupertate tantò ditior, quantò egentior in opulentia! O beati, quotquot in prætoriam Dilecti mei cohortem adlecti, potuistis dies noctésque tanti Ducis adhærere lateri, intueri faciem, excipere verba, discere facta, capere ex præsenti Numine solatia, robur trahere, haurire velut è fonte gratiam, è sole radios, è radice succum, spiritum ex corde!

O quando & mihi dabitur, Dilecte mi, Dux optime, maxime, inter intimas tuæ cohortis appendices accenseri? quando licebit tuis frui oculis? tuo ab ore pendere? tuis formari fingíque sacratis manibus? tuis insistere vestigiis? En! iterum iterúmque, ut te sequar, mundo nuncium remitto. Sed factis opus est, non verbis: parùm est decrevisse, palmarium inter perpetuas fortia agendi patiendíque vicissitudines perseverâsse: Tuum utrumque est munus: vocâsti non merentem; salva suppliciter orantem.

Sed ignosce, Dux sapientissime; annon solus potes omnia? fac velis, & absque commilitio, uno tantùm nutu hostiles acies delebis. O clementia obstupescenda! solus esse magnus & gloriosus non volebas, ideóque socios legisti pugnæ, ut haberes & victoriæ. At, ita rudes, viles, pauperes? Cur non litteratos, copiosos, eximios conscripsisti? cur non dynastas, Principes, Reges? ô sapientia inaccessa! Verè, verè, *quod stultum est Dei* (perverso hominum judicio) id *sapientius est* omnibus *hominibus*: & *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Sapienter itaque per ea, *quæ stulta sunt mundi*, confudisti *sapientes*: per *infirma* mundi expugnâsti *fortia*, per *ignobilia mundi & contemptibilia, &* *ea*

1. Cor. 1, v. 25.
vers. 27.

ea, quæ non sunt, destruxisti ea, quæ sunt; ut non glorietur omnis caro in conspectu tuo. Sed artem magistri imbecillitas instrumenti commendet.

§. XLVI.

MISSIO.

Res mira! misisti, Imperator fortissime, contra innumerabiles hostium phalanges parvulam tuorum manum! & ecce! manipulus tam parvus mundóque contemptibilis totum subegit orbem. Piscatorum unus Romanam superstitionis occupavit arcem: alter Thraciam sibi adjunxit. Thomas Indiam, Bartholomæus Armeniam, Aethiopiam Matthæus domuit: Ægyptum Simon, Philippus Scythiam, Iacobus Hispaniam, Persidem Taddæus, alii alios populos & regna sub jugum misere. O quàm medullitus has tibi victorias gratulor!

Dilectus, Imperator

Tu quidem misisti hos Numinis tui assertores, *sicut oves in medio luporum*: non nescius fore, ut lupi mactarent, lacerarent, devorarent oves; at ô felicissima metamorphosis! oves ex lupis facti sunt, ex perfidis fideles, ex hostibus cultores. Numquid non jam Reges coronis Crucem inserunt? Crucifixo supplicant? Piscatorum cineribus proni se substernunt? Annon cesserunt idola Cruci, dæmones Deo? Sapientia simplicitati, paupertati potentia? charitati crudelitas, impietas Religioni?

Matth. 10. *v.* 16.

At nondum hîc finis est prodigiorum. Ibant te jubente bellatores tui *neque virgam, neque peram, neque pecuniam, neque duas tunicas habentes.* O sanctæ gloria paupertatis! Et tamen nihil habentibus *defuit nihil.* Vnde ergo vixerunt? quî se contra adversos casus tutati sunt? utique ex censu divinæ providentiæ, inexhausto & passim aperto pauperum tuorum ærario? ex armamentario omnipotentiæ? ex immenso

Luc. 9. *v.* 3. 10. *Luc.* 22. *v.* 35.

menſo miſerationum promptuario? Miſiſti certè illos *in mundum, ſicut te Pater*: eâ ſcilicet ſolicitudine, quâ charos mitti filios decebat, ad palmas, ad coronas: atque ita dediſti *illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent, calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Quid ergo eis nocumento fuerit? quid arduum aut difficile? quid horribile & injucundum?

Ioan. 17. v. 18.
Luc. 9. v. 1
10. v. 19.

O quantum tibi Dilecte mi, debent, quos ita mittendos vocâſti! quantum tibi obſtrictus eſt orbis! cui ſic vocatos velut tubas, nubes, cælos, ſidera, angelos miſiſti. *O tubæ argenteæ!* quæ divino animatæ ſpiritu *muros Hierichuntis* & regnum Luciferi diruerunt; nobis verò *Evangelium Regni Dei propalârunt.* O *nubeculæ parvæ*, quæ *quaſi veſtigium hominis* aſcendebant de mari gratiarum, & *facta eſt*, ubique *pluvia grandis*, quæ ſalutaribus *baptiſmi* aquis veterem demerſit mundum. O *cæli*, qui *verbo Domini firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*: qui *enarraverunt gloriam Dei*, ſtupendúmque unius triníque Dei myſterium mortalibus aperuerunt! O ſidera! quæ indefeſſo curſu terras luſtrârunt, & fidei lumine quaqua verſum ſparſo, æternæ noctis tenebras diſcuſſerunt: ideóque nunc glorioſè fulgent *quaſi ſplendor firmamenti &c. in perpetuas æternitates*! ô *angeli veloces*, qui ad *gentem convulſam & dilaceratam* properârunt: *ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius, gentem exſpectantem & conculcatam*, eámque dæmonis ereptam poteſtate, *in libertatem gloriæ filiorum* Dei aſſeruerunt! O felix, qui tuus, Chriſte, & Apoſtolorum aſſecla ſub Crucis vexillo militat. Quàm facilè *vincit, qui tuis pugnat auſpiciis*! quàm ſecurus ambulat quem tu mittis! quàm ſplendidè reſurgit, qui pro te cadit!

Num. 10. v. 2.
Ioſ. 6. v. 20
Matth. 4. v. 23.
Luc. 10. v. 9.
3. Reg. 18. v 44.
Pſal. 32. v. 6.
Pſ. 18. v. 1.
Dan. 12. v. 3.
Iſa. 15. v. 2.
Rom. 8. v. 21.

§. XVII.

§. XLVII.

ZELVS GLORIÆ DEI.

QUid autem interea tu? Dilecte mi. An fortè tuos ad cruenta misisti certamina, ut procul periculo spectares dimicantes; non tamen opem manúmque porrigeres? prælia militibus imperares; ipse non subires? neutiquam profectò. O te præclarum Præliatorem! Hostes cæteris nequiores túte sumpsisti tibi debellandos: ut nempe Tirones tui non à vulgari aliquo lanistâ arma tractare discerent; sed te invictissimo Imperatore totam belli gerendi artem, hostem invadendi, sustinendi, ac denique debellandi modum comprehenderent, animósque sumerent, victoriæ securi.

Dilectus Præliator.

P V G N Æ.

EN Negotiatores in templo! Pharisæi in Cathedris! Sadducæi in compitis & popinis! ò quales cunei, & quàm divinæ gloriæ infesti! O execrabilis nundinatorum istorum impietas! O impia Hypocritarum perversitas! O perversa lurconum Atheorúmque temeritas! Sic illi *domum orationis faciant speluncam latronum*, & sacra omnia profanent? sic isti, *dum diligunt gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei, gloriam ab invicem accipiant*, inque Dei gloriam rapaces manus iniiciant? sic hi, dum *resurrectionem* mortuorum *negant*, omnem simul honestatem virtutémque è medio tollant? & impunè ferant?

Matth. 21 *v.* 13. *Ioan* 12. *v.* 43. *Ioan.* 5. *v.* 44. *Luc.* 20. *v.* 27.

Quomodo has paternæ gloriæ clades tuus in patrem amor & reverentia toleraret? Dilecte. Irruisti ergo in tot belluinos homines non secus ac Leo in feras: non ut lacerares dentibus, sed rugitu terreres, impetu prosterneres, mentémque prostratis dares saniorem. O quàm blandè

Clemens.

ſæviebas? quàm clementer caſtigabas! non nudâſti gladium, ſed feciſti *quaſi flagellum de funiculis*, ingeminâſti ictus, *ſubvertiſti menſas, effudiſti æs*, & profanos mercatores è templo *ejeciſti*. Potenter & piè! Tumidos ſui æſtimatores peſſimóſque legum interpretes ubique inſectatus; non tamen, quod facilè tibi factu erat, *interfeciſti ſpiritu oris tui*: ſed in ruborem dediſti, detexiſti dolos, exprobrâſti ſcelera, domuiſti furorem, minâſque terribiles intentâſti, toties illud fatale vibrando fulmen: *væ vobis Scribæ & Phariſæi*! Juſtè & animosè! Delicatos corporis adulatores, animæ juratos hoſtes, non exacerbâſti duris, ſed ceu phreneticos miſeratus confudiſti verbis, viciſti argumentis, confutâſti exemplis, alios è mortuis revocando, ac demum ipſemet reſurgendo. Suaviter & ſapienter;

Io.2.v.15. *2. Theſſ. 2. v. 8.* *Matth.23. v.13.*

Modeſtus. O quantus in tuo pectore tunc ardebat ignis! ò quæ volabant ex oculis ſcintillæ! quàm ſonora ex ore tonitrua ruebant! tu contrà nihil arrogabas tibi! omnia Patri in acceptis ferebas. Tuæ enim erant voces, quando miracula patrabas: *Pater in me manens, ipſe facit opera*: cùm ſapientiſſimè doceres: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me.* Tua ſunt effata, cùm Prophetam magnum te turbæ dicerent: *Pater major me eſt*; cùm aliis vitam ſponderes: *Ego vivo propter Patrem*; cùm pro humano genere mortem ſubires: *ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Tua denique fuerunt acroamata. *Confiteor tibi Domine* cæli & terræ: *gratias ago tibi Pater: Pater ſanctificetur nomen tuum. Pater non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* O quàm ſancta & præclara axiomata! Hoc enimverò ardens eſt divinæ gloriæ ſtudium, nullam ſibi, omnem Deo gloriam tranſcribere! Hic demum, hic verus eſt Zelus; nec facere velle, nec ferre ſcelera poſſe: ubi de offensâ Numinis agitur, excandeſcere, caput pectúſque obiicere, pericula flocci facere, nomina quan-

Io.14.v.10. *7.v.16.* *14.v.28.* *6.v.58.* *14.v.31.* *Matth.11. v.25.* *Luc.11. v 2.* *Matth.26. v.39.*

quantumvis grandia, Principes, Scribas, legis Doctores non formidare.

PERICVLA.

QUid non ausi sunt in te populares tui? *Nónne repleti irâ ejecerunt te extra civitatem, & duxerunt usque ad supercilium montis, ut præcipitarent?* O patria sacrilega, & tanto indigna Cive! non tamen cessâsti arguere infidelitatis. Quid Solymæi thrasones? nónne jam *circumdederunt te*? ut contumeliis onerarent? modò *sustulerunt lapides, ut in te jacerent?* modò *miserunt ministros cum Herodianis*, ut te *vel caperent in sermone*, aut vi *apprehenderent*? ò duriora saxis pectora, veritati semper inimica! Neque tamen destitisti, quò minùs perstringeres induratæ mentis cæcitatem. Adeò, cùm fervet divini honoris Zelus, nullum æstimat periculum, certus, ferrum & aheneos muros pervadere; ut palmam obtineat, Dei gloriam augeat, servet, defendat.

Fortis. *Luc. 4. 29* *Ioan. 10. v. 24.* *Ioan. 8. v. 59.* *Marc. 3. v. 6.* *Matth. 22. v. 15.*

SVSPIRIA.

O Quoties, Dilecte mi, conspecta Judæorum perfidia tibi lacrymas excussit? quoties divinæ majestatis læsæ injuria plenas doloris voces & suspiria expressit? an credam te *flevisse super civitatem lapidémque non relinquendum super lapidem*? & non potiùs super homines æternùm perituros? deplorâsse pium chari Lazari funus, & non magis infelices sceleratorum animas Deo mortuas? O quantus tibi fuerit dolor, spectare tot *sepulchra dealbata, à foris speciosa, intus autem plena omni spurcitiâ*! manus videre lotas, corda sordida & pestifera! tot cernere *lupos in vestimentis ovium*: qui *claudebant regnum cælorum ante homines! non intrabant, nec introeuntes sinebant intrare*: tot cæcos & duces *cæcorum qui excolantes culicem, camelum autem deglutientes, circuibant mare & aridam, ut facerent unum proselytum: & cùm fuisset*

Pius. *Luc. 19. v 41. & 43* *Ioan. 11. v. 35.* *Matth. 23. v. 27.* *Matth. 7. v. 15.* *Matth. 23 v. 13. v. 24. v. 15.*

factus, faciebant filium gehennæ duplò quàm se: tot quoque intueri *Serpentes & genimina viperarum, filios eorum, qui Prophetas occiderunt*: *mensuram patrum suorum* interficiendo, lapidando, persequendo *impleturos*. Quantum tibi fuerit tormentum jam audire, cùm *facerent eleemosinam, tubâ canentes ante se, ut honorificarentur ab hominibus*? jam plenis buccis *doctrinas & præcepta hominum* crepantes; *relinquentes autem mandatum Dei, irritum facientes, & rescindentes verbum Dei propter traditionem suam.*

v. 33.

Matth. 6. v. 2.

Marc. 7. v. 7. 9. 13

Et quis tibi nunc sensus? mi IESU, cùm scelera his similia aut majora in iis aspicis, qui tuo se nomine & fide initiatos jactant? ò ubi est meus Zelus, ubi lacrymæ? ubi generosus increpandi animus? ubi periculorum contemptus? prô pudor! quàm nullus mihi est divinæ gloriæ tuendæ & amplificandæ ardor! cur tuis non accendor exemplis? quid metuo? quid majus meliúsque divino honore vel quærere vel spectare possum? an non hunc tu polum semper aspiciebas, Dei nempe Gloriam? alterúmque jungebas, animarum salutem? an non totus tuæ vitæ circulus hisce duobus cardinibus vertebatur? Profectò quàm strenuè pro Patris æterni gloriâ pugnâsti, tam operosè insudâsti æternæ hominum saluti: non minùs negotiator sanctè avarus, quàm strenuus Imperator.

§. XLVIII.

ZELUS ANIMARUM.

O Quid dixi? Dilecte mi. Negotiatorem lucri cupidum ego te rectè appellavero? ita quidem persuadet insatiabilis tua animas lucrandi cupiditas. At nimis hoc parùm est. An ergo piscatorem industrium, peritum aucupem, aut indefessum venatorem te meliùs vocavero? an verò pastorem

ſtorem ſolicitum, Patrem amantiſſimum, Magiſtrum optimum, medicum denique ſuaviſſimum magis appoſitè dixero! Ne nihil dicam complectar ſimul omnia. Nempe tu primus omnium *omnibus omnia factus es, ut omnes faceres ſalvos.* 1. *Cor.* 9. *v.* 22.

INDVSTRIA I.

NOnne enim tu es præclariſſimus ille *negotiator quærens bonas margaritas? qui inventâ unâ pretioſâ margaritâ, abiit & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam?* De cælo per tot orbium immenſa ſpatia profectus es in terram: quis mercatorum umquam longiùs? quæſiviſti veluti bonas margaritas, mortalium animas altùm terræ ſordibus immerſas: quis indagavit umquam ſagaciùs? dediſti etiam pro unâ regnum Dei, divinum ſanguinem & vitam: quis umquam emit liberalius? neque contentus paucis, deſiderabas omnino *omnes lucrifacere*, pretio pro omnibus, ſi etiam plures mundi forent, abundanter præparato: quis umquam lucro inhiavit ardentiùs?

Dilectus, Negotiator. *Matth.* 13. *v.* 45.

Quando ullam lucrandi occaſionem neglexiſti? quis locus? quale tempus tibi fuit viſum incommodum? quæ conditio, quis ſexus, quæ ætas fuit tuis deſideriis importuna! O verè immenſa ſalutis humanæ ſitis! vocâſti, invitâſti, pellexiſti omnes ad lucroſam utrimque mercaturam. Non excluſiſti Reges & Sapientes, quos ſtellâ ductrice ad te traxiſti: non rejeciſti plebeios, & ſimplices, quos in conſortium tuum admiſiſti: non repudiâſti miſeros & afflictos, quos magnis vocibus accerſiſti: *venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*: non recusâſti parvulos, cum indignatione queſtus, illos à tuo affatu arceri: *Sinite parvulos venire ad me*: non deſpexiſti pauperes, apertè conteſtatus, *Spiritus Domini ſuper me, evangelizare pauperibus miſit me*: Non horruiſti denique peccatrices animas,

Matt. 11. *v.* 28.

Marc. 10. *v.* 14.

Luc 4 *v.* 18

Luc. 19. *v.* 10. mas, liberè professus, te venisse *salvum facere quod perierat*. Omnibus tuæ charitatis viscera erant aperta; semper ad te patebat aditus: ubique locorum captabas lucra: in urbibus, & campis, in templo & Synagogis, in itineribus & ædibus, diu noctúque, ad focum & ad mensam exercebas mercaturam; suscipiendo animas, dando veniam, gratissimas cælo margaritas transcribendo.

Magdalena, gemma. *Luc.* 7. *v.* 36. Testis est Magdalena tuis excitata vocibus, impulsa stimulis, tracta promissis. En! quàm importunè irruit in alienam domum, ad triclinium Pharisæi, ad ipsam denique mensam! suspiriis lacrymísque loquitur, capillos spargit, pectus plangit, brachia denudat. Te, mi Dilecte, invadit, pedes capútque tangit, lavat, tergit, ungit, osculatur; ad nauseam usque tumentis pharisæi, ad indignationem & sarcasmum. At tu, nónne dissimulas intempestivum aliis, tibi opportunissimum pœnitentis & amantis animæ obsequium? nónne pedes capútque infami mulierculæ permittis? defendis, factum laudas, & amplissimè remuneraris?

Quid moramini peccatores? cur non properatis ad hunc Negotiatorem? eja advolate: vos estis, quas quærit, margaritas: si non estis, faciet. O JESU! ò Negotiator cælestis, *quàm bona est Negotiatio tua*! nónne *melior est acquisitio* vel unius animæ *negotiatione argenti & auri primi & purissimi*? Numquid Magdalena tibi margaritam attulit, cæno quidem obrutam, sed cælo debitam? vidit Pharisæus sordes, non gemmam; contempsit: at tu gemmam æstimâsti, non sordes; cupidè emisti. Vt Magdalenam ditares, depauperâsti temetipsum: accepisti lachrymas, dedisti sanguinem, vitam profudisti, ut unam emeres margaritam: non horruisti mare sordium, ut felici piscatu captum extraheres unionem.

Proverb. 31 *v.* 18. 3. *v.* 14.

IN-

INDVSTRIA II.

QUis enim te induſtrium quoque piſcatorem fuiſſe ambigat? an fruſtra tuos ſectatores ad *hominum piſcationem* evocâſti? ô quot mortales è procelloſo mundi ſalo, è fœtido vitiorum lacu, è turbidis afflictæ mentis vorticibus, è profundo perfidiæ & deſperationis barathro, non abſque labore magnáque ſolertiâ, hamo, ſagenâ, ſpiculo captos eduxiſti? nónne jam integras hominum catervas ex *naviculâ*, Dei verbo adhamatas cepiſti? jam *quatuor aut quinque millia* pane & piſciculis ineſcata naſſæ incluſiſti! jam verò ſingulos, *Andream, Philippum, Nathanaëlem*, alióſque attractos Deo prædam conſecrâſti? *Nocte* quoque ſublustri inſidias tetendiſti, ut *Nicodemum*, pretioſum ſanè piſcem, prehenderes?

Dilectus, Piſcator.

Luc. 5. v. 3.
Matth. 16. v. 9. 10.
Ioan. 1. v. 40. 45.
Io. 3. v. 2.

Petrus, piſcis.

Nónne Petrum ipſum, è Piſcatore piſcem factum, in turbatiſſimis perfidiæ dicam, an ſocordiæ? undis fluctibúſque ter ſcopulo alliſum, jámque orci tridente feriendum tuâ induſtriâ præripuiſti? ô charitas admiranda! ô ſedulitas præclara! Nox erat, ah qualis? quàm tetra, infauſta tibi & laborioſa! ſæviebat frigus: ô quàm immane, & cælo inimicum, omni propemodum charitate extinctâ! Tempeſtas graſſabatur: ô quàm horrida quótque fulminibus in ſacratiſſimum caput corpúſque tuum excuſſis metuenda! Quis piſcationem auderet ſomniare? tu ipſe ſanguine nuper exſudato madidus, feſſus, attritus, captúſque hærebas. Et tamen, Dilecte mi, piſcator diligentiſſime, cùm per vincula manibus non poſſes, vultu ſuccurriſti, pro ſagenâ corde uſus, pro ſpiculo radium ex oculis vibrâſti: *reſpexiſti Petrum*, confixiſti palpitantem, extraxiſti è ſtygiis aquis, atque in dulce pœnitudinis mare tranſtuliſti, propriis deinceps lacrymis innataturum. O quàm ego vellem ſic configi, ſic prehendi, ſic natare!

Luc. 2. v. 91.

IN-

INDVSTRIA III.

Dilectus, Auceps.
Eccl.9. v. 12.

AT enim, Dilecte mi, an etiam aucupium exercebas? ô quàm verè *sicut pisces capiuntur hamo, & aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines*, & ò quoties *in tempore malo*! Ergo capiat homo hominem? mors mortales aucupetur? dæmon animas irretiat? tu, Dilecte, aucupio renuncies? Nemo justiores tendit insidias. Nemo minùs ut capiat, fallit. Tu solus non frustra *jacis rete ante oculos pennatorum*, ut videant quò cadant, in divinæ scilicet plagas charitatis.

Proverb.1. v. 17.

Rectè ergo & tu concinnâsti aream, sed totâ, quàm longè latéque patet, Palæstinâ: tetendisti laqueos & retia, sed misericordiæ funiculis pertexta: passim viscatas posuisti virgas, sed admirandæ dulcedinis melle illitas: sparsisti escam, sed cælestium beneficiorum dispensatrice dextera offusam: allexisti fistulâ, sed sacri pectoris spiritu, & vocantis Verbi flatu animatâ.

Samaritana, pica.

His artibus, ô auceps peritissime, quot cepisti volucres, cælo factas animas! An non garrula illa *de Samaria muliercula*, veluti pica albo Judaismi & nigro idololatriæ colore tincta, adhæc fœdis amoribus inquinata, jam inferni aucupis intricata laqueis tenebatur? At quàm occultè illam tu ad aream tuam, ad pedicas, ad fontem elicuisti! quàm anxiè licet *fatigatus ex itinere, horâ quasi sextâ* adhuc jejunus, donec advolaret, exspectâsti! cùm illa alternis sermonibus à fonte ad montem, à Propheta ad Messiam incerta saltitaret; tu, quoquò se vertisset, insecutus captâsti evagantem? quàm prolixè verbis cicurâsti? cum Deo orando fari docuisti? ac tui suique cognitione, ceu medicato bolo saginatam denique cepisti? Ita sanè, quæ pica erat, in alaudam conversa tibi pro illice fuit, Samaritas alios

Joan.4.v.6

exci-

excivit, plurium accessione prædam auxit, & rem solvit aucupi. O felicem prædâ aucupem, prædámque aucupe feliciorem!

Quid Zachæus supra ficulneam? ficedula fortè, an accipiter fuit? Næ ille, quàm *staturâ pusillus*, tam habendi cupiditate vastus erat, illicitísque ditari lucris assuetus, minores aviculas rapaci ungue prehendere, adunco rostro deplumare, cruore carnibúsque alienis victitare gaudebat: *Publicanus* scilicet, eorúmque *Princeps* & *ipse dives*. Quis auceps caperet? quis calamus teneret? quæ manus alas accideret? nisi tua thaumaturga vox & prædatrix animarum dextera? Tetigisti cor avarum, licèt absens; ut cominus saltem *quæreret, te videre*, quem procul vocantem audierat. At quomodo te cerneret, cui Pluto caput densâ curarum casside incluserat? Illustrâsti ergo mentem, ut *turbam* desereret: animâsti pedes, ut *præcurrens*, an volans *in arborem Sycomorum* ascenderet: *suspiciens* quoque jaculatus es ex divino gutturis tubo paucas voculas, velut ignitos globulos, sauciâsti, accendisti, *ut festinans descenderet*, téque *exciperet gaudens*, nec denique avaritiæ nidum ingredi dedignatus, intulisti salutem, manendo sacrâsti domum, herúmque ex mammonæ servulo *filium Abrahæ*, è publicano discipulum, ex avaro liberalem, ex rapaci justum fecisti; hoc est, ex accipitre palumbum. O jucundum superis aucupium, quibus plus est unam cælis animam inferri, quàm multis in cælo stellis coronari! Triumphate ergo læti Cælites. Si tam ampla vobis est gaudiorum seges, unam non periisse cælo aviculam; quanta erit, perditam dudum ovem, magno quidem pretio emptam, ubique quæsitam, tandem fuisse Christo repertam. Non auditis amicam notámque vobis vocem? *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Nimiùm quantùm, prôh dolor! perierat Dismas, qui inter cruentos educatus latrones, astu-

Zachæus, accipiter. *Luc.* 19. *v.* 3. *v.* 2. *v.* 4. *v.* 5. *v.* 6. & 7. *v.* 10. Dilectus, Pastor. *Luc.* 15. *v.* 6. Lattos. Ovis.

tior vulpe, rapacior cane, ferocior urſo, adeò nihil ovis, nedum hominis, ſervaverat, ut ſtygii jam lupi faucibus miſerè devorandus proximè interitum abeſſet.

O te Paſtorem, Dilecte mi, verè optimum! ô quoties jam ſibilo divinæ vocis, jam ſonitu minarum, modò crepitu flagellorum revocâſti errantem? quot menſibus, annis & luſtris ſecutus es fugientem? nónne quærendo in oliveti monte ſudâſti ſanguinem? in domo Caiphæ ſubiiſti verbera? in Prætorio per virgas & flagra, per rhamnos & ſpinas corpus capútque traxiſti? tandémque ut invenires, in Golgothæum montem anhelus, laſſus, non uno lapſu, ſed pluribus oppidò attritus, gravi licet inſtructus crucis baculo, ſeu trabe onuſtus evaſiſti? Quid dicam? Dilecte, vox hæret, labaſcit ſpiritus, ô charitas! ô ardor! ô zelus! Inveniſti, ſed ubi? in patibulo? vidiſti, ſed ò qualem? damnatum infamem, cælo terræque odioſum, jamjámque ſtygi mactandum olidum è grege hircum. Quid faceres ipſe in funeſtâ ſuſpenſus arbore? quomodo ſuccurreres ipſe ſaucius, enervis, exanguis, ſemimortuus, manus pedéſque transverberatus, miſerabilis, jámque acturus animam? ſuggeſſit pietas conſilium; vires ſuffecit clementia.

Itaque tuæ immemor calamitatis, impatiens alienæ, non fractus doloribus, non injuriis deterritus, inclinâſti caput ad oſculum, explicâſti brachia ad amplexum, ſupplices ad Patrem miſiſti voces, ut *Paſtoris vocem ovis* tua tandem audiret: ſparſiſti pro infelici ſanguinem, ut ſe ream agnoſceret, te Dominum, Regem, Deúmque adoraret; ſauciâſti pœnitudinis telo pereuntis animum, ut pium ovicula balatum emitteret: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum*: neque diu moratus abluiſti ſordes cruore proprio, ſanâſti ſauciam tuis vulneribus, *impoſuiſti gaudens in humeros.* Spectate cæli & obſtupeſcite! & eo adhuc die, *in Paradiſum*, quaſi ſolus intrare nolles, intuliſti. Et hanc arbitratus

Luc. 23. v. 42.
Luc. 15. v. 5
Luc. 23. v. 43.

tratus es jucundam esse sarcinam, opima spolia, magnum tuæ gloriæ auctarium, cum latrone in gloriam introire: cumulatissimum boni pastoris gaudium, vel unam orco animam eripuisse!

INDVSTRIA V.

ITa quidem, Dilecte mi, mansuetiora sectabaris animalia: at majores feræ ubi sunt? an etiam feroces belluas es aggressus? ô ineffabilis benignitas Conditoris! ô incomparabilis in homines amor Salvatoris! qui te crudelium quoque ferarum jussit esse venatorem.

Dilectus, venator.

Ludus tibi erat, cervos, damas, apros agitare; mortales arrogantiæ, gulæ, iræque vitiis in pecudes deformatos ad frugem mentémque revocare: sed lupos quoque, leones, tigrides: efferatos scilicet persecutores, fidei hostes, sævósque tyrannidis ministros venari, capere, domare, dignam Deo exercitationem esse duxisti.

Cave tibi Saule: quò ruis amens? quid moliris *spirans minarum & cædis*! Hem! quantâ ardes humanæ carnis esurie? quantâ æstuas cupiditate, quanto capiendi universum Christi gregem, eúmque lacerandi ac devorandi studio teneris? I, propera Damascum, & ceu fulmineus Leo, aut sæva tigris, vel certè de *Beniamin lupus rapax*, para dentes, acue ungues, festina ad lanienam. Incides, in inexplicabiles, quos non suspicaris, laqueos. Iam te venator nobilis in via ex insidiis observat: jam retia posuit, foveam paravit, spiculum expedivit: Damascum venies, non videbis.

Saulus, lupus. *Act. 9. v. 1* *Gen. 49. v. 27.*

Euge, Dilecte mi! hæret lupus, habet, jacet. Quamprimum *circumfulsit eum lux* de cælo, irretitus est: vix sensit amoris telum, & Saulus illico prostratus victas manus dedit: vix tuam *audivit vocem dicentem sibi*: *Saule Saule quid me persequeris*? cùm tremens ac stupens dixit: *Domine quid*

Act. 9. v. 3 *v. 5.* *v. 6.*

me vis facere? non jam lupus ſed agnus: non perfidiæ miniſter, ſed magiſter fidei: non inſtrumentum crudelitatis, ſed *vas electionis*: non *portans à Principe Sacerdotum epiſtolas in Damaſcum*: ſed *nomen tuum coram gentibus & Regibus, & filiis* Iſrael: O quantò plura vidit, quando *apertis oculis cæcus nihil videbat*, quàm ſpectaverat videns, cùm neque te, neque ſeipſum ſatis novit?

v. 15. v. 2. v. 15. v. 8.

Sic, ſic mi Iesu, etiam poſt fata ſitis animas: de cælo pugnas in terreſtres feras, ut Zodiaco tuo nova ſidera apponas: etiam inter ſuprema beatitatis gaudia non poſtremum tibi eſt, generoſas mentes ſub belluino ſchemate venari. Et quidem operæ pretium fuit, Dilecte, te hanc ſtraviſſe feram; cepiſti lupum; ſed qui innumeras tibi parturiret, paſcerétque oves. *Hæc mutatio dexteræ excelſi*: quoſcumque lucis tuæ fulgur afflat; uti lubet, momento fingit, ex feris homines, filios ex aſotis. Nempe non ſolùm venator es, ſed & Pater: illud potentiæ nomen eſt, hoc amoris: quàm grande illud, tam hoc dulce & amœnum.

Pſal. 76. v. 11.

INDVSTRIA VI.

Dilectus, Pater.

QVo etenim alio honoris vocabulo, te filius ille prodigus compellare aut potuit aut debuit, quàm Patrem, & Patrem ſuum? non neſcius paternum pectus nullis poſſe machinis faciliùs expugnari. O verè Pater! meminit Philothea, & ſolvitur in lacrymas ſe quoque inter tuos, ſed prodigos, olim liberos fuiſſe. Heu! quàm nobilem magnámque *portionem ſubſtantiæ*, quantum cæleſtium bonorum, gratiæ, juſtitiæ, virtutúmque cumulum veluti hereditariam regni partem ex divinâ dexterâ accepit! Heu! quàm longè à paternis oculis, ex charo ſinu, tamquam ex ſecuriſſimo portu, *peregrè profecta* à virtutibus ad vitia, *in regionem longinquam*: à cæli mœnibus ad tartari ſuburbia infeliciſſimè tranſivit!

Philothea, filia olim prodiga. Luc. 15. v. 12. v. 13.

ſivit ! Heu! quàm miſerabiliter & flagitioſè *ibi ſe geſſit?* quàm citò quámque turpiter *diſſipavit ſubſtantiam ſuam* quantum dedecus, palàm ad leges nutúmque mundi, carnis & orci *vivendo luxurioſè* ſibi patríque conflavit! Heu! quàm miſerabiliter depauperata, famelica, contempta *cæpit egere*, paulò ante cæli theſauris locuples! duram in deteſtanda impietatis *regione* ſervitutem ſervire, quondam Dei filia! *porcos* turpium cupiditatum *paſcere*, olim angelorum ſocia! *ſiliquis* voluptatum terrenarum, *quas porci manducabant*, *nemo* tamen *illi dabat*, inhiare, antehac cæleſti pane veſci aſſueta! ſic denique ſenſim, ſqualore, luctu, fame *perire*! ad æternæ felicitatis gloriam à Patre deſtinata! undíque infelix & tantùm non deplorata; felix tamen hoc ſolo nomine, quòd te eſſe Patrem non immemor, ſuam prolixè infelicitatem deflevit, ad te dolens geménſque rediit, lamentabili te voce compellavit: *Pater, peccavi in Cælum & coram te! jam non ſum digna vocari filia tua: fac me ſicut unam ex mercenariis* ancillis *tuis.*

v. 14.

v. 15.

v. 16.

v. 18.

Commemini & colliqueſco, mi Jeſu, mi Pater, tot tantóſque dulciſſimi amoris exceſſus tunc à te patratos; cùm *adhuc longè eſſem*, nemóque adverteret, tu *vidiſti:* cùm noſci difficulter poſſem, tu noviſti: cùm alij contemnerent, tu *miſericordiâ motus* es: cùm averſarentur omnes, tu feſtinus *accurriſti* ad ſqualidam, *cecidiſti ſuper collum* languidæ, *oſculatus es* miſellam. O Dilecte, non jam Pater, quem decet rigor & gravitas; ſed plusquam Pater; quem ſcilicet indulgentia & effuſa charitas fecere Matrem. Quis enim Pater *adoleſcentiori filio* hereditatem vivus largitur? quis importunum ſuſtinet? quis degenerem benigno dignatur oculo? quis decoctorem pro filio habet? quis extra paternas ædes vagum non caſtigat? quis etiam pœnitentem non malè mulctat? Tu verò conſceleratæ filiæ brachia tetendiſti, tu cor aperuiſti, tu faciem inclinâſti, tu oſcula & ample-

v. 22. xus indulsisti. Tu pro squalidis pannis *stolam* justitiæ *primam*, nobilem, mundam: pro nodoso baculo, *annulum* tuo v. 23. nomine insignitum: pro luto sordibúsque, *calceamenta* cælestium præsidiorum: pro siliquis, *saginatum* tui corporis *vi-* Proverb. *tulum*, epulas, lautitias, & *securæ mentis juge convivium*; pro 15. v. 15. luctu *symphoniam, chorum*, gaudia, omniúmque cordis affectionum harmoniam ultro liberalitérque impertivisti. Sic, v. 32. sic *mortua eram & revixi*: Sic, sic *perieram, & inventa sum*: quia te Patrem habui.

Huc ergo festinate, quotquot estis filij prodigi, peccatores miserandi, dilapidatores nudi, famelici, infelices. Redite ad Patrem vestrum, quo nullus dulcior; ad faciem quâ nulla serenior; ad pectus, quo nullum amabilius: Osculamini brachia, quibus vos erigit: adorate labia, quibus oscula imprimit: audite verba, quibus erudit & confirmat. Invenietis, mihi credite, amantissimum in Servatore Patrem, in Patre optimum sublimioris vitæ Magistrum.

§. XLIX.

DOCTRINA CHRISTI.

NVmquid enim de te, Dilecte mi, cecinit vates? *Exultate & lætamini in Domino Deo vestro; quia dedit vobis Do-* Joel. 2, v. 23. *ctorem justitiæ.* Numquid olim templum, synagogæ, publicæ privatæque ædes, littora, campi montésque tuâ resonabant doctrinâ? Quando tibi jam navicula pro rostris, jam herbidus terræ torulus pro cathedrâ, jam porticus pro Stoa fuit. O quoties concio multorum millium, in desertis etiam locis, cibi potúsque oblita, tuis gaudebat verbis pasci? quoties auditor attonitus atque extra se raptus à tuo Joan. 7. v. pendebat ore, dicentíque acclamabat: *Numquam sic locutus* 46. *est homo sicut hic homo?* nempe Deus homo. Et quid mirum? non cadebant, te docente, volubiles è suggesto de-

cla-

clamationes, non sesquipedalia ad pompam & ostentationem verba, non delicatæ ad voluptatem argutiæ, non perplexa sine fructu dogmata; sed tonabat allata de cælo doctrina, divinæ sapientiæ intellectu nata, veritatis ore pronunciata: quot fluebant verba, tot ruebant fulgura; quot sententiæ, tot æterni solis radij coruscabant.

REGULÆ.

O Millies felices quibus ad tuos pedes sessitantibus te Magistrum sapientissimum audire datum est! quàm rara, quàm sublimia, quàm admiranda, quámque ex æquo necessaria & profutura dogmata hauserunt auribus, exceperunt cordibus, mentibus impresserunt! Dilectus, Magister.

Quis somniâsset, mi JESU, nisi tu, qui falli nequis, sacratissimo tuo tradidisses ore, *beatos cæli* Candidatos esse, quos *spiritus depauperat*, quos pœnitentiæ *luctus* angit, quos justitiæ *fames* urget, quos aliena urit *miseria*? quis crederet *beatos*, qui sunt inter contumelias *mites*, inter bella litésque *pacifici*, inter mundi sordes cauti & *intemerati corde*, inter *maledicta*, inter verbera, vincula, mortésque intrepidi & constantes? O verè beati, quibus *solatia*, *saturitas*, *misericordia*, grande *filiorum Dei nomen*, *Dei visio*, *terræ cælique possessio* jam est decreta! Quàm novum erat mortalibus audire, quàm necessarium mundo, scire: *angustam esse Cæli portam, latas inferorum semitas*! *divitias pro spinis* habendas! *faciliùs camelum per foramen acûs, quàm divitem in regnum cælorum intrare*! Et tamen, mi JESU, spatiosis tartari vijs integri decurrunt exercitus! divitiæ veluti delicata rosarum folia cupidissimè prensantur! ut scilicet magis magísque camelo gibbus insurgat, & fatalis crescat sarcina, opes opibus accumulantur!

Rarus. *Matt.* 5. *v.* 3. *v.* 5. *v.* 6. *v.* 7. *v.* 4. *v.* 9. *v.* 8. *v.* 10. 11. *Matt.* 7. *v.* 13. *Luc.* 8. *v.* 14. *Matth.* 19. *v.* 24.

Quantæ Prudentiæ modestiæque documentum erat: *novis-*

Luc. 14. v.10. *Matth.*23. v.11. v.12. *Ioan.* 12. v.25. *Matth.*5. v.44. *Matth.*5. v.41.

novissimum consultò *locum* ambiendum! qui cæteris *major* est; illi, ceu *minimus* omnium foret, existimandum, se ministerio aliorum esse destinatum: qui se *humiliat exaltandum*, deprimendum qui erigit? Quanti momenti, quámque plenum cælestis Sapientiæ monitum fuit: *qui suam odit animam, servare; perdere, qui amat? diligendos* etiam *inimicos; tollenti tunicam dimittendum & pallium?* Hæc atque alia id genus præclara sanè dogmata, cæli axiomata, mundo tamen paradoxa identidem inculcabas; at heu! Christe mi, paucis admodum sat credita, vel altiùs in animos sunt admissa! Vbi enim locorum gentiúmque non feruet atrox de primo loco pugna & contentio? ubi proprius non triumphat amor? ubi non flagrant odia, lites, rapinæ, furta? Non hoc nesciebas futurum: at neque ignorabas non defore, qui tuo ductu adhuc altiùs eniterentur.

CONSILIA.

Sublimis. *Matth.* 19 v.21.16. v.24.

HInc illa sublimia tua consilia, & magnis tantùm animis suggesta: *ire, vendere omnia, dare pauperibus*, & sublatâ in humeros *cruce* te præeuntem *sequi*: Omnes etiam licitas conjugij voluptates perpetuâ continentiæ lege à se penitus amoliri, & beatos in carne genios æmulari: suammet exuere voluntatem, quâ nihil homini excellentius; alienam, quâ nihil humano ingenio gravius & acerbius, promptè hilaritérque, tamquam cæli vocem, audire semper & exequi:

*Luc.*14. v.26. 12.v.4. v.25.

patrem, matrem, uxores, liberos relinquere, quibus nihil dulcius: *non timere eos, qui occidunt corpus, quo* nihil charius: *non solicitè cogitare* de victu & vestitu, quo nihil usitatius; sed *quærere inprimis regnum Dei*, cætera omnia divinæ providentiæ penitùs committere, quod caro non capere valet: ad infantiam redire, ut liceat cælum intrare, quod natura fortiter exhorrescit. O Consilia Deo digna magistro! Annon jam caput astris inserit, qui tam celso perfectionis tramite ince-

incedit? eò propior Angelis, quò â terrenâ concretione remotior?

PARABOLÆ.

SIc equidem excelsas docere mentes assolebas. At verò, ut imbecillis quoque consultum ires, quàm jucunda & captu facilia, ò suavissime Doctor, in medium attulisti paradigmata, quibus rudi plebeculæ cælestem instillabas sapientiam; quando jam *mundum, agro; bono semini, filios regni; messoribus, Angelos;* scelestos homines Zizaniis, in caminum ignis mittendos comparâsti? jam corda mortalium cælesti *semine* conserenda, alia quidem virtute subacta *terræ bonæ;* alia verò vitiis protrita viæ commeantium pedibus calcatæ, alia indurata curisque obsessa *petrosa* aut spinis obsitæ telluri non absimilia pronunciâsti: modò improvidos mortales, & *sine* charitatis *oleo* hinc migrantes, cum *fatuis virginibus* cælo excludendos: modò ignavos, concreditis sibi *talentis* abusos, cum *servo nequam* in *tenebras exteriores* ejiciendos: aliàs verò, steriles & infecundas mentes cum *ficu* infrugiferâ exscindendas, gratiâ ceu *nuptiali veste* destitutas ad *fletum & stridorem dentium* relegandas disertè edixisti: Nónne hebes est, qui hæc non capit; stolidus, qui negligit; proteruus, qui contemnit?

Facilis.

Matth. 13. *v.* 39.

Luc. 8. *v.* 6

Matth. 25. *v.* 8. *v.* 26.

Luc. 13. *v.* 6.

Matth. 22. *v.* 11.

MINÆ.

O Quàm verè gravitérque monuisti amphibios cæli terræque captatores: *Neminem posse duobus Dominis servire, Deo & Mammonæ: vaniloquos fabularum nugarúmque-satores: de omni verbo otioso reddendam in die judicii rationem: stolidos in procrastinanda vitæ emendatione cunctatores: sicut fulgur exit ab oriente, & paret usque in occidentem,* sic improvisum & repentinum *fore supremi judicis adventum!* Quàm seriò acritérque inculcâsti! *Nil prodesse homini* quiscúm-

Serius.

Matth. 6. *v.* 24.

12. *v.* 26.

Matt. 24. *v.* 27.

16. *v.* 26.

que ille sit, *si universum mundum lucretur*, *anima verò sua detrimentum patiatur.* *Stultos* esse, qui terrenis immersi quisquiliis, æternorum obliti præmiorum ac suppliciorum secum ipsi mussitant: *Anima mea habes multa bona, requiesce, comede, bibe, epulare*; ignari *hâc nocte* infelicem *animam* ad tribunal evocandam, quique *induti purpurâ & bysso epulabantur quotidiè splendidè*; *sepeliri in inferno*, inextinguibili siti cruciandos: denique & eos, qui famelicum, siticulosum, nudum, peregrinum, captivúmque in suis servulis Christum non pascunt, non potant, non vestiunt, non excipiunt, non invisunt, audituros tremendum illud tonitru: *Discedite maledicti in ignem æternum.*

Luc. 12. *v.* 20.

16. *v.* 15.

Matth. 25. *v.* 41.

E heu! saxo durior est, quem hæc non quassant fulmina! meritò perit, qui hæc æternæ veritatis effata, támque seria salutis monita aspernatur!

At quàm paucos numerâsti hujus disciplinæ candidatos! An fortè minerval exigebas? mi Dilecte. Neutiquam: ipse tuo sumptu discipulis mercedem & præmia decrevisti.

PRÆMIA.

Suavis.

PErquam enim liberaliter & amanter cunctos, non minùs amplis, quàm securis promissis, ultra spem animâsti, plusquam maternis traxisti, blandimentis. *Petite*, ajebas, *& dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis: quicumque potum dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam: Omnis qui reliquerit domum aut fratres, aut sorores, aut patrem aut matrem, &c. aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, nunc in tempore hoc, & vitam æternam possidebit.* Quæ prolixior potuit fuisse pollicitatio? quæ profusior liberalitas? quæ major Magistri comitas?

Matth. 7. *v.* 7. 10. *v.* 24. 19. *v.* 29.

An fortè dignitas tuæ doctrinæ sectatoribus non erat destinata? imò verò suprema: certè ad summum excellen-

tiæ

tiæ gradum admisisti, quos ex nutu tuo formâsti. Quid enim grandius, quidve dulcius illis honorum titulis, quibus tuos excitâsti? *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui!* at hoc parùm erat: altiùs evexisti chara tibi capita, adeò, ut amicos, fratres, filiósque tuos appellares: *Iam non dicam vos servos: vos autem dixi amicos. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est. Filioli adhuc modicum vobiscum sum.* Quàm ardenter denique studiosos tuæ doctrinæ auditores complexus es amore? quàm nervosè apud Patrem perorando pro illis supplicâsti? *Pater sancte, serva eos in nomine tuo: sanctifica eos in veritate, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Pater quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant charitatem, quam dedisti mihi.* Quod ferreum pectus, mi IESU, ad has amoris flammas non liquescat? quæ nisi belluina prorsus anima tantis non moveatur divinæ sapientiæ argumentis? tam manifestis maximæ bonitatis elenchis non capiatur?

Matth. 25. v. 21.

Ioan. 15. v. 15.

Matth. 12. v. 50.

Ioan. 13. v. 33.

Ioan. 17. v. 11. v. 17. v. 21. v. 24.

O Dilecte mi, *Magister bone*, præceptor optime & maxime, quod tibi solvat mundus didactrum? Absque hac doctrina foret, jam dudum novo ignium diluvio mergendus fuisset. O quàm caligat, sordet, fætet, ubi hac luce caret! ô quàm nihil sunt ad hanc doctrinam omnia Philosophorum placita! Hæc una cæli Academia omnes mundi sapientes confundit: hæc Reges & imperia in officio continet: hæc summis infimísque patet: hæc urbes cœnobiis, eremos incolis, claustra viris feminisque, cælum beatis civibus implet: hæc mentem illuminat, voluntatem inflammat, sensum flectit, animam roborat, & cor attollit. Quis enim non credat quod dixit Veritas? quis non probet, quod suadet Sapientia? non timeat, quod minatur Iustitia? non speret, sectetur & stringat, quod pollicetur æ-

Matth. 19. v. 16.

terna Bonitas, immensa charitas largitur? Quidquid mundus sentiat, tuo, mi JESU, magisterio me submitto. Quidquid dixeris, sat mihi est, te dixisse. Sat docta ero, si te secuta fuero.

§. L.

ADMIRANDA CHRISTI FACTA.

ENimverò Dilecte mi, non desinam te sequi, donec assequar: non cessabo inclamare, usque dum exaudias. Vndique sani, ægríque olim ad te catervatim festinabant, ut ab ore mellifluo salutis monita, à divinis manibus morborum levamenta referrent: Et ego ignava negligam? non properem, non curram? annon & ego sum præ cæteris mortalibus rudis, variisque animi morbis obsessa? Quin potiùs omnem à me desidiam procul ablego, atque ut simul animo corporique consulam, quæritare pergo.

CVRATIONES.

Dilectus, Medicus thaumaturgus.

QUàm enim fuisti mirabilis & sanctus docendo, tam eras agendo beneficus & potens, nempe *Verbum plenum gratiæ & veritatis*, Magister veridicus, Medicus thaumaturgus: qui veritate illuminat, gratiâ sanat: dum corporibus medetur, mentibus adhibet curationem. Tu, tu mi Dilecte, cæcis *imposuisti lutum oculis*, & viderunt: tuos in surdas *auriculas misisti digitos*, & mox audierunt; salivâ *mutam tetigisti linguam*, & soluta est: *febrientis feminæ prehendisti manum*, & sana valénsqne surrexit. Quando unquam orbis talem aspexit archiatrum?

Io. 1. v. 14. Ioan. 9. v. 6. Marc. 7. v. 33. Matth. 8. v. 15.

Longè absens jacebat *paralyticus* Centurionis *servulus*; tu eum nutu sanâsti: rogabat *leprosus* exesi corporis abstersâ scabie *mundari*, tu verbo trisyllabo mundâsti: querebatur non-

Matth. 8. v. 6. v. 3.

nonnemo *manum aridam* vitæ usibus inutilem; ut primùm te jubente illam extendit, vivam agilémque sensit: *tetigit* hæmorrhoissa tui *fimbriam vestimenti*, & stitit *fluxus sanguinis.* Quis omnibus retro sæculis suaviùs citiùsque medelam attulit? quis minore sumptu inveteratos quósque morbos abstersit? quis naturæ vim facere, atque ad placitum imperare adeò in promptu habuit? Tuam scilicet divinitatem his humanæ calamitatis depulsæ prodigiis palpabilem mundo fecisti: ne quis Deum ignoraret, quem rerum omnium Conditorem Dominúmque natura famulatrix loquebatur: néve in dubium nisi perfidus vocaret verba, quibus tam insolita omnipotentis facta pondus addebant: ne deníque viscera misericordiæ contra quascúmque mortalium calamitates semper aperta nescirentur, quæ tam profusè speratam in ægros miserósque salutem egurgitabant.

Matth. 12. *v.* 10.

9. *v.* 20.

PRODIGIA.

ET verò te, Dilecte mi, Deum Dominúmque agnoverunt *venti*, quibus *imperâsti*: *mare*, quod compescuisti: fluctus, quos *calcâsti* & Petro calcandos substravisti. Te cæli terræque moderatorem prædicavit fontana, quæ *in vinum conversa* se ipsam obstupuit: *piscis*, qui novus quæstor staterem ex oris ærario tibi Petróque ministravit: ea quoq; *piscium multitudo*, quæ ultrò se retibus, te sic volente ingerens discipulorum *naviculas implevit.* Illi etiam *quinque panes*, qui pascendis *quinque millibus* & ampliùs, te largiente, annonam uberem præbuerunt. Te denique vitæ mortísque arbitrum mors ipsa sensit & adoravit, quando tuo jussu puellam, puerum *Lazarúmque* jam *quatriduanum* ac *fætentem* vitæ restituit. Te supremum utriúsque mundi Monarcham, malorum vindicem Deíque filium confessæ sunt damnatæ ex inferis legiones, tuo imperio ex obsessis corporibus pulsæ, fugatæ, atque in *porcos* vel orcum relegatæ.

Matth. 8. *v.* 26.
14. *v.* 25.
Ioan. 2. *v.* 9.
Matth. 17. *v.* 26.
Luc. 5. *v.* 7
Matth. 14. *v.* 17.

Ioan. 11. *v.* 45.

Matth. 8. *v.* 31.

Matth. 9. v. 4. Te *cordium renúmque ſcrutatorem* experti ſunt vel ipſi hoſtes Phariſæi, qui ſuas à te *cogitationes* inſpectas, occulta in præcordiis ſcelera liquidò deprehenſa, conſilia mirificè detecta erubeſcebant, dolebant, ringebantur.

Infinita ſim oportet, ſi, quæ ſupra conſuetum naturæ ordinem viréſque triennio patrâſti, mente voluere, aut verbis complecti velim. *Matth. 4. v. 25.* Nónne *ſecutæ ſunt te turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ieroſolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem totáque Syria, & obtulerunt tibi* omnes *malè habentes, variis languoribus & tormentis comprehenſos, & curâſti eos*? *Marc. 6. v. 56.* Nónne *quocúmque introibas in vicos & in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, ut vel fimbriam veſtimenti tui tangerent, & quotquot tangebant ſalvi fiebant*? *Joan. 21. v. 25.* Vt paucis omnia dicam, *multa alia* feciſti: *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*? O Excellentia! O charitas omnipotentis medici! O manifeſta Dei hominis argumenta! O magna Dilecti miracula! ſed majus omnibus miraculum Dilectus!

Et ſint tamen etiamnum de perfida Hebræorum gente duriora aheno pectora, maleſana capita, infelices eorum, qui hæc oculis uſurpârunt, poſteri, qui te, mi JESU Deum verum, naturæ auctorem, cæli terræque Dominum audeant inficiari? iſtíne ſoli tanti eludant medici patientiam? annon meritò deſeruntur, quos obſtinatio facit incurabiles; dum ſtupendus è cælo Soſpitator ſanare ſatagit univerſos, adeóque naturæ vim facit, mortis jura legéſque perfringit, dæmonum quóque rabiem coërcet, regnum devaſtat, tyrannidem exarmat.

At quorſum hæc omnia? mi Dilecte, quid his ſpectabas admirandis corporum curationibus? Niſi ut animis medelam faceres? Dediſti lumen oculis, ut anima videret: ſurdas aperuiſti aures, ut ſpiritus cæleſtes hauriret voces, ſolviſti linguæ vincula, ut mens Deo laudes cantaret; ab-

ſter-

ster sisti lepram corporis, ut ex animo peccati scabiem proscriberes: reddidisti languidis vigorem membris, ut fatalem mentis paralysin simul depelleres. Hic tibi finis, hic scopus erat: Deo gloriam, tibi animas, æternam animis salutem conciliare.

Ad te ergo, mi JESU, mi protophysice, mi thaumaturge festino, ad te confugio. En ut sum cæca, aut certè lusca! nil dissimulo, quia te nil celare valeo. En, ut ægrè divinos audio susurros! ut in laudem tuam ballutio! ut ad obsequium tuum languesco, ad amorem frigeo, rigeóque ad progressum in virtute! ut malignis cupiditatum febribus æstuo! quantis non rarò procellis obruor! quibus inconstantiæ fluctibus huc, illuc jactor, & tantùm non mergor! O ubi te inveniam? quando te mihi quoque propitium sistes? quando mirificam extendes super me manum? quando pro imperio compesces ventos, sedabis fluctus. Fac oro, ut *vel fimbriam vestimenti tangam, & salva ero.* Dic obsecro & mihi: *Respice; Adaperire; Mundare: Surge: Tolle grabatum tuum & ambula.* Et mox videbo, audiam, loquar: munda ac sana surgam, ambulabo, exclamabo: *Non est similis tui in Diis Domine, & non est secundùm opera tua!* An vis, ut quem in Synagogis & templo, in urbibus & villis, in campis & desertis jam diu quærito, etiam in Thaboræo monte te quæram? non abnuo: quò altiùs enitar, eò propiùs accedam. Tres quidem solos ex omni tuorum numero selegisti comites; si me quartam pro appendice rejicis, admitte ut umbram.

Psal. 85. v. 8.

§. LI.

TRANSFIGVRATIO.

O Mons! O Thabor! quàm admirabile mihi exhibes spectaculum? Meritò super vicina montium juga coronatum excelsúmque verticem attollis. Nullus pulchriorem

rem Cælicolis terrigenísque scenam præbuit. Rectè tibi à puritate & electione nomenclatio est. Nullus diviniores habuit hospites, nullus tam puros atque electos. Me igitur fortè excludes? Non nego tam celsum sacrúmque fastigium profanis pedibus inaccessum, ideòque & JESUM meum delectu habito ex omni suorum numero tribus tantummodò, ut secum scanderent, concessisse; quantis viris? duos insuper ex paradiso & limbo evocatos adjunxisse; angelósne dicam, an homines? Me tamen, ut spero, non prohibebis. Dilectum quærenti nullum non patére locum vult Dilectus: qui etiam cælos amanti pandit.

Dilectus, Choragus. *Matth.* 17. *v.* 3. *v.* 1. *v.* 5. *v.* 2.

O quàm splendidum hîc se mihi aperit theatrum! Videor profectò mihi videre JESUM meum cum *Moyse* & *Elia*, velut actores in proscenio: Tres viros Galilæos, *Petrum*, *Iacobum*, *Ioannem*, in choragio: æternum *sub nube* Patrem post scenam latitare: totam cæli curiam in Orchestra & quatuordecim considére. O quæ actio? quis habitus? qualis repræsentatio? Comœdia mœsto exitu finienda? an tragædia læto fine claudenda? Vtráque, nisi fallor, miro artificio contexta, totius námque dramatis historia est: Divinæ gloriæ simulacrum, Christus *transfiguratus*, sed crucifigendus: simúlque inauditum patientiæ prodigium: Christus extrema subiturus supplicia, sed brevi in vitam rediturus.

PROLOGVS.

Luc. 9. *v.* 29.

QVid prologo exquisitius? quem Actorum Princeps recitavit, *dum oraret*. Tu, mi Dilecte, orando initium dedisti: tu Cælites invitâsti ad audientiam: tu compendio totius historiam vitæ, quæ aliud non erat, quàm oratio & Passio, ob oculos posuisti. Orâsti: sed quâ sacrati corporis compositione? quo mentis ardore? quâ animi demissione, quibus ex corde suspiriis, ex oculis lacrymarum rivulis, ex ore verborum scintillis? Optima sanè prolusio, talis est Oratio.

ACTVS

ACTVS I.

QVid mirum, si mox primus Actus tantum habuit splendoris? Quàm enim mirabiliter personam mutâsti? quando *facta est species vultûs tui altera*, & *resplenduit sicut Sol*: quando *vestimenta* tua *facta sunt alba sicut nix*, & *splendentia, qualia fullo non potest super terram candida facere*. O ut hanc ego gloriam ex animo tibi gratulor! quàm prolixè tecum de tantâ felicitate gaudeo. Si tam immensa est vultûs vestiúmque elegantia, quanta erit animæ, quanta ipsius denique divinitatis majestas! O frons! ô oculi! ô aures! ô genæ! ô labra! Sole sereniora, pulchriora stellis: unde vobis hæc lux? hæc gloria? hæc amœnitas quam specto? quæ erit colli & pectoris venustas? quis brachiorum & cordis nitor? quæ humerorum cæterique corporis stupenda claritas, quam non cerno? Vnde autem hic membris vestibúsque fulgor? unde cælestes istæ affluunt deliciæ? nisi à beata anima, divinitati juncta? Et hunc tu fluvium splendoris ac felicitatis, Dilecte mi, ipsos ferè tres & triginta annos, ne in sanctissimum corpus se evolveret, tam pertinaciter inhibuisti? ô patiendi amor! ô honoris odium! ô majus humano sensu consilium, tantam occultare gloriam! tam innocentem reprimere voluptatem!

Luc. 9. v. 29. Matth. 17. v. 2. Marc. 9. v. 2.

ACTVS II.

HAnc ut spectarent *Moyses & Elias*, & ipsi *in majestate* prodiverunt, quorum ille tragico cothurno commemorabat Aaronis virgam prodigiorum effectricem, tuæ Crucis figuram: fœderis arcam, tui corporis umbram: mare rubrum tui sanguinis, petram percussam tui lateris, serpentem æneum tuæ mortis symbolum: iste verò jam puerum Crucis figurâ redivivum, *nubeculam quasi vestigium hominis,*

Luc. 9. v. 31.

minis, *optatam grandis pluviæ* parentem, ſub *cineritium panem grandis viæ* annonam, *currum igneum*, cæli vehiculum referebat: jam aliorum Prophetarum oracula, Davidis *fel & acetum*: *Eliſæi ſepulchrum*: *Iſaiæ ovem occiſioni* deſtinatam, *virúmque dolorum*; Jeremiæ verbera & vincula: Zachariæ *confixionem & plagas in medio manuum* recitabat: verbo, *dicebant exceſſum, quem completurus eras in Ieruſalem.*

3. Reg. 18. v. 24. 3. Reg. 19. v. 6. 4. Reg. 2. v. 11. Pſ. 68. v. 22. 4. Reg. 13. v. 21. Iſa. 53. v. 7. v. 3. Zach. 12. v. 10. & 13. v. 6. Luc. 9. v. 31.

Næ, actus quidem hic ſecundus eſt, ſed admodum luctuoſus! Quid enim audio? *exceſſus*? Ergóne, mi Dilecte, excedere poteras? Ah! utique *exceſſus* fuit, quando flagellis laceratus, ſpineâ redimitus coronâ, Cruce opprobriiſque onuſtus nter latrones carnificéſque Solymis exceſſiſti, ut Golgothæum clivum aſcenderes pro mundi ſalute immolandus. O *exceſſus* amoris! communem amandi conſuetudinem, patiendi terminum, obediendi limitem transgreſſus! Et nos viles animæ tam parcè amamus! tam ægrè adverſa perferimus! tam ſegniter paremus, inter tam mira ſpectacula etiam cum Petro ſociiſque *gravati ſomno* torpeſcimus!

Luc. 9. v. 32.

ACTVS III.

QVid agis Petre? tertius jam te tuóſque actus vocat. Nondum expergiſceris? Si ſpectator ades, paſce oculos: ſi actor, loquere. Tandem excutis ſoporem, vides *majeſtatem* Magiſtri, admiraris, gaudes, & jam te non capis. *Domine*, inquis, *Bonum eſt nos hic eſſe*; *ſi vis, faciamus tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Bene habet: præclarè tuam, id eſt, hominis apprimè ſimplicis perſonam egiſti. *Neſciebas* profectò, *quid diceres.* Numquid, Dilecte mi, utique *bonum* eſt tecum *eſſe*: tecum ajo, ò ſapientia, ò veritas: tecum ò Iuſtitia, ò ſanctitas: tecum ò immenſitas, ò æternitas: tecum ò pulchritudo, ò ſuavitas, ò divitiæ, ò gloria, ò ſalus, ò vita: *Bonum* omnino, jucundum bea-

Marc. 9. v. 5.

beatúmque est. At non tantùm *hîc*, inter delicias & gaudia, in pace & otio, in luce in gloriâ; sed & in oliveti horto, in prætorio, in Calvariæ macello, inter injurias & scommata, inter dolores & tormenta, inter cruces & mortes. *Bonum est*, procul esse à mundo, te contemplari, tibi adhærere; at *hîc* non licet diu. Apage tua Petre *tabernacula*; aliô mea me trahunt desideria. *O quando transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad Domum Dei?* Longè pulchriorem machinam quartus in theatrum Actus adducit.

Psalm. 41. v. 5.

ACTVS IV.

E*Cce nubes lucida!* quàm eleganter formata! quàm vivis coloribus expicta! quàm commodè ad umbram desuper suspensa! quàm blandè *intrantibus* circumfusa! Siparium scilicet Patris, velamen inadspectabilis majestatis, gloriæ tralucentis involucrum! Quem non sacro quodam horrore simul & gaudio perfundat? *Et ecce vox de nube*, sonora & gravis, ex æquo dulcis ac divina: quæ aures mulcet, cor pervadit, mentem accendit, rapit, suspendit: *Hic est filius meus dilectus*, imò *charissimus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.*

Matth. 17. v. 5. Luc. 9. v. 34.

Matth. 17. v. 5. Marc. 9. v. 6.

O Pater æterne! *Hic est filius* tuus; & illum tu nobis dedisti fratrem? *Dilectus* meritò *& charissimus* est; quia unus tecum Deus; & tamen adeò tristis illi *complendus* fuit *excessus?* in illo tibi benè *complacuisti*, & tantis illum tormentis laboribúsque exercebas? ut rebelli servulo parceres, de innocenti Nato pœnas exegisti? ô stupendus amor! ô incomprehensa bonitas! Laudent te Cæli, adoret terra, mortales juxtà & immortales encomiis celebrent sempiternis. Sed & *meus est Dilectus*, & ego *in eo mihi complaceo*: meus ille est amor, mea spes, voluptas mea, finis & centrum meum; ad illum propero, ut audiat clamo: ut loqua-

tur oro, quia audire gestio. Dum vixero, audiam; dum audiero, vivam.

ACTVS V.

ET quis te non avidè hilaritérque audiat? Dilecte mi. Non multa Pater verba fecit, cùm mox Petrus & socii *ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè.* Quis enim tantæ majestatis vel tenuem ferre queat stricturam? O felix casus, quem profunda creat demissio! dum terra terram se meminit, dum pulvis divinitatis umbram intuitus in suum se nihilum recondit. Numquam altiùs insurgit animus, quàm cùm sic in terram corpus prosternitur. O præstans timor, quem religio peperit, incussit majestas, charitas cognatum agnoscit. Qui sic timet, quod porrò timeat non habet.

Matth.17. v.6.

Jacebant ergo sic attoniti, Apostoloru mPrincipes & Heroës totóque trepidabant corpore; At tu novam illico personam, depositâ majestate accepisti, ut quos tremenda Patris potentia rectè prostraverat, materna Filij dulcedo piè erigeret. *Accessisti* protinus ad jacentes: *tetigisti* pavidos, solatus es consternatos: *Surgite, & nolite timere.* Sic triplicato beneficio veluti lætissimâ catastrophe quintum divinæ metamorphoseos tuæ actum absoluisti.

EPILOGVS.

QVid aliud modò superest, quàm plausus cælo terráque maximus. Quid enim hoc spectaculo pulchrius? quid argumento dignius? quid actoribus potuit esse excellentius? At altum ubique silentium. Nimirum tu, Dilecte mi, spectatoribus pro Epilogo clarè gravitérque interdixisti. *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuus resurgat.* Ergóne tuam nemo loquatur gloriam! nemo præ-

præclara Moysis & Eliæ obsequia? nemo gravissimum sempiterni patris testimonium? Itáne ingrati taceant discipuli cælestem, quâ affluunt, voluptatem? stupendam Genitoris, quam è nube audivêre vocem? mirificam tuæ dexteræ, quam sunt experti, potentiam? O modestiæ miraculum! O gloriæ contemptus! Non quærit plausum hominis, quisquis Deo placere gaudet; neq; tamen sine plausu è theatro subducere se potest; Cælo, dum terra silet, applaudente.

§. LII.

INGRESSVS IN IERVSALEM.

QVid ad hæc mundi Sapientes, populorum Principes, Reges Gentium? quibus monstrari digito, per ora hominum volitare, fama posthumâ circumferri tota est beatitas? Discant tandem à divina sapientiâ humanarum rerum pretia, A te scilicet discant, Dilecte mi, quid famæ sibilus, quid honoris fumus, quid pompæ nebula apud Cælites momenti habeat. Tu quid sapientûm, quídque Regum sit, satis supérque docuisti: contemnere nimirum, quæ mundus æstimat; quæ despicit, amplecti. Tu, qui errare non potes, præluxisti facem: non potest falli, qui te sequitur: summa est sapientia, plausum explodere: vera majestas, pompam aspernari. Tu certè quanti inanem mundi plausum famámque fecisti; tanti quoque vanum terræ luxum pompámque æstimâsti; hoc est, nauci, flocci, nihili!

Dilectus, Rex.

Necesse erat, ut te Regem divinitus promissum orbi palàm faceres, regníque Davidici possessionem aditurus jus potestatémque usurpares. Regiam ergo ingressus es urbem. Sed quo apparatu? paupere: quo splendore? nullo: quâ stipatus procerum coronâ? piscatorum: quo ephebotum usus obsequio? paucorum è trivio puerorum: quâ cinctus

ctus satellitum custodiâ? inermis pauperisque plebeculæ: ubi generosus ex Epiro equus? ubi auro gemmisque distinctæ phaleræ? *asinam* rudi capistro *alligatam*, & *pullum* vilibus instratum pannis elegisti: ubi diadema, ubi sceptrum, ubi purpura? in Herodis aulâ conspuisti: ubi salutationes, munera, aulica Solymæorum officia? in probra indignationémque Pharisæorum versa fortiter excepisti. Non te præcessit clangor tubarum, non strepitus tympanorum, non stridulus buccinarum cantus; sed lugubre carmen ipse cecinisti, quando *videns civitatem flevisti super eam*: turbis interea acclamantibus: *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini. Benedictum quod venit regnum Patris nostri David.*

Matth. 21. v. 5.

Luc. 19. v. 41. v. 38. Marc. 11. v. 10.

Neque tamen hac gloriæ despicientiâ regiam contaminâsti majestatem. Stetit tua tibi inconcussa auctoritas; quia sibi semper constitit vitæ morúmque sanctitas. Primas esse Regum partes, Religionem, Iustitiam, Clementiam rectè arbitratus, non marmoreum occupâsti palatium, non eburneo paratam solio domum; sed mox *intrâsti in templum Dei, & ejecisti omnes vendentes & ementes.* Non inspexisti ærarium, non imposuisti tributa, non aditum dedisti adulatoribus, non delicias sectatus es; sed calamitosos egenósque miseratus, *cæcos & claudos*, qui *ad te accesserunt, sanâsti.* Non otio, non ludis, non venationibus horas diésque malè combussisti; sed ut jus diceres, justitiam stabilires, morésque in melius commutares; quamvis *Principes Sacerdotum & plebis quærerent te perdere*, nihilominus *docens quotidie in templo* sollicitus æqui rectique magister esse magnanimitate regia perseverâsti. Hoc demum est esse Regem: omnia posse; non nisi justa facere; alios in potestate habere; sibi imperare: dignitatem non in periturâ regni umbrâ ponere, sed in æternâ virtutis luce collocare: calcare mundum, cælo imminere. O Rex! ô Dilecte! invideo hanc ingratæ Solymæ felicitatem. O quando in animæ

Matth. 21. v. 12. Luc. 19. v. 45. Matth. 21. v. 14.

Luc. 19. v. 47.

nimæ meæ regnum te excipiam? Si jumento indiges, ecce me! sed modò non asinâ, non pullo opus habes, *qui facis nubem ascensum tuum, & ambulas super pennas ventorum. Veniat*, oro, jam *Rex meus mihi mansuetus*, ne quondam irruat, Iudex severus. En! modò meus tibi occurrit spiritus, ad te festinant vota, preces, desideria: jam veteris hominis *vestimenta* tuis pedibus substerno: jam *gaudens laudare Deum* gestio, cantare incipio. *Osanna in altissimis.* Si tacuero, *lapides clamabunt*: Sed lapis ante fiat Philothea, quàm lapidi te laudando atque amando cedat.

Ps. 103. v. 3
Matth. 21. v. 8.
Luc. 19. v. 38.

Tu Rex *mundi* totius & *omnis terræ*: quis major? *Rex sæculorum & immortalis*: quis felicior? *Rex Regum & Dominus Dominantium*: quis sublimior? *Rex gloriæ & virtutum*: quis augustior? *Rex exercituum* & majestatis: quis potentior & clarior? *Rex justitiæ & pacis*: quis sanctior & amabilior? *Tu solus bonus Rex*, liberalis & clemens: *solus præstans*, pulcher & dives: *solus beatus & potens*, æternus & sapiens. Et talem ego Regem non amem? non timeam? non laudem? non adorem? ò utinam pari cum Angelis & Archangelis reverentia: æquali cum Principatibus Potestatibúsque laudum encomio: æmula Virtutibus Dominationibúsque Religione: non minore, quàm Throni, Cherubim Seraphímque amore prosequi te queam!

2. Machab. 7. v. 9.
Psal. 46. v. 8.
1 Tim. 1. v. 17.
Apoc. 19. v. 16.
Ps. 23. v. 10.
Zachar. 14 v. 16.
Hebr. 7. 2. 2.
v. b Mach. 1. v. 24.
1. Tim. 6. v. 15. 16.

Interea exclamo cum turbis: *Benedictus qui venit*! canto cum pueris: *Osanna in excelsis*! Venis enim, non dubito, etsi moram trahis: non deseris amantem, quærentem, suspirantem famulam, qui ad ingratam, sacrilegam, tibíque infensam Solymam venire non dubitâsti. Illi tu lacrymas, ut mollesceret, affudisti. O quàm pretiosas divini capitis undas! Tibi ego lacrymas, ut venias, propino: ò quàm amaras oculorum aquas! jucundum tamen Dilecto poculum, quia sancti amoris philtrum.

§. LXIII.

§. LIII.

VALEDICTIO.

QVò me nunc vertam? Dilecte mi JESV, an quô tua me ducunt vestigia? Sic oportet, si te invenire est animus: sed ò quàm dura sunt & ardua, quámque tristem præsagire terminum videntur! Nam nisi fallor, alia me nunc Bethaniam vocant; alia ad cœnaculum, ad olivetum, ad prætorium, ac denique ad infamem Golgothæi clivi verticem: ista sudore, illa cruore madent. Quid? an sequi formido? an tepescit amor? an diligo, si pati metuo? Absit. Etiam, per sanguinolenta sequar vestigia. Quemcúmq; locum præeuntis Dilecti pes calcaverit, illum ego libabo ore, osculisque terram. Si non jam datur nôsse ubi sit: juvabit esse ubi fuit: nec me, quamdiu vestigia non desero, spes deseret inveniendi.

Dilectus, cypressus.

Age anima, Bethaniam propera. Viden? Marthæ Lazaríque castellum? turritam domum? vestibulum? atria? fornices? cœnationes? charas Dilecto ædes? At, quid sibi vult funesta ante fores cypressus? eheu! mortis symbolum, an Dilecti simulacrum? Intelligo, nunc denique factus est JESUS meus *quasi cypressus in Monte Sion.* Vale supremum dixit Matri: Sequenti luce se funus in Cruce futurum aperuit, mortísque nuncius suæ seipsum in materno pectore veluti cypressum defixit, longi mœroris seminarium.

Eccl. 24. v. 17.

Dolor Matris.

Ergóne Matrem deseris, Dilecte? & talem támque tibi charam Matrem? Equidem valere illam jubes: at quomodo valebit sine vitâ? an vivet sine animâ? Lunæ solem intercipis; quid expectandum nisi luctuosa Eclipsis? En, ut mœstas afflicto pectori manus decussatim apprimit, suspiria mittit ore, lacrymas ex oculis spargit, toto vultu expallescit! Si abis, obit illa; quia cor illius tecum auferes. Enimverò non sic Abraham Isaacum, non Isaac Jacobum, non hic Josephum

ſephum: non Davidem Jonathas, non Abſolonem David, non denique ulla Matrum ſic intimis innatam animæ medullis prolem tenerè dilexit. ut illa te ſuum Deique communem filium. Parem ergo pariet amor dolorem; dolor, niſi mederis, mortem. Quanto te gaudio ſibi donatum à cælo ſuſcepit, tanto te luctu & tormento in pœnas iturum à ſe dimittit. Jam illa funes, catenas, fuſtes animo ſuo præcipit: jam alapas, ſputa, ſcommata tua perſentiſcit: jam flagella, ſpinas, arundinem: jam crucem, clavos, lanceámque in corde gerit: jam mori incipit.

Commiſeratio Filii.

At cur iſta tibi occino Dilecte? nemo virgineum Matris pectus penitiùs, quàm ipſe Filius introſpicit, & rimatur. Doles cum dolente, cum pallida mœſtáque mœrore ac pallore conficeris, argumento evidenti, quòd amantiſſimam tui parentem non minùs ægrè deſeras, quàm dimittaris. Non enim ſic univerſum genus hominum amas: non ſic totam Beatarum mentium multitudinem æſtimas, nec infra Deum quidquam pluris facere potes, aut amare, quàm ſacratiſſimam Dei tuámque Matrem. Ille ergo *gladius* doloris, qui crudeli vulnere afflictam genitricis *animam pertranſit*, tuam quoque mentem geminatâ cuſpide transverberat. Sed premis altum generoſo pectore dolorem: tuum diſſimulas vulnus, ut maternam lenias plagam; blandis demulces ſermonibus, paterna explicas imperia, humanæ calamitatem gentis exaggeras, immenſam divinæ charitatis vim atque excellentiam cauſaris, reditum gloriâ lætitiâque pleniſſimum tertio abhinc die certò certiùs futurum ſpondes: atque ita detergis lacrymas, dolorem mitigas, Matrémque æger ægram relinquis. O ſeparatio acerba! O dolor cordis! O luctus ſolitudinis! Diſcedit â Matre filius, atque in immanes pœnas ipsámque mortem diſcedit. Orba manet filio parens, in ipſas, ſi liceat, ruitura acies. Abit ille ex oculis;

Luc. 2.v. 35.

hæc ſequitur mente. Recedit & hic, & illa corpore; nec hic, nec illa latum unguem â divina voluntate.

Sic nempe decebat cypreſſum; cui mens recta pro ſt i-pite eſt, facta inſignia pro ramis. Hi nempe non terram ſed cælum ſpectant, atque in conum deſinunt; ita Dilecti conſilia, dicta, facta ad Deum, totius univerſi centrum, veluti cypreſſi brachia ſe attollunt. Bene habet: numquam putreſcet hæc cypreſſus, non mortis præda, ſed arrha immortalitatis; cadet equidem funeſto impulſa turbine; at reſurget, ſtabit, creſcétque immenſis aucta gloriæ incrementis. Interea, ò mœſta parens, quantis poſſum maximis oro precibus: ignoſce. Ego tui ſum cauſa doloris: ego filium à genitrice ſeparavi: diſceſſit ille à Matre; quia ego à Patre; Ne me deſerat, te relinquit: ſi tamen relinquit, qui tui pars maxima, vel mortuus te vivente vivet. Ream ego me tibi ſiſto, fateor culpam, fero ſententiam, decerno pœnam. Tecum ut lugeam, quia hunc tibi luctum peperi: & quia Filius meâ te cauſâ deſeruit, ego Filium nec inter vincula, flagella, cruces deſeram: imò pro te Filióque mille vincula, flagella mille, mille cruces necésque feram.

§. LIV.

C OE N A.

PErgo igitur, atque ad cœnaculum feſtino; ibi inventura, quem ego quærito, Dilectum, ægrè Bethania à ſe dimiſit, Solyma excepit domo. Ad montem Sionis propero: ubi, ut audio, amicis epulum daturus eſt: triumphale dixerim, an funebre, perinde eſt: certè ante funus, ante triumphum, novo more, antiqua liberalitate. Ecce pro foribus vitis ſpicarum manipulo illigata. Ergóne panis vinúmque totam conficient epularum magnificentiam? Profectò! Quis

enim

enim dubitet, quin *frumentum electorum, & vinum germinans virgines* præ regio sint convivio? Si seipsum dederit Dilectus, quis lautiùs cœnare cupiat? ipse frumentum, ipse vitis: ipse panis, ipse vinum: convivator & conviva, in cænaculo convivium apparat, cœnam instruit, charistia celebrat. O si & me ad hanc cœnam, ut saltem analectis fruar, admittat!

Zachar. 9. *v.* 17.

Dilectus, vitis & cœnæ caput.

O verè *cœna*, instituta scilicet, cùm sol justitiæ Christus ad occasum properaret, jam jámque rubri sanguinis mari esset immergendus: verè cœna, post quam Cœli Dominus philtro Eucharistico sopitus in duro crucis lectulo obdormivit, nec ante diem tertium surrexit: *cœna magna* quam *fecit homo*, sed Deus: ad quam *invitat* non solùm *multos*, sed omnes: duratura non horas, dies, annósve complures, sed usque ad finem mundi, ad initium æternitatis: cœna prorsus admirabilis, in qua *sapientia miscuit vinum, proposuit mensam*, Charitas structorem agit, & pro esca præbet medullam divinitatis! Vbi agnus agnum cómedit, Angelorum panem manducat homo, vitis una totum satiat orbem: ubi cœnaculum fit templum, mensa altare, hospes hostia, convivæ sacerdotes, panis caro, vinum sanguis, pastor cibus, Dilectus epulum, medicus ipse pharmacum immortalitatis.

Luc. 14. *v.* 16.

Proverb. 9. *v.* 2.

ANTECOENIVM.

AN non par erat, ut ipsos mille quingentos quadraginta annos Paschalis agni manducatio, velut antecœnium præiret? mei nempe typus Dilecti? Ille, ille est *agnus sine macula* peccati, *masculus* virtute, *anniculus* æternitate: ille *immolatus* est ab impia Hebræorum gente *ad vesperam* Moysaicæ legis antiquandæ: illius *sanguine in postibus* animarum *posito* arcetur *percussoris* Angeli dextera: ille charitatis *igne assus*, cum *azymis* sinceræ fidei & *agrestibus* pœnitentiæ *lactucis*, rectè comeditur: semper sumitur, numquam absumitur:

Agnus Paschalis luctuosus Christi typus.

Exod. 12. *v.* 5. & *seq.*

mitur: manducatur totus, totúſque manet: dividitur inter omnes, à nemine laceratur: mactatus ſemel ſemper vivit: fallit ſenſus, paſcit animas. Et hunc tu paſchalem agnum Dilecte, comediſti? *accinctus renes, calceamenta habens in pedibus, tenénſque baculum in manibus*? Ah! quis tibi tunc ſenſus erat, quando te ſic proximè ligandum, jugulandum, nudandum; tuo ſanguine hortum, tribunalia carnificéſque aſpergendos cogitabas? quando te inter flagra ſpináſque diſcerpendum, maledicis rodendum dentibus, felle & aceto macerandum, non baculo nixum, ſed funeſto ſtipiti affixum ex hâc vitâ tranſiturum providè intelligebas? Sed placuit tuæ pietati hunc etiam deglutire bolum, ut legem legislator, dum ultimùm obſervas, aboleres; pro umbra lucem, libertatem pro ſervitute, pro lege gratiam mundo afferres: unum pro mille agnorum millibus: agnum Dei, te ipſum fidelibus epulandum proponeres; convivio quidem publico, ſed non niſi pedibus mundis, puríſque mentibus adeundo.

BALNEVM.

Lavatio pedum.

AT ubi terrarum gentiúmque ſcaturiunt thermæ lavandis animis idoneæ? an in cœnaculo? quis mihi fons tam ſalutares dabit aquas? an Dilectus? Non fallor. En balneum, quod Dilecti chara humilitas, humiliſque charitas paravit: En, hîc pelvis, aqua, linteum: hoc in loco, *cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* O vera charitas! ideóque *ſurgens à cæna poſuit veſtimenta, & cùm accepiſſet linteum* præcinxit ſe: hîc miſit aquam in pelvim, & lavit pedes diſcipulorum. O mira humilitas!

v. 1. Joan. 13. v. 4. & 12. Inſigne demiſſionis exemplum

Nimirum vitis antè fundit aquas, quàm vinum, & quando alias non habet, ex oculis dat lacrymas, ut alienam ſuo vulnere ſumptúque curet ophtalmiam. Ita & Dilectus, dum ſordibus pedes abluit, ab oculis tumidorum mortalium glau-

glaucoma abſtergit, lavat ut mundet: ſe demittit, ne quis alius ſuper cæteros ſe erigat: quod fieri vellet, exemplo docet, atque antè facit, quàm dicat: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Et vix tamen eſt, quem tam illuſtre moveat exemplum! ò inſana mortalium ſuperbia! ò immenſa Dilecti ſe demittendi cupiditas!

v. 15.

Non ergo ſat tuam depreſſiſti celſitudinem, mi humillime JESU? quando ſtabulum pro domicilio, præſepe pro cunis, fabrum pro patre, pro aulicis paſtores, regius imò divinus infans naſciturus elegiſti? etiámne vir jámque mundi magiſter, Dominantium Dominus, Princeps Regum terræ, Rex gloriæ, Deus majeſtatis volebas malè cinctus, flexis genibus, demiſſis oculis, ſuavi geſtu, amabili vultu, hilari corde, humi ſerpere, & non capita tuorum, non facies: non manus, ſed ſordidos contrectare pedes, amplecti leniter, lavare ſedulò, blandè tergere, atque ita veluti mediaſtinorum infimus viliſſimum illis exhibere obſequium? Abrahamus, quando *apparuit ei Dominus, cucurrit in occurſum eorum*, quos Dei perſonam ſe gerere non neſciebat, & dixit: *afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes veſtros*, an lavit? Tu cæli Conditor ipſe *linteum* prehendis, *pelvim* corripis, ipſe *aquam mittis*; ab alio ad alium adrepis: ipſe attonitus das animos, renitentibus imperas: ipſe *lavas pedes* non Angelis humanos vultus indutis, non coronatis ſceptrigeriſque Regibus, non Sapientibus aut charis genitoribus; ſed plebeis, egenis, rudibus: de telonio, vel navicula evocatis diſcipulis, quos inter alium fore perfidum proditorem, perjurum alium, cæteros fugitivos paullò pòſt eſſe futuros, probè noveras? Annon ad hanc demiſſionem tremit, ululat, uritúrque inferorum ſuperbia? annon obſtupeſcit beatarum mentium modeſtia? annon mortalium quoque ſtolida tandem erubeſcet ambitio?

Gen. 18. *v.* 1. *v.* 4. & 5.

O manus nobiliſſimæ! ò palmæ delicatæ! ò digiti pul-

Matth.8. v.3.& 15. 9.v.29. v.25.

cherrimi! Dicite Diſcipuli: nónne qui ante vos ſe proſternit, *is extendens manum tetigit leproſum & mundata eſt lepra? febricitantem tetigit, & dimiſit eam febris? tetigit cæcorum oculos, & aperti ſunt? tenuit mortuæ manum puellæ, & ſurrexit?* acceptis quinque panibus, plus quàm quinque millibus hominum annonam diſtribuit, & ſaturavit? Divinæ ſunt ergo hæ manus: & veſtris illæ admoveantur pedibus? Quid facis Petre? an hoc tibi exhibendum à magiſtro miniſterium admittis? rubore ſuffunderis? times, trepidas, deprecaris? rectè: ſic decet tremendam æſtimare majeſtatem tibi ad geniculantem. At etiam repugnas? refugis? atque obſtinato detrectas animo? Cave: non ſic ſe demittit modeſtia, ut ſuccumbat obedientia: non ſic pugnat vera humilitas, ut plagam accipiat charitas. Quis peccati labes abluat, niſi qui ſolus labe caret? ſi lavari abnuis, aut mundum te æſtimas, aut eſſe mundus negligis. Qui pedes lavat, etiam corda mundat: illos aquâ, hæc cæli rore. Si ſapis, exclamas: *Domine non tantum pedes, ſed & manus & caput.* Neque hoc ſatis: obſecra porrò: *Domine*, non tantùm *manus & caput*; ſed & os & linguam, cor & ſtomachum, corpus atque animam. Sic denique intus & extrà probè lotus ad lautum, quod charitas præbebit, epulum rectè accedes.

Io.13.v.9

EPVLVM.

Euchariſtia.

Levit. 24. v.6.

VIdeo certè *menſam* in hoc cœnaculo, ſed *puriſſimam*: non flaveſcente Ophiris gleba, ſed ſidereo Charitatis auro tectam: ſpecto *panem* non è tellure genitum, ſed de cælo miſſum: negatum angelis, hominibus paratum: cerno *vinum*, non è calcata uva expreſſum, ſed æthereis effuſum cellariis; ut mentes ſerenet, non evertat. Nimirum hoc in loco JESVS meus, *cùm dilexiſſet ſuos*, ita *in finem dilexit eos*, ut latiùs altiúsque ſuam extendere dilectionem nequeat.

Io.13.v.1.

queat. Convivium paravit plus quàm regium: Sapientiæ invento, ſumptu omnipotentiæ, imperio charitatis.

Quis magnum amoris exceſſum ambigeret, dediſſe maceratas aceto margaritas, regnorum pretia, bolo unico vel ſorbitiunculâ parvâ abliguriendas; At hoc parùm erat Dilecto. Quidquid habet terra cælúmque boni, unâ incluſit bucceâ, paucis guttulis propinavit, quando ſeipſum in eſcam potúmque præbuit. Obſtupeſce natura, lætare charitas: faceſſite ſenſus, exulta fides: obmuteſce perfidia, triumpha veritas.

Omnis bóni ſummarium.

Qui cælum terrámque ex nihilo produxit, *accepit panem* in manus, dixit, fecítque dicendo *corpus* ſuum: prehendit vini *calicem*, dixítque & dicendo fecit, ut eſſet *ſanguis* ipſius: Atque ita non panem & vinum; ſed ſub panis viníque ſpecie carnem ſuam & ſanguinem, corpus & animam, humanitatem Deitatémque diſcipulis primò impertivit: illorum quoque miniſterio fidelibus usque ad mundi finem, ubi & quoties libuerit, ſumendam inſtituit, epulo ſacroſancto, atque ipſis angelis admirando. O prodigium liberalitatis!

Matth.26. v.26. v.27.

Summæ dilectionis ſignum.

Io.15.v.5. Io.6.v.52, & 57.

Nunc enimvero oſtendis, ò Dilecte, quàm verè dixeris: *Ego ſum vitis, vos palmites. Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo.* Quàm latè per habitatas mundi plagas Romana ſe fides explicat, tam amplè ſacra hæc vitis ſuas extendit propagines, tam latè Euchariſticum fluit *vinum*, tam longè *manna* cælo pluit, ut fideles animæ divinitate ſaginentur. Paſſim videre eſt tuos *palmites*, Apoſtolorum ſucceſſores, ſacris initiatos homines, toto orbe diffuſos, qui, tuo viventes ſucco, quoties id, quod facere juſſeras, executuri tua verba pronuntiant: toties tuo juſſu, tua auctoritate eumdem *botrum* proferunt, *panem de cælo vivum* momento citiùs evocant, tuam *carnem ſanguinémque* intra mortalium viſcera abſcondendum diſtribuunt. Mi

Proverb. 8. v. 31.

Mi JESU, itáne te delectat, *esse cùm filiis hominum*, ut te totum vilissimo cuique homulo epulandum tribuas? hócque unicè cures, ut *ille in te, tu in illo* intima conjunctione unitus *maneas*? an Majestatis tuæ oblivisceris? an ignota tibi est humanæ conditionis vilitas? an charitas tua modum, finem legémque tenere nescit? quæque Deum fecit hominem, insuper & Deum hominem hominibus cibum potúmque facere debuit? Quis umquam pastor oves? quæ mater liberos? quis amans amantem tam splendidè ad gloriam, tam sumptuosè ad pretium, tam dulciter ad voluptatem pascere aut velit, aut si velit, possit? O miraculum dilectionis!

Omnia obstacula perrumpentis.

Hanc ergo legem ipsi tibi sanxisti? ut ad paucula mystæ, etiam scelerati, verba, quoties illi allubescit, tu qui *ad dexteram Patris* resides, sub modica panis viníque specie, in sacrificantis manibus te præsentem sistas? huc illuc te versari, ferri, attolli, deponi, includi patiaris? & veluti captivus amoris, quamdiu species permanent, latitare non graveris? in ora mortalium sæpe graviter olentia, ínque viscera quamvis immunda ingredi, ibidem inter stomachi sordes jacére sustineas?

Quod si hæc tibi parva sunt, non te deterret, piissime Domine, ingens multorum impietas? an nescis, quoties sacrilegis tangendus sis manibus? quoties à damnata veneficorum fæce calcandus pedibus? à nefanda Judæorum turba confodiendus stylis; tundendus malleis? cremandus ignibus? ad sanguinem úsque spinis lacerandus? à scelesta sectariorum turba abiiciendus in terram, aliísque modis indignissimis sis habendus? O excessus! O invicta vis! O immensus ardor divinæ charitatis! præscius tot injuriarum, tuo ut amori facias satis, tanti me facis, ut hæc omnia meâ causâ nihili facias: imò, quasi nonnullum operæ pretium sit, ista pati, etiam naturæ vim infers, atque omnipotentiam amori jubes obtemperare.

Mirum mirissimum.

Quis

Quis enim te in cælis Patri assidentem tot millenis simul locis collocat; quis virilem corporis staturam sine imminutione in parvum orbiculi spatium compingit? quis totum in tota hostia, simúlq; in singulis micis te totum sine contritione sistit? quis panis viníque substantiam in nihilum reducit, eorúmque accidientia sine subjecto conservat? nisi omnipotens tua voluntas? quis facit, ut fractâ in partes hostiâ non frangaris? ut jam sedecim hucusque sæculis à fidelium innumera multitudine toties sumptus sumendúsque non consumaris? ut duobus digitis grande viri corpus succosa carne ossibúsque compactum, ceu levis plumula portari queat, nisi omnipotentis Verbi virtus?

Omnia nimirum potest charitas! Ista, mi Christe, huc te adegit: hæc imperatrix te Modimperatorem jussit, ut nova convivandi ratione unum apponeres ferculum numquam absumendum; quódque nemo potuit alius, nemo capit, ipse cibus & dapifer esses: hæc tibi auctor fuit, ut iturus in necem, ne totus à tuis recederes, in ipsa priùs corda illorum ingredereris, sicque moriturus pro ipsis, in ipsis viveres: corpora pasceres, animas impinguares.

O Convivium grande, convivium pinguium, convivium *vindemiæ*! *pinguium medullatorum*, *vindemiæ defæcatæ*! ubi pro pinguedine est summa humanæ carnis animæque Deo in eadem hypostasi unitæ sanctitas, pro *medulla* verò indivisa sacrosanctæ Triadis cum Filii divinitate unitas. O! ô hîc juvat esse mensarum asseclam, in hoc divino symposio sodalem esse Angelorum, ex hac cælesti quadra sportulam accipere, pro mille Asveri conviviis futuram. Est profectò aliquid in hoc sigmate accumbere, & non cum Miphiboseth *comedere panem super mensam David*, aut cum Daniele *esse convivam* Regis Assyriorum; sed comedere panem super mensam Christi, esse convivam Dei, pasci divinitate!

Isa. 25. v. 6 Conviviũ divinum.

2. Reg. 9. v. 8. *Dan. 14. v. 1.*

Ah quando & mihi fas erit ad hanc accedere mensam?

Aspiratio, ad sacram mensam.

hac pretiosa cæli dape vesci? hoc poculo levare sitim? Ah quamdiu jejuna macrescit anima mea, ardet & fatiscit siti, dolore contabescit? Aliam nolo mihi depluat cælum ambrosiam; nolo aliud nectaris mihi pelagus affundat. Ex hoc *pane* mihi vel mica sufficiet? una hujus *vini* guttula totum mihi spiritum inundabit. Quid verò me, nisi mea arcet indignitas? quid dignam faciet nisi Dilecti charitas? Erit, erit, cùm mihi quoque dicetur. *Surge & comede:* erit, erit, cùm Dilectus ipse me invitabit: *si quis sitit, veniat ad me;* cùm parciùs delibantem animabit, hortabitúrque: *dilata os tuum & implebo illud.* Tunc *sedebo sub tus* hanc *vitem meam, in pulchritudine pacis, & in tabernaculo fiduciæ, & requie opulenta.* Tunc *sicut adipe & pinguedine replebitur anima mea: tunc labiis exultationis laudabit os meum:* tunc toto corde meo cantabo læta: *sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Nunc verò necesse est, ut Dilectum *dicto hymno trans torrentem Cedron cum discipulis egressum* sequar tristem mœsta, paventem pavida, tædio & amaritudine plena omni solatio destitutum.

3 Reg. 19. v. 5.
Joan. 7. v. 37.
Ps. 80. v. 11
Mich. 4. v. 4.
Isa. 32. v. 18.
Ps. 62. v. 6.
Cant. 2. v. 3
Marc. 14 v. 26.
Jo. 18. v. 1

§. LV.

MONS OLIVETI.

AT quò se contulit? *an in villam Gethsemani?* quàm vereor, ne villosus eum canis invaserit Judas! ne rapidis præda lupis factus sit, Pharisæorum, Principúmque ministris! ne trans torrentem aquarum inciderit in calamitatum torrentem. An fortè in hortum? omnino; non ut deliciis vacet, sed dolores subeat: quásque Adam in Paradiso meruit, hoc loco ipse pœnas exoluat: *in montem olivarum!* rectè; nimirum, *ut oliva fructifera in domo Dei* sub torculari pressa gemat, oleum fundat, vulnera sanet aliena; ipsamet unum

Dilectus, olea.
Ps. 51. v. 10

toto

toto corpore vulnus, non jam ut amœna, pinguis, florida vernet; sed arida, concussa, mœsta squaleat.

TRISTITIA.

Ergo tristatur Angelorum gaudium? Martyrum fortitudo pavet? amarescit cæli dulcedo? summa illa Divini *Gigantis ad currendam viam suam* alacritas tædio languescit? Ita est: densa nimis tristitiæ nubes serenissimum mundi Solem involuit, horrificus timoris turbo fidei gratiæque *fundamentum, lapidem probatum, angularem, pretiosum*; imò pulcherrimam paradisi oleam fortiter concussit: mordax tædii acetum invasit *spiritum super mel dulcem*, atque olivæ suavitatem infecit. Cœpit Dilectus meus *pavere, & tædere, & mœstus esse*; quia voluit: voluit; quia me amavit; atque ut posset, immensum beatifici gaudii torrentem, ne ex superiore animi parte in inferiorem se se effunderet, ceu pendulas Jordanis aquas, prodigiosè suspendit; ut suo scilicet *pavore* mihi securitatem, *tædio* mentem excelsam, æterna cæli gaudia *mœrore comparaeret.*

Mœror Christi insolitus.
Ps.18. v. 6.
1. Cor. 3. v. 11. Isa. 28. v. 16.
Eccles. 24. v. 27.
Marc. 14. v. 33.
Matth. 26. v. 37.

O tristissima montis olivarum scena! qualem Sponso meo funestæ nimis tragœdiæ prologum ordiris? Iam ille prævidet mente velut ante oculos positam militum furiosè sibi imminentium immanitatem, truculentam Pontificum Judicúmque rabiem, inhumanam carnificum barbariem. Iam audit insultantis plebeculæ cachinnos, falsorum testium calumnias, blasphemas convitiantium voces. Iam præsentiscit animo vinculorum & verberum duritiem, flagellorum virgarúmque atrocitatem, spinarum, clavorum, ac lanceæ sævitiam; & non *paveat*? Heu me! jam sustinet grave crucis pondus, & omni pondere graviorem sarcinam, mea totiúsque mundi scelera: jam prospicit proditoris perfidiam, discipulorum fugam, Petri lapsum, Pilati tyrannidem, He-

Causæ mœroris.

rodis fastum, facinorosorum societatem, Matris dolores, scelerati Latronis ac Judæ interitum, & non doleat? Jam tamquam in speculo contemplatur mundi ingratissimi contemptum, tam duræ passionis oblivionem, adeò pretiosi sanguinis conculcationem, tanti beneficii neglectum, tam admirandæ charitatis frustrationem, & non *tristetur*?

Gravitas. O horrenda *tristitiæ, pavoris, tædiique* tempestas! quàm gravis eras sapienti, qui omnia suis momentis ponderat! quàm dura innocenti, quem terra cælúmque omni criminis umbrâ liberum pronunciat! quàm acerba generosæ indoli, quæ minimam quamque contumeliam morte acerbiorem judicat?

Prov. 17. v. 22. O tristissime Dilecte! nónne hæc animæ tuæ anxietas *exsiccat ossa*? *nocet cordi*? vires atterit? spiritum intercludit, suspiria extorquet, & tacito morsu *usque ad mortem* sævit? nónne agoniæ mortis simillima? ante mortem in cruce subeundam non habitura finem? imò neci te datura; nisi prohiberes, vitámque gravioribus corporis animíque cruciatibus miraculo conservares?

Solitudo Christi. Nemóne est, qui in tantis animi angustiis opem tibi afferat? qui mœrorem mitiget? qui te vel parva solatii aspergine confortet? ah! nemo est, nemo: audio quid dicas: *torcular calcavi solus*. Ita est; quia solus tibi sufficis: solus in arenam descendisti; ut pro omnibus pugnares. Octonariam tuorum cohortem *sedere* imperâsti, futuram eminus spectatricem; ternionem tamen comitari passus es; ut pugnam è vicino videret, virtutis arbiter atque atrocitatis. Sed & ab his tribus charissimis discipulorum capitibus *avulsus es*, quamquam ægrè; nec longiùs, quàm *jactus est lapidis*, ut, si metu exanimati lapidescerent, te possent contingere: túque periclitantibus ipsis auxilio; ipsi autem tibi laboranti, si non solatio, saltem pro testimonio forent.

Isa. 63. v. 3.

Matth. 26 v. 3.

Luc. 22. v. 41.

At ò egregios testes! *vigilare* jussi, *& orare*, *ne intra-*

rent

vent in tentationem, spiritu quidem prompti; carne autem infirmi, communi mortalium vitio, tametsi iterum iterúmque moniti, nec orant, nec vigilant: languent, otiantur, dormiunt. Hinc ruina, calamitas, probrum: hinc consternatio, fuga, defectio.

Matth. 26. *v.* 41. *Marci.* 14. *v.* 38.

Quid interea Dilectus? quo fuit animo? quibus se armis in hostem iturus induit? unde pugnam exorsus est? quomodo primum naturæ pœnas aversantis impetum sustinuit? *Vigilando, orando*: non minùs sanctè, quàm sapienter.

Hæc panoplia mentes facit insuperabiles: ipsa quidem *nubes penetrat*, nullis tamen potest telis penetrari: hæc tristitiæ nebulam solis instar absumit, animo serenitatem reducit: spem roborat: hæc spiritum jacentem erigit, dilatat cor, animam dulcedine perfundit: hæc denique ipsos in suam partem Cælites amica vi pertrahit, Numen etiam quò vult flectit: dum orat, ligat: dum gemit, cor Dei vulnerat.

Optimum mœroris levamentum. *Eccl.* 35. *v.* 21.

ORATIO.

Videor mihi sanè audire gemitus, precésque supplicantis Dilecti: personat in auribus oratio Servatoris mei, quantò brevior verbis, tantò sensu gravior, prolixior affectu. *Pater mi: si possibile est, transeat à me calix iste: Verumtamen non sicut ego volo; sed sicut tu.* Quid enim exordio ad captandam benevolentiam aptius? dulci Patris nomine præmisso? quid narratione clarius? quid postulatione justius? quid argumentis ad persuadendum movendúmque efficacius? quando & omnipotentiam allegat: *Pater omnia tibi possibilia sunt*: & voluntatem Patris rerum divinarum humanarúmque Moderatricem agnoscit: *Pater si vis.* Adhæc, horrorem trepidantis naturæ insinuat, pœnarum acerbitatem exaggerat, innocentiam precantis filij demonstrat: omnia tamen quinque verbis complectitur: *Transfer calicem*

Christi oratio nervosa. *Matth.* 26. *v.* 39. *Marc.* 14. *v.* 36. *Luc.* 22. *v.* 42.

istum à me. Quid denique peroratione potentius? quando ad nutum Patris paratus exclamat: *Fiat voluntas tua.*

Matth. 26. v. 42.

Et tamen dilata est.

Quid ergo non extorqueat oratio tam præstans, quam dictavit Sapientia, recitavit pietas, inflammavit charitas, animavit veritas, stipavit demissio, cælum probavit? Et tamen, ò Superi! audita est, non exaudita.

Matth. 17. v. 5.
Matth. 26. v. 39.
Marc. 14. v. 35.

Hîc mihi fas sit, ò summe rerum Conditor, ex te quærere; Quid hoc rei est? ubi tunc paterna fuerunt viscera? Oravit Patrem Filius, & *Filius* quidem ille tuus *Dilectus, in quo tibi bene complacuisti.* O quanta animi demissione *procidit in faciem suam super terram?* quanta spiritûs contentione, *oravit tertiò eundem sermonem dicens?* quâ mentis constantiâ, tantis oppressus malis? quàm anxiâ in discipulos charitate, solus in tam gravi luctu derelictus? quàm invictâ frustrationis patientiâ, toties à somniculosis neglectus? quàm denique ardenti pectoris incendio *prolixiùs* supplicavit, toto corpore largi sudoris imbre perfusus? Talem tantúmque Filium, hócque modo supplicem non exaudiat *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis?* qui Davidem, Achabum, Manassen, ac Ninivitas, gravissimorum scelerum reos, sed pœnitudine ductos, supplicésque votorum suorum compotes fecit?

Luc. 22. v. 44.
2. Cor. 1. v. 3

Arcano Dei consilio.

Intelligo vel hinc, ò Pater sancte, quanta sit mortalis culpæ gravitas; quando noxa, etsi aliena, innocentissimo & quidem unigenito te fecit inexorabilem. Agnosco immensam in omne genus humanum clementiæ tuæ abyssum. Voluisti repulsam dare Filio; ne mancipium repulsam ferret: non audiisti Natum pro se supplicantem; ut eum pro me precantem exaudires.

Adoro arcanum divinæ sapientiæ consilium: Orat Filius Patrem, non nescius frustra se rogare; gaudet rogari Pater, certus, quod rogatur, non concedere. Et tamen, quod petit Filius, impetrat: dum abnuit Pater, exaudit; ille non

exau-

exaudiri voluit; hic quod Natus petiit, admisit: utérque tam divinæ gloriæ, quàm humanæ saluti egregiæ consuluit.

Dicite vos, velut arbitri, cælestis aulæ Proceres. An non sic orare, sic preces excipere, *calicémque* passionis non *transferre* æterno fuit decreto stabilitum? Quodsi Natus planè, ut transferretur, precari, precibúsque Pater annuere decrevisset, atque adeò absque tot injuriis, tormentis, vulneribus, mortéque mundus reparari debuisset; quanto id divini honoris detrimento futurum erat? ubi tunc foret tam *copiosa redemptio*? ubi *excessus* charitatis? ubi infinitus meritorum thesaurus? ubi de Morte, mundo, stygéque devicta Crucis trophæum? ubi resurrecturæ carnis pignus? ubi admiranda modestiæ, fortitudinis, obedientiæ, charitatis, patientiæ exempla? aliáque innumera, quæ Servator hunc bibendo *calicem* fidelibus propinavit, bona? Magnum ergo fuit virtutis facinus sic orare: præclarum mundo beneficium non exaudire: optimum epiphonema; *fiat voluntas tua*: quia, qui est optimus, nihil nisi optimè aut facere potest, aut velle.

Ps.129.v.7.

Pulchra orationis clausula.

SVDOR.

QVæ verò hæc est purpura, quam humi prodigè dispersam video? an calcatæ sudor uvæ? an expressus è moro succus? an fusus humani corporis cruor? Eheu! pretiosissimus Dilecti mei sanguis est; ita me certam divina illius fragrantia reddit, persuadet mira pulchritudo, arcana quædam prodit virtutis suavitas. Hîc nempe *botrus cypri* sub torculari gemuit: hîc oliva sub immani pondere compressa sese liberaliter effudit: hîc non morum, prædurææ arboris fructus; sed ipse Patris æterni Filius inter angustias deprehensus largo sanguinei sudoris imbre diffluxit, *factúsque*

Purpureus Christi sanguis, olivæ succus.

Cant.1.v.13.

est sudor illius, dum *in agonia prolixiùs oraret, tamquam gutta sanguinis decurrentis in terram.*

Luc. 22. v. 43.

Charitatis balsamum

O sudor! O pluvia! O guttæ! O Sanguis! O amor! O JESU! ergóne jam in antecessum debito te meo exolvis? cur pauculas adhuc horas non retines divinum redimendi totius mundi lytrum? erunt eheu! erunt paullò pòst flagra, virgæ, spinæ, clavi, lancea, quæ tuum haurient cruorem.

Fortè non satis est, prætorium, compita, Calvariæque montem sacro rigare sanguine? etiam vis, ut Oliveti clivus eumdem largiter bibat? Sic nimirum te urget charitas. In horto natum est incendium, in horto quoque tali imbre fuit extinguendum: suffecerat quidem stilla nativi sudoris; at tu inaudito, aut raro prodigio copiosum sudas sanguinem; ut pretiosum mihi balneum pares, quantùm liquoris, tantùm balsami spargis: tantùm olei, quantùm sudoris: quantùm sanguinis, tantùm miserationis è sacri corporis racemo affatim profundis.

Botrus torculari pressus.

Isa. 63. v. 1. 2. 3.

Quærat nunc meritò Isaias: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in fortitudine sua.* Quærat Petrus, Joannes, Magdalena. *Quis est iste?* an sauciatus in conflictu miles? an cruentatus à victima Sacerdos? an murice velatus è pugna Rex? *De Edom,* quidem *venit,* rubens à rufo Deique hoste populo. Vbi candor? ubi vigor? quare *tinctis vestibus?* quare purpuratus? Quis est iste labore fessus; sed animo fortis? ægrè trahens anhelitum; sed spiritum gerens invictum? vultu pallidus; sed stolâ *formosus?* non pridem humi prostratus; nunc *gradiens in fortitudine?* Quis enim te etiam amicorum noverit, nisi te ipsum manifestaveris? Dices equidem: *Ego qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum.* At, nónne stabunt attoniti, qui te audiunt? nónne mirabuntur eum, qui justus est judex, atque ipsamet Numinis *justitia,* reorum more supplicâre? qui *propugnator est,* jacére humi iner-

inermem? qui venit *omnes salvos facere*, altùm suspirare, angi, sudore complui? an non jure dicent? *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?*

Scio, quid causæ afferas: *Torcular*, inquis, *calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* Ita est; nemo in partem laboris vénit: non discipuli, non amici, non Angeli. Rectè ais: *Conculcavi* juratos cæli hostes, Mundum, Carnem, Dæmonem; sed adjunge: Et ego calcatus *afflictus, & humiliatus sum nimis.* Verè enim *torcular* calcâsti *solus*; sed & ipse calcatus es in torculari. O quàm horrendè te premebat! supernè, desiderium humanæ salutis; infernè, horror acerbæ mortis: suprà, totius mundi peccata; infrà, debitæ cunctis mortalibus pœnæ: desuper, immutabilis decreti severitas; subter, naturæ trepidantis infirmitas: extrà, Patris reverentia; intùs, obtemperandi difficultas: superiùs, justitiæ divinæ rigor; inferiùs, admirandæ charitatis ardor: undique labor, sudor, angustiæ, atque inevitabilis, tamquam sub prælo, corporis animíque compressio.

Psal. 37. v. 9.

Hinc illa indumenti rubrica, illa *stola* purpura: hinc tam prodiga cruoris effusio, tam pretiosi rivuli in terram decurrentes.

O charitas! ò miserationis immensitas! sic in chrysopœi balneo liquatum sudat aurum; ut fiat potabile: sic in pharmacopolæ casside subjectis flammis excoquuntur herbæ; ut salutares guttatim cadant liquores: sic nubes fecundis cæli aquis gravida liquescit; ut roscidas in terræ sinum guttas distillet: sic spongia, quas sponte imbibit, aquas compressa reddit. O sudor! ò guttæ! ò si vel unicam, mi Jesu, mihi aspergas! mox cor meum, etsi adamante durius, scindetur; anima mea, licet pumice aridior, mox florida germinabit; una mihi stillula præ integro liquati auri Oceano, præ omnibus maris Indici gemmis, ac margaritis,

præ melleo antelucani roris argento in pretio erit. O hortus ipſomet nobilior paradiſo! quot ſparſæ jacent guttulæ, tot rutilant gemmæ, tot purpurei naſcuntur floſculi. Age anima, carpamus floſculos, legamus gemmulas, lingamus guttulas: Eſt ſiquidem vita in guttulis, ſalus in floſculis, in gemmulis theſaurus: una tibi præbebit guttula lavacrum, gemma ſufficiet in coronam, floſculus in delicias, & medicinam.

§. LVI.

PRODITIO.

Dilectus, Cedrus.

ECce verò! Quid hîc novi contemplor? quàm vivaces rerum imagines menti obverſantur? quis procul erraticus fulgor oculos perſtringit? quis commeantium ſtrepitus ferit aures? Videor mihi videre, quæ olim geſta ſunt. *Cohors* eſt, niſi fallor, militaris *turba*, cum manipulo ex *Pontificum & Phariſæorum miniſtris* conflatò: ipſa *laternis & facibus, gladiis & fuſtibus* armata. Quid ita feſtinant hæ noctuæ in tenebris? quid moliuntur hi graſſatores? an ut feram feris ſæviores capiant? an ut latronem obruant, latronibus peiores? Ah! quid quæro? res ipſa loquitur: *Cedrum*, quâ nullâ eſt *in Libano* excelſior, ſternere moliuntur. Primum faciet ictum anteſignanus, qui à facinoroſis *triginta argenteis emptus* animam orco vendidit, ut emat laqueum: oſculo cædendi ſignum dabit; ne quis ictus fallat: Dilectum exſcindere connituntur hi ſcelerum architecti: calcare, vinculis onerare, in urbem raptare parant. O ſcelus! & quidem ductore Iſcariota: ò ſacrilega proditio!

Matth. 26. v. 47. Ioan. 18. v. 3.

Eccl. 24. v. 17. Matth. 27 v. 3.

Quò ruis amens & deteſtande proditor? Hoc minerval ſolvis Magiſtro? hanc reddis gratiam Benefactori? ita fidem ſervas Domino? Vendidiſti mercator peſſime tam vili pretio cæli theſaurum: hominem liberum, regia creatum ſtirpo

ſtirpe, te teſte innocentem, in omnes beneficum, vatem, Dei filium, mundi Servatorem, innumeris clarum prodigiis: uno eodémque facinore in amicum perfidus, in dulciſſimam illius Matrem injurius, in Patrem divinum impius, in temetipſum crudelis; nunc etiam in manus hoſtium tradis? oſculo deſignas? *cautè ducendum* admones? Scelerate hypocrita! jam tandem depone larvam. Satis diu eſt, quòd tuas Magiſter inſpexit fraudes: dudum novit ſub ovina pelle lupum latitare: non ignoravit tuum hoſtile oſculum ſibi, ut quondam Amaſæ à Joabo datum, fatale futurum: à te, veluti David à Doëg, ſe prodendum: tamquam ab Abſalone inſidiis petendum.

Marci. 14. *v.* 44.

Heu! gravis hic ictus eſt; ſed Cedrum meam non dejicit: ſtat illa, atque adhuc ſublimi vertice cælum tangit. Innubi vultu hanc Dilectus plagam ſuſtinet: dolet, non excandeſcit: blandè ſalutat, non tonat: os divinum perfido ori admovet, amplexum viperæ admittit: inſidiatorem vitæ, *amici* titulo cohoneſtat. O cedrus excelſa, quæ tam grandem ſentit injuriam, ſed tolerat! tam grave vulnus accipit, & immota manet! tam probroſa imminere vincula, ictus, ludibria videt, & deſpicit! Nimitum Patris voluntas, divinæ gloriæ Zelus, meæ ſalus animæ illam fecère inſuperabilem.

Magnanimitatis.

Matth. 26. *v.* 50.

O invicta Chriſti charitas, quæ perduellem, effrontem, efferatum parricidam in *amicis* numerat! O deteſtanda argenti cupiditas, quæ hominem belluâ ferociorem facit; ut neque cælum, neque Cælites, in pretio habeat! O perfida hypocriſis, quæ ipſis etiam Dei oculis nebulam offundere ſtultè adlaborat! At eheu! quot habet *Iudas* nequiores ſe nepotes! qui exigua lucelli ſpe juſtitiam, fidem, Chriſtum venalem habent: Chriſtiani nominis profeſſione ſe *amicos* jactant, vitâ moribúſque hoſtes; precatiunculis tamquam *oſculis* Dominum ſalutant; interea ſceleratis manibus illius jugulum petunt! Et hos tamen toties repetita proditione

Inter inſidias ſecura fui.

Matth. 26. *v.* 14.
Matth. 26. *v.* 50.
Luc. 22. *v.* 48.

notos sibi insidiatores, Dilectus sæpiùs etiam deprehensos veniâ donat, in gratiam recipit, ad osculum admittit, paternè corripit, beneficiis auget! O labia felle draconum amariora, quæ dulcissimis JESU labiis admota non dulcescunt! O cor adamante durius, quod huic cordi, tam inflammatæ charitatis clibano, appressum non liquescit! O chara Cedrus, quæ suis brachiis nocentiorem taxo stipitem, infelici figendum arbore, tartareisque dignum flammis amplexari non est dedignata.

O liceat & mihi, non quidem divinas basiare genas; sed mirificas exosculari manus, sacratissimos amplecti pedes, amabilissimum adorare pectus. Scis, Dilecte, *ad quid venerim*: non ut prodam; sed ut amem: non ut catenis ligem; sed stringam brachiis charitatis: non ut me amicam tibi simulem; sed pro te, vel certè tecum in vincula ruam. Tu es *Cedrus exaltata in Libano*. Gratulor tibi hanc ego celsitudinem: quâ etiam humi prostratus excedis Angelos: dum corpore jaces, animo cælis altior incedis: calcandum mortalibus te præbes, immortalibus adorandum.

Matth. 26. v. 50.

Eccl. 24. v. 17.

CAPTIVITAS.

In vinculis libera.

IRruite nunc vos, lignatores pessimi, si potestis: sternite cælestem hanc Cedrum, si tantùm vobis est animi: ligate, convellite, calcate, si tantùm est virium. Ecce, procedit obviam Dilectus: non quærit salutem pedibus: non latebris se tegit: non vim vi repellere meditatur, duobus vos affatur verbis: *Quem quæritis*? duobus respondet: *Ego sum*. Cur retroceditis? quare supini *caditis in terram*? Erecta stat Cedrus; vos ceu fulmine tacti jacetis. JESUS meus syllabis tribus placidè prolatis facilè vos prostravit: quid fiet, si magno fragore justa illius ira in vos incumbat? Vel hinc discite inexpugnabilem esse hanc Cedrum: & nisi ipsa

Jo. 18. v. 4.
Ibid. v. 5.
Ibid. v. 6.

ipsa velit, sterni non posse. Vult autem à vobis capi, ligari, solo affligi, ideóque vestras præstolatur manus, exspectat vincula, útque furorem sustineat, se coràm sistit.

O Christe mi! ergo duris funibus sacratas inseris manus; ut me *in funiculis Adæ* ad te pertrahas? vincula collo excipis; ut à collo meo grave peccati jugum depellas! captivuus esse vis; ut ego tyrannidem excutiam? Quid libertate pretiosius? & hanc tu negligis; ut me liberam reddas? Quid ingenuo homini publicâ vinculorum infamiâ gravius! & hanc tu sponte quæris; ut honori meo consulas? Heu graves catenæ! quid *Regem gloriæ* oneratis? heu rigidi funes! quid manus innocentes post tergum revinctas tam crudeliter adstricti mordetis, uritis, laceratis? heu nodosi fustes, feroces pugni, calces detestandi! parcite delicatis humeris, pulcherrimis genis, corpori virgineo & divino. Meam cædite frontem, vellite capillum, tundite latera: humeros, tergum, genua, pedes pulsate. Ego has commerui pœnas: ego me agnosco ream: ego succedaneam pro Dilecto hostiam me sisto.

Ose 11. v. 4

Ps. 23. v. 10

Ergo ligatus est meus Samson: non ut *molam* verset; sed crucem ferat: non ut *ludat*; sed impiè ludatur: non Dalilæ deceptus perfidiâ; sed humani generis amore captus: quis non lugeat, non admiretur? *Ergo arca Dei capta est, translata est gloria ab Israël*: quis non paveat? non indignetur? Ligneam olim illam temerè tetigisse piaculum fuit, Ozæ luendum morte: leviter aspexisse, scelus erat, quinquaginta Bethsamitarum millibus interitu expiandum. Et hæc scelesta capita vivam Dei arcam barbarè invadunt, ligant, pulsant, vellicant; hoc tamen sacrilegium impunè ferant? *Captus est Loth*, & habuit Abrahamum, qui è manibus hostium extorqueret. Venditus, comprehensus, carcerique mancipatus est Josephus; & invénit Pharaonem, qui vinculis eximeret: captus est, *quem cæli cælorum capere non possunt*: & ubi

Iud. 16. v. 21.
Ibid. v. 25.
1. *Reg.* 4. v. 17. 22.

Gen. 14. v. 14.
Gen. 40. v. 14.
3. *Reg.* 8. v. 27.

ſunt Beatæ mentes, quæ pro ſuo Duce pugneat? Vbi ex tot mortalibus, miraculorum teſtibus, vel pauci, imò vel unus, qui innocentiſſimo J E S U ſuccurrat? qui prece vel pretio redimat? *Spiritus oris noſtri, Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris*: Et nemo eſt, qui eripiat, nedum qui vitam pro ipſo diſcrimini objiciat?

Thren. 4. v. 20.

MALCHVS SANATVS.

Etiam in hoſtes benefica.

PRoſilit equidem Petrus in medium, evaginat gladium, ictum vibrat, *auriculam* Malcho *amputat*: interrogant & duo reliqui: *ſi percutimus in gladio*? egregii ſcilicet heroës, paullò antè *parati* cum Magiſtro *in carcerem & in mortem ire*. Quis non illos putaret *tres* eſſe *viros fortiſſimos*, qui totum Philiſtæorum aciem perruperunt, ut Davidi *aquam ex ciſterna Bethlemitica* afferrent? Sed cùm venitur ad pugnæ prælu-dia, cùm arma eminus oſtentantur, cùm impetus fit in Dominum, imbelles hi velites *relicto eo fugerunt*. Ea ſcilicet eſt humanæ mentis inſtabilitas! tam infirma fides amicitiæ! tam fragilis, fluxus evanidúſque virtutis amor! Non ita Dilectus. Quos verbo proſtraverat, non peſſumdat; rurſum erectos non denuo proturbat, irruentes non repellit: inter vincula, verbera, ſcommata ſemper ſibi conſtans, erectus, placidus, benignus. O excelſam, hujus Cedri conſtantiam! O eminentiorem malis omnibus Chriſti animum! O robuſtam tot inter injurias Dilecti charitatem! O quam ſolicitè cavet diſcipulis, ſui oblitus: *ſi me quæritis, ſinitè hos abire*! quàm blandè inſultantes hoſtes admonet: *Tamquam ad latronem exiiſtis, cum gladiis & fuſtibus comprehendere me*! quàm intrepidè tam fœdi facinoris arguit auctorem dæmonem: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*! quàm providè gladium Petri cohibet: *Mitte gladium in vaginam*! quàm ſeriò pœnas ſanguinariis digladiatoribus comminatur; *omnes, qui acce-*

Matth. 26. v. 51. Luc. 22. v. 49. Luc. 22. v. 33. 2. Reg. 23 v. 15. Matth. 26. v. 56.

Jo. 18. v. 8. Matth. 26. v. 55.

Luc. 22. v. 53. Jo. 18. v. 11

acceperint gladium, gladio peribunt! quàm generosè auxilia recusat: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* quàm cupidè ad tormenta se offert: *calicem, quem dedit mihi Pater*, etsi amarum, *non vis, ut bibam illum*? denique, ut aliquo divinitatis suæ radio cæcos impertiat, quàm illustri beneficio malefacta compensat! Malchi sortem miseratus, accersit hominem, tangit auriculam, sanguinem momento citiùs sistit, vulnus curat, sine emplastro, sutura, unguento, in conspectu omnium prodigiosè *sanat*, támque manifesto divinæ virtutis signo à detestando scelere amentes avocare satagit. At frustra. Victo insultant barbari prædones, prædam sibi gratulantur: quâ meliorem nemo umquam nactus est; pejore facinore nemo quæsivit.

Matth. 26. v. 52.

Matth. 26. v. 53.

Jo. 18. v. 11.

Luc. 22. v. 51.

§. LVII.

EXAMEN IN DOMO ANNÆ.

HEu! Dilecte, quò te inhumani satellites abripiunt? ah! quoties te calcibus, pugnis cubitísque impactis solo affligunt? quàm immaniter te per hispidas oliveti stirpes, per frigidas Cedronis aquas, per aspera viarum saxa trahunt? quàm ignominiosè inter cachinnos, sannas & contumelias te per compita vicósque raptant? Age anima mea; *Petrus* olim, quia *secutus est à longè*, cùm comitari licuisset, graviter impegit; nos, quia láteri adhærere non est concessum, saltem quocúmque illum crudelitas lictorum, hostiúmque furor jactaverit, sequamur: penetremus in ipsas Pontificum, Annæ Caiphæque domos: quò non est fas corpore furtim irrepere, facilis menti accessus patet. Hîc, hîc, qui se in horto inter preces & vincula Olivam Cedrúmque exhibuit: in sacrilegis Judicum iniquorum ædibus inter ludibria & in-

Dilectus, palma.

Matth. 26. v. 58.

Eccl. 24. *v.* 18. jurias se *palmam exaltatam in Cades* non immeritò dici posse ostendit.

Patientiæ. Viderunt certè, & obstupuerunt Angelicæ mentes in feroci militum turba, in Ministrorum globo, in lictorum fæce stantem erecto animo hominem liberalem indole, moribus honestum, conditione liberum: virum formâ decórum, vitâ innocentem, ætate floridum, stirpe nobilem, dignitate Regem, Ordine Sacerdotem, majestate venerandum, admirabilem virtute, meritis locupletem, nomine Salvatorem, personâ Deum.

Injuriis gravata. O egregiam paradisi *palmam*! tot ramis, quot dotibus ornatam! at verò tot quoque ponderibus, quot catenis, opprobrijs, vinculisque oneratam! stabat enim Dilectus, non ut decebat, liber; sed ligatus: non ut innocens, sed sacrilegus: non ut nobilis, sed vile caput: non jam ut Rex, sed mancipium: cogebatur causam dicere coram ambitioso Pontifice, Pontifex *futurorum bonorum*; urgebatur quæstionibus ab impio Sacerdote, *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: suspectus erat tumido Legisperito Legislator cælestis: jubebatur rationem reddere *de doctrina* Doctor Prophetarum, *de discipulis* Angelorum Magister.

Hebr. 9. *v.* 11. *Ps.* 109. *v.* 4. *Ioan.* 18. *v.* 19.

Sed erecta. O quàm duræ grandésque injuriarum moles! sed gravant hanc palmam, non frangunt: premunt, non inclinant. Respondit Dilectus, ut innocentiæ consuleret: at paucis, ne causæ bonitatem fulciendo proderet: *Ego palàm locutus sum mundo.* Cordatè tamen, dum pro se dixit nihil, ut aliis de se dicendi locum præberet: *Quid me interrogas?* sed & liberè planam indagandæ veritatis viam monstravit: ut errandi periculum submoveret. *Ecce, hi sciunt, quid dixerim ego.* An meliùs infracti pectoris patientia loqui possit? an generosæ mentis sapientia responsum concinnius dictare?

Ioan. 18. *v.* 20. *v.* 21. *Ibid. v.* 21.

ALA-

ALAPA.

AT quantam excitavit hæc Dilecti serenitas tempestatem! Ecce, tonitru! *Sic respondes Pontifici?* ecce, fulmen, alapa robusto vibrata brachio. O mi Dilecte! ò palma nobilis! stas etiamnum victrix? etiámne hoc pondus te non deprimit? *Sedecias* olim *percussit Michæam in maxilla*; at ecce quàm indignè tulit optimus Propheta ab alio se Vate cædi? gravem sanè percussori vaticinatus est cladem: *Videbis in die illa, quando ingredieris cubiculum intra cubiculum, ut abscondaris. Præcepit Ananias astantibus sibi, percutere os Pauli*; at non potuit fortissimus Christi athleta, quin exclamaret: *Percutiet te Deus, paries dealbate. Extendit* Ieroboam Rex *manum suam contra virum Dei, dicens: Apprehendite eum: Et exaruit manus ejus, nec valuit eam retrahere ad se*; ut nempe disceret etiam coronata impietas, quàm grave scelus esset, vel manum contra innocentes extendere. Et tu Dilecte, hanc contumeliam concoquis? non facis, ut sacrilega manus exarescat? infamem ab aulico adulatore ictum non acerbo saltem dicto castigas? non supplicium denuncias? O invicta palmæ patientia! *Quid me cædis?* interrogas & acquiescis: livet ipsis Angelis adoranda facies, erubescit maxilla *aromatum areola*, tumescunt *labia distillantia myrrham*: nutant dentes candidiores lacte; & æquo fers animo. Quid arcani subesse consilii putem? non erravero, si dicam; sic te oris peccata luere voluisse: mortalium maledicta, scommata, mendacia, perjuria, lascivos cantus, blasphemas voces, atque id genus alia tibi pro *alapis* esse. Eheu, detestanda terrigenûm impietas! quot ruunt quotidie in divinam hanc palmam ejusmodi nefanda alaparum fulmina! At, qui modò non turbatur Deus; olim tonabit: qui tam graves nunc ictus sustinet; aliquando *tanget montes & fumigabunt*. Vbi autem fumus, ibi & ignis.

Fulmine icta, non læsa.

Ibid. v. 23.

3. *Reg.* 22. *v.* 24.

Ibid. v. 25.

Act. 23. *v.* 2

Ibid. v. 3.

3. *Reg* 13. *v.* 4.

Ioan. 18. *v.* 23.

Cant. 5. *v.* 13.

Ioan. 18. *v.* 22.

Ps. 143. *v.* 5

IVDICIVM IN DOMO CAIPHÆ
Petri lapsus, Iudæ interitus.

Adversis pressa, non depressa.

HEu mihi! dum ista mecum queror & deploro, dum videor mihi Dilectum cernere: fallor, & non nisi parvum illius simulacrum specto, umbram prenso, palmam novis iterum in Caiphæ domo ponderibus prægravatam considero.

Quàm horrendum onus fuerit tam densa in synedrio inimicorum turba! tot Scribæ, Pharisæi, Principésque eo solùm consilio, ut Dei Filio calumniam struerent, collecti: tot testes, ut æternam veritatem fictis criminibus obruerent, conducti: tot judices, ut Innocentiam damnarent conjurati: annon tot immania saxa, tot rupes, tot scopuli; quot capita? quot atroces vultus, mordaces linguæ, venenata corda? quot mentes irâ, invidiâ, fastu, odióque inflammatæ? Quàm intolerabile pondus fuerit, supremum mundi Judicem in jus ab injustis abripi! Veritatem mendaciis oppugnari à falsariis! ab impiis Sanctitatem blasphemiæ argui! *reum mortis* pronunciari, qui multis vitam restituit, pluribus servavit, omnibus dedit! Quam palmam non frangant hæc pondera? quem Atlantem non fatigent, ac demum deprimant? sed non Dilectum, altiùs semper assurgentem, paternæ voluntatis placita amplexantem, etiam multò adhuc graviora perpeti paratum.

Matth. 26 v. 66.

Petri lapsu commota, non impulsa.

Verùm, poterátne gravior inveniri sarcina, calamitásve major divinæ huic palmæ incumbere? ah! potuit. Ecce, Petrus! quàm præcipiti lapsu in Magistri pectus décidit! hoc graviùs profectò, quò leviùs: non à valido luctatore correptus; sed ab imbelli muliercula impulsus: non impacto ariete dejectus; sed paucis voculis prostratus: non minis, ferro, igne exanimatus; sed mordaci dicterio leviter perstrictus

ſtrictus, negat, pernegat, jurat, peierat ſibi notum, nedum amicum, magiſtrum ducémque eſſe hunc hominem. Iſtáne diſcipulus prodigioſâ *piſcium capturâ* à Servatore cohoneſtatus, *piſcator hominum* electus, fluctuantes maris undas calcare doctus, tot miraculorum patrator, & teſtis factus, auditor *paternæ vocis*, divinæque gloriæ *ſpeculator* admiſſus, cæleſti nuper epulo paſtus, toties admonitus, tot prærogativis donatus? hic, inquam, ſemel, iterum, tertiò neget, juret, ac tandem execretur ſuæ *ſocrûs* ſoſpitatorem, Dei Filium à *Patre* ſibi *revelatum*? O immane pondus! ò admiranda palma! tantum abeſt, ut pluſquam ferrea Dilecti patientia frangatur, vel côncidat; ut etiam collapſum Petrum erigat, deſertorem paterno oculo *reſpiciat*, pœnitudine animum illius conterat, ex oculis lacrymas, è corde ſuſpiria exprimat, tam grande nefas majore benevolentia compenſet.

Luc.5.v.9. *v.10.* *2.Petr.1. v.16.&17* *Luc.4 v.38.* *Matth.16. v.17.* *Luc.22. v.61.*

Quid verò Judas? nónne veluti Marpeſia rupes, aut major Caucaſo moles in Iesum irruit? quando turpiſſimum proditionis facinus turpiore deſperationis ſcelere obſignavit? de immenſa Dei miſericordia tam abjectè ſenſit? *argenteos projecit in templo*, jugulum fregit *laqueo*? *viſcera* in terram effudit, animam in orcum evomuit? O malum horrendum, ingens, deteſtandum! Æternæ ſapientiæ diſcipulus fiat ſuſpendiarius? Apoſtolorum collega, Dæmonum ſocius? Optimi Paſtoris ovicula, Luciferi præda! atque eo quidem die, quo Dei Filius, ut mortales omnes *faceret ſalvos*, pro omnibus per ultima tormenta, dolores ipſámque necem inauditâ charitate, ſanguinem, vitam animámque prodigè impendit! Annon hæc ſola unius animæ jactura tam ardenti animarum amatori, antequam crucis pondere premeretur, animam potuerit exprimere? Enimverò expreſſiſſet. At ſervavit amor, cupidam non tantùm premi, ſed etiam lacerari.

Iudæ caſu concuſſa, non everſa. *Matth.27. v.5.* *Act.1.v.18* *1.Tim.2. v.4.*

Nondum ſatis hîc erat ponderum. Ergo cumulatè

 acer-

acervantur novæ, quas petulantia ſuadebat, injuriæ: lurida volant ſputa in vultum, divinæ elegantiæ theatrum: O impia jaculatio! *velatur* ſacrata *facies*: O funeſta eclipſis! pluit *colaphis*, & *palmis*: O execrandus imber! deníque blaſphemæ tonant voces, ludibria, cachinni: O impia ex orco fulmina! ſic tandem fatigata deſiit lictorum protervia: non verò Dilecti plura tolerandi appetentia.

Luc. 26. v. 64. Matth. 22. v. 67.

§. LVIII.

GRAVES IN PRÆTORIO PILATI CALVMNIÆ.

Dilectus, plantatio roſæ. *Eccl. 24. v. 18.*

MEminerat nempe amantiſſimus humanæ gentis Reparator, ſe olim ſacro ſcriptori in calamum dictâſſe: *Ego quaſi plantatio roſæ in Iericho.* Ne ergo ſine ſpina eſſet, ad Prætorium Pilati, Herodíſque aulam, ſpineta certè tam inimica innocentiæ, quàm ſceleribus amica, ſeſe paſſus eſt raptari. Heu! quàm crudeles ibi ſpinæ pulcherrimam ſtipaverunt roſam: invidia Pontificum, Scribarum æmulatio, Phariſæorum perverſitas, furor populi, calumniarum denſitas, Prætoris iniquitas, immanitas tortorum!

Calumniæ ſpinæ. *Luc. 23. v. 2. Io. 19. v. 17 Luc. 23. v. 2. Io. 18. v. 40 Io. 19. v. 15 Matth. 27. v. 25. Luc. 23. v. 5. Matth. 27. v. 23. Ibid. v. 19.*

Eheu! quàm profundè penetrârunt aculeatiſſimæ clamantium voces! *invénimus hunc hominem evertentem gentem noſtram*: O impia falſitas! *& prohibentem tributa dare Cæſari*: ò decumanum mendacium! *Nos habemus legem*, & *ſecundum legem debet mori*: ò crudelis impietas! quâ lege? quo crimine? quis coget, niſi velit? *ſe Chriſtum Regem facit*: ò injuſta criminatio! *non hunc, ſed Barrabam*: O veſana cæcitas! *Tolle, tolle, Crucifige*: O barbara inhumanitas! *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros*: O ferina rabies! O Chriſte mi! verè roſa inter ſpinas: Servator inter ſicarium, & duos latrones: Redemptor inter hoſtes & carnifices; ſed roſa candida. Ecce, teſtimonia candoris! *Nihil invenio cauſæ in hoc homine*: nemo niſi perverſus inveniet: *quid enim mali fecit?* aut cogitare, nedum facere potuit? *nihil tibi & juſto illi*, imò San-

Sanctorum sanctissimo. Ergo rosa es purissima! tot niveis innocentiæ foliis decóra, quot sentibus tribulísque infamiæ confixa! At, quò rursum abriperis? ò quàm metuo, ne in regia Herodis novum invenias pro viridario senticetum!

GRANDIS IN HERODIANA AVLA CONTEMPTVS.

Aula, spinetum.

QVid enim aliud fuerit castissimo Dilecto Rex incestuosus, publicus adulter, sanguinarius convivator, sponsor tyrannus, saltatriculæ adulator, sacrilegus Joannis interfector, quàm spina intimas animi medullas penetrans? Quid callidæ vulpis fallacia, vastæ mentis ambitio, effeminatus animus, fucata pietas, impia cupiditatis curiositas? nisi multiplex divino pectori aculeus? quid divitiarum ostentatio, famulitii multitudo, pompæ luxus, assentatorum turba, scurrarum greges, militum cohortes, aliæque appendices aularum & pestes, sanctissimo virtutis magistro, quàm sentes ac vepres? quibus contemptor mundi scelerúmque osor animus profundè saucius non parùm lacerabatur. Ne quid verò improbitati ad famæ lacerationem, aut rosæ ad candorem deesset, sapientissimum æterni Patris Filium coronata simia pro homine albæ mentis habuit, *veste alba induit*, cúmque sprevit *cum exercitu suo*: *remisit* tamen honoris causâ ad Pilatum candidam hanc rosam, ut illam faceret Romanus tinctor purpuream: virgineo scilicet cruore tingendam: *Dilectum* nempe *meum*, novo more *candidum & rubicundum.*

Luc. 23. v. 11.

Cant. 5. v. 10.

VESTIS ALBA.

Virtuti adversum.

O *Sapientia, quæ in altissimis habitas*! sic despecta jaces in terris? quæ habes pro throno *columnam nubis*, jam pro chlamyde geris ludicram stolonis stolam? Quid adhæc vos, O Cherubini? Regem vestrum, *in quo omnes thesauri sapien-*

Eccles. 24. v. 7.

Coloſ.2.v.3 *tiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi* ſpectatis veluti ſtultitiæ candidatum traduci? O mira ſuperûm conniventia!

Sapientiæ infeſtum.

Ergóne, mi JESU, non tibi ſat erat, te ſummum maximúmque Deum meâ causâ hominem inter homines connumerari? etiámne in fatuis, qui à brutis animantibus tam parùm differunt, cenſeri voluiſti? Et ego non *fiam ſtulta* propter te, *ut ſim ſapiens* tecum? tu omnipotentiam tuam in tam ſplendido aulæ regiæ theatro non producis: ego ſi quid boni divinitus accepero, mox velut in ſcenam proferre feſtinem? tu plauſum negligis: ego captem? tu hominum de te judicia contemnis: ego tam meticulosè obſervem? tu inter contumelias ſiles: ego ad ipſam contumeliæ umbram in voces aſperas prorumpam? Antè Philotea vitam ponet, quàm ita deſipiat, ut ſapientior Dilecto velit haberi, fugiátque cum ſuo JESU inter ſpinas roſa fieri: ſive ſputis candida, ſive ſanguine purpurata. Agedum anima: redeamus ad Prætorium. Præivit amor noſter: ut quem patientia roſam fecit, conſtantia mutet in adamantem: ſequamur, ut vel decidua roſæ legamus folia, vel emicantes ab adamante ſtricturas toto pectore excipiamus: illa ſufficient in coronam; iſtæ in theſaurum.

1. Cor. 3. v. 18.

§. LIX.

FLAGELLATIO.

Dilectus, adamas.

QVid trepidas: quid exhorreſcis anima? Ingredere audacter. Neque enim Prætorium intrabis, ſed officinam: non Romani Præſidis domum, ſed horridum Vulcani antrum. Dolori hîc locus eſt; non trepidationi: ſuſpirandum; non fugiendum. Vides atris facinoribus nigricare omnia? audis crepare malleos? ingemiſcere incudem, ſonare flammas, ſpirare folles? En, ut altùm brachia attollunt Cyclopes! ut vibrant malleos! ut ſudant! ut feſſis integri ſucce-

ſuccedunt! Tunditur autem non ferrum, ſed roſa: ut purpura candorem diluat: ex roſa fiat gemma, ſub malleis naſcatur adamas, carbunculus ſub galea: hic manſuetudine fulgens; ille conſtantiâ invictus. Cuditur non ſcutum aut gladius, ſed gemmatum gratiæ monile collo ſponſæ donandum, cæli terræque pretium: pro ære fervet charitatis aurum, pro aqua ſanguis aſpergitur, & quidem divinus.

Eheu! In Pilato reperit Vulcanum *Dominus meus, & Deus meus*: in militibus fabros: ſenſit, eheu! ſenſit flagra malleis graviora, expertus eſt iræ flammas, invidiæ follibus agitatas: eheu! columnæ baſſis illi pro incude fuit: virgineum corpus pro adamante. Dicat ſanè, nihilque nimium dicet: *ſupra dorſum meum fabricaverunt peccatores*: ſeu veriùs, *araverunt*, ut ſolent arantes: *prolongaverunt iniquitatem ſuam*: imò infatigabili crudelitate *produxerunt ſulcos ſuos*, ut vulneribus altè impreſſis caro hiaret, oſſa pateſcerent.

Conſtantiæ. *Ioan.* 20, v. 28. *Pſ.* 128. v. 3.

Cernis, anima, ſacrum Dilecti corpus profanis manibus nudatum? caſtiſſima JESU membra impuris oculis expoſita? Prô, Superi! Vides ligatam funibus majeſtatem, vinctum libertatis Vindicem? quid lingua titubas? Cæli terræque Dominum ſerviliter cæſum? flagellis, virgis, loris, & aliis, quæ furor miniſtraverat, armis crudeliter laniatum? Spectas à ſummo colli flexu usque ad imam pedis plantam lacera eſſe omnia? non jam vulnera videri, ſed unum toto corpore diffuſum vulnus? Advertis, ut ex eburneo tergo certatim cruenta cadat pluvia? argenteum pectus ſanguineo rore ſtillet, & pavimentum plusquam ferreum perfundat? obſervas, ut rigeant quaſſata brachia? ut humeri tremiſcant, femora ventérque langueant, diſcerpta cutis doleat, labaſcant genua, nutent pedes, totum corpus ita fœdè habitum ſuo pondere in caſum inter vincula propendeat?

Crudeliter pulſatus.

Hinc certat verberantium multitudo, robur, petulantia,

tia, atque auro empta immanitas: illinc patienti Christo dolores acuit teneritudo corporis, membrorum nuditas, personæ dignitas, vitæ innocentia, profusa in tantæ cladis auctores beneficentia. An ad dolorem, ad pœnam, ad cruciatum adeò exaggeratum amplius aliquid addi queat? si unum aciculæ acumen grandem delicatissimæ carni pœnam creare: si levi brachio incussa plaga maximum afferre potuit dolorem: si dolor etiam non magnus sternere; quid tam duri flagellorum virgarúmque aculei, tot ictus validi, tot lacerti robustissimi, tot vibices, tot plagæ, tantus furor, tanta crudelitas, tanta doloris acerbitas potuerit?

Sed infractus.

O cælestis adamas! O indomabilis charitas! O nescia frangi constantia! In tam barbara carnificina, in tanto plagarum numero, doloris sensu, livoris æstu, frigoris acerbitate, sanguinis effusi copia, JESUS meus suspirat; at silet: ad singulos ictus totis artubus tremit; at non queritur: nihil excusat, nihil deprecatur; non repugnat, non torvum aspicit: pios ad cælum levat oculos, quótque spargit cruoris guttas, tot scintillas insuperabilis charitatis è corde prosilientes quaquaversum dividit: dum miles tonat flagellis, ipse fulgurat suspiriis: sanguinem, livorem, vulnera, veluti monetam de tergore suo cusam, æterno Patri pro totius mundi sceleribus offert: si necesse foret, aut sic divinum ferret imperium, iterum iterúmq; immitiùs cædi, tundi, lacerari in nova etiam *flagella paratus*, adamantis instar inter verbera perseverat. Quis hæc siccis queat oculis cogitare, ne dum cernere? Quis admirabilem hunc adamantem non adamet? quod cor adamantinum tam pretioso conspersum sanguine non dissiliat? quæ frons impudica, quæ caro lasciva, quæ mens impura non erubescat, doleat, cohorrescat, se tam impiè, frequenter, inhumanè *supra* virgineum Christi *dorsum fabricâsse*? Deo scilicet fulmen, sibi æternas apud inferos catenas?

Ps. 37. v. 18
Ps. 128. v. 3.

§ LX.

§. LX.

CORONATIO.

TU verò pectus tunde, anima: sanguini admisce lacrymas, suspiriis Dilecti junge suspiria. Ecce, novum doloris argumentum! Duraverat hucusque sub malleorum ictibus, & obduruerat adamantina Servatoris constantia. Videri sanè poterat satis supérque pulsatus novus hic ex rosa factus adamas; non tamen satis cruore tinctus: sacro nimirum vertice vultúque nondum integrè purpurato. Vt ergo etiam ex adamante in carbunculum migraturus, ab inaudita lenitate plus sanguinei ruboris luminísque ad cælestis gemmæ præstantiam acquireret; heu me! summa patientis JESU mansuetudo sub spinosa galea sanguinem sudare debuit, ut vel sic quantumvis obscurata inclaresceret, nihílque ad coloris elegantiam deesset.

Dilectus, carbunculus. Mansuetudinis.

Ah Dilecte! quid video; Iamjam ad te confluunt *cruenti milites*: jamjam *universa cohors*, velut ad solemnes ludos evocata accurrit, te novum datura Regem in proscenium: ludicrâ, sed barbarâ inauguratione. Plectitur corona ex densis spinarum ramis, simul dum plectitur, in modum galeæ delicato capiti imponitur, atque ut profundiùs verticem, frontem, tempora auréſque configat, repetitis ictibus inculcatur.

Multo cruore tinctus *Matth.*27. *v.*27.

O facinus atrox! scelus horrendum! non exhorrescis anima? En, pluit divino sanguine cæsaries: hispidis rhamni aculeis sacratissimum caput omni ex parte laceratur, pungitur, perforatur: sputa vultum amœnissimum fœde operiunt: alapæ hinc & illinc incussæ nasum, labia, dentésque impigrè contundunt: arundineum sceptrum dextram implet, chlamydis lacinia tergum dehonestat: flectunt genua per jocum scurræ, & pugnis feriunt: Regem salutant, & ceu vile ac ex-

ecrabile mancipium ſubſannant, exſibilant. O crudele ludibrium!

Ohe! jam ſatis eſt purpuræ! jam abunde rubet ſeu roſa, ſeu carbunculus. O JESV! quot vulnera! quis dolor! quanta cruoris copia! ò lucidiores Sole oculi, quanto ſanguine eſtis eclipſati! ò malis punicis venuſtiores genæ, quot verberibus contuſæ rubetis? ò deſideratiſſima beatis Angelorum choris facies, quantùm cruore ſordibúſque fœdata ſquales? ò cerebrum divinæ ſapientiæ theatrum! quot ictibus concuſſum tremis? ò caput adorandæ Trinitatis templum! quot ſentibus obſeſſum horres?

Obfuſcatus. Ergo verticem, quem ſtellæ coronant, ſpinæ confodiant? ſiccíne galeatus incedat Rex *manſuetus* & *pacificus*? fragilem pro gladio arundinem ferat *exercituum Dominus*? ſic attrito purpuræ centone humeros tegat, qui *decorem induit, amictus lumine ſicut veſtimento*? ſic ſanguinei currant rivuli per *cincinnos* cæleſti balſamo, ceu *rore* manantes? O quis mihi det ſpineam pro te, mi JESU, ferre coronam cum Catharina, aut ſaltem unicam cum Rita ſpinam! meo debetur capiti hæc galea, ut faſtum coërceat; meæ arundo dexteræ, ut greſſum firmet: meo coccinea veſtis tergo, ut nuditatem tegat: ego digna ſum, cui terra *germinet ſpinas & tribulos*: ego ſum *arundine, quæ vento agitatur* mobilior: ego vili centone vilior: ego tibi ſpina fui, ego ſanguinem expreſſi. Me ergo ſpineo coronate ſerto, ô milites! parcite Dilecto!

Matth. 21 v. 5. *Cant. 8. v. 11.* *Iſa. 1. v. 24.* *Pſ. 103. v. 2.* *Cant. 5. v. 2* *Gen. 3. v. 18* *Matth. 11. v. 7.*

Ah! tam verecunda frons non indiget hac purpura: hæc tempora molliore cingenda ſunt ſerto: hæc dextera vibrare novit fulmina: hi humeri cæli terræque machinam ſuſtentant: hæc facies utrúmque orbem ſerenat. Quid ergo ſpinæ, ſputa, calamus? quid alapæ, ſannæ, vulnera? quid tam acerbæ pœnæ, dolores, contumeliæ, *in Regem gloriæ* congeruntur? nempe regiam Chriſti majeſtatem tot tantíſq; ignominiæ

Pſ. 23. v. 7.

miniæ obfuscatam nubibus delere animus erat. At fefellit spem machinationémque eventus. Quantum vituperii acervatim impietas ingessit; tantum lucis ardorísque carbunculo nostro adjecit, ut jam quascumque noctis tenebras claritate vincat, hócque magis fulgeat, quò densiore septus erat caligine.

Sed majore fulgens lumine.

Quis tam sævos cruciatus adeò mansuetè ferret, nisi Rex potentissimus, suiipsius Imperator, affectionum domitor, naturæ victor? quis tantam dignitatis suæ injuriam, majestatis contemptum, personæ cladem, si posset, non amoliretur: aut severus ultor non castigaret, nisi plusquam homo divinum aliquid præseferret? Annon præclarus carbunculi nostri radius est, Dilectum spinas tulisse capite, ut in malesanis mortalium capitibus ambitionem configeret? pertinaciam temeritatémque judicii compungeret? ignorantiam, phantasmata fœda, technas dolósque exsculperet? annon illustris ad exemplum fulgor est, ad sui imitationem tot generosas traxisse animas, ut regia sceptra, coronas, purpurásque vel repudiarent, vel abiicerent: tam fortiter quosvis dolores pro Deo tolerarent, tam facilè injurias deglutirent, nil nisi spinas cum Dilecto ferendas tam ambitiosè quærerent? Numquid jam exiguus spinæ aculeus, unum arundinis frustillum, chlamydis segmentum tanto Regibus in pretio est, ut id prostrati piè devenerentur, coronatis capitibus imponant, ínque thesauris habeant? Non jam audit *Rex Judæorum*, sed *Rex Regum & Dominus Dominantium*: jam splendent in capite ejus *diademata multa*: tot gemmæ, quot spinæ: tot coronæ, quot vulnera: jam in manu ejus *virga directionis, virga Regni*: jam *adorant eum omnes Angeli*, cælíque proceres suas illi *coronas* substernunt. O verè carbunculus, quàm sanguine rubens, tam mansuetudine lucens, ardens charitate, pretiosum animæ cimelium!

Apoc. 19. v. 16. v. 12. *Ps.* 44. v. 7. *Heb.* 1. v. 6 *Apoc.* 4. v. 10.

§. LXI.

ECCE HOMO.

Dilectus, speculum.

INspexerat olim Pilatus hanc gemmam & velut in speculo cernens Pontificum injustitiam, Judæorum feritatem, miseram innocentis Christi sortem, operæ pretium judicavit publico dare inspiciendam. *Ecce, homo*! ait. Spectate cives, Seniores, Pharisæi, Principes. En, speculum humanæ imbecillitatis! Quem vos accusâstis affectati regni incubatorem, cum milites, ut Regem crearent, regno & humanâ propemodum formâ exuerunt: quem tradidistis mihi Deitatis aucupem, illi omnem ego divinitatis spem fucúmque ademi. *Ecce, Rex vester*! sed quàm ridiculus. *Ecce* Deus! sed quàm miserandus. Quidquid tandem se ipse faciat, *homo est*, atque supra hominem nihil. Deum se fingat; vulnera loquentur humanæ conditionis miseriam. Regem se jactet; corona, sceptrum, purpura clamabunt esse vile mancipium, ludibrium vulgi convincent. Si Rex, si Deus, si *filius Dei est*; *salvet seipsum*: spinas convertat in gemmas, cruorem in purpuram, vulnera in aurum. Quisquis denique sit, ego *hominem* specto, Deum non video. Neque ipse *hominem* se negat. Si quid peccavit, sanguine diluit, spinis expunxit, luctuoso totius corporis habitu palinodiam canit. Quid Reges ab hoc Rege, ab hoc deunculo Dii, vos ab hoc *homine* metuatis? Iam ergo cùm *homo* sit, vos quóque homines, parcite homini, si absit invidia, regníque æmulatrix suspicio, innocenti: parcite homini, si cæcos, claudos, surdósque vestros auditis, in omnes beneficio: parcite homini, si verba, mores, vitam spectatis, honesto, sapienti, multorúmque judicio Prophetæ non contemnendo? Ego vestrâ causâ non peperci: non milites, non satellites pepercerunt: parcerent lapides, flagella, spinæ, si per vos liceret, aut sensum haberent: & vos non parcatis? Vivat saltem non jam Rex, sed homo,

Io. 19. v. 5.

Pilato vitreum, humanæ fragilitatis.

Io. 19. v. 15.
Matth. 27. v. 40.

homo, vestræ memor humanitatis, humanæ non immemor, hoc est, suæ miseræque conditionis.

Quid ais Pilate? hiccíne tibi Rex ridiculosus, Deus miserabilis? Hominem inquis, specto, Deum non video? Heu quàm malè hoc speculum inspexisti! quàm graviter falsus es! Nimirum ad malignam infidelitatis lucem, oculis Romano fastu infectis obiter illud percurristi. Altiùs penetrârunt Beati Cælites, meliore scilicet usi face, ideóque idem intuendo speculum alia omnia spectant: foris nempe hominem, intus *Angelum*, non naturâ, sed officio: nempe *testamenti, pacis*, magníque consilii Angelum: *mediatorem Dei & hominum, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*; Sic illi ex animi sententia sui pronunciant.

Malach. 3. v. 1.

1. Tim. 2. v. 5.

Ecce homo! quisquis humani sanguinis guttam in venis, cor non ferinum in pectore, sanam in capite mentem geris, age: Pilatus tibi speculum exhibet; cave tantùm aspicias; sed inspice, penetra, contemplare. *Ecce!* oculi suffusi sanguine, frons pertusa, cæsaries convulsa. *Ecce!* genæ liridæ, labra tumida, tempora spinis redimita. Hæcne hominis est facies? hoc pectus, humeri, brachia, lumbi, genua, pedes, totúmque adeò corpus flagris, spinis, funibus laceratum: sanguine, livore, vulneribus opertum, hominis esse putes? an victimæ? aut vermis? Ipse profectò de se: *Ego* inquit, sum *vermis, & non homo.* Sed ne dubita, *homo est:* & quidem è regia Davidis stirpe oriundus, ex Virgine intacta natus, nomine JESUS, prærogativâ Christus, officio Angelus à supremo mundi Domino missus, humani generis Reparator, atque adeò plusquam Angelus, grande sanè mortalibus spectaculum, æternum justitiæ speculum. *Ecce, homo!* Istud sanguinis diluvium, hæc sputorum illuvies, hi vulnerum sulci, spinarum imbres, flagellorum fulmina, conviciorum tonitrua tuo debebantur capiti: hæc tuis membris, tuæ apud inferos animæ supplicia numquam finienda jam

Cælitibus chalybeū severæ justitiæ;

Ps. 21. v. 6.

decreta erant: cùm *Ecce*! adest hic *homo*, séque medium te inter & ultricem justitiæ manum interponit: verbera, contumelias, flagra, spinas, vulnera sui corporis objectu excipit, suis doloribus placat iratum Numen: suo sanguine, quod tu debebas, solvit: suis plagis pœnas avertit sempiternas: tuas luit scelestas in suo capite cogitationes, in oculis aspectus, in fronte inverecundiam, in auribus curiositatem, in labiis verba, in manibus facta, in pectore desideria, ingluviem in ventre, in pedibus transgressiones.

Ah! satis est, ò boni Cælites. Pœnitudine tangor, dolore medullitus configor, suffundor pudore, lacrymis mollesco. Et quem, nisi in feram abierit, hic aspectus non emolliat? quem nisi in saxum obduruerit hic justitiæ rigor non perterrefaciat? Quid agimus peccarores? Verè *vulneratus est propter iniquitates nostras*; *attritus est propter scelera nostra*; & nondum agnoscimus divinæ justitiæ severitatem? nec dum intelligimus horrendam ex pœnis culparum magnitudinem? nondúmne detestamur scelera? non indignamur nostræ petulantiæ? non vindictam de nostra carne sumimus! aut saltem pro amore rependimus amorem, gratias pro cruore, præconia pro tormentis? Audiamus ergo & Patrem, de cæli solio sic loquentem.

Isa. 53. v. 5.

Deo argenteum, admirandæ charitatis.

Ecce homo! quem cernis, Virgo mater non ita pridem in terris hominem peperit, Deus ante sæcula ipsósque cælos Deum genuit, ut esset *speculum sine macula & imago bonitatis illius*: *Ecce*! qui nuper pro te factus est homo, ut tu fieres Deus; nunc quoque humanam propè formam perdidit, ut divinam in te imaginem repararet, factus *vermis*, ut tu *comparatus jumentis* rursum *homo* fieres. *Ecce homo* quem tu nunc spineo serto diademátum aspicis, is est, quem David *gloriâ & honore* coronatum vidit: cujus modò vultus sanguine, sputis ac livore squalet, illius nupertimè *resplenduit facies sicut sol*: quem cento malè tectum vix ambit, cum *vestimen-*

Sap. 7. v. 26.
Psal. 21. v. 6
Ps. 48. v. 13
Psal. 8. v. 6.
Matth. 17. v. 2.

ta candida sicut nix, nubésque lucida operuit: quem Præses & lictor comitatur, illum *Moyses & Elias* medium stipabant: qui Barrabbæ latroni à plebe stolidè postponitur, *is soli comparatus* à Salomone *prior invenitur*: *cui Crucifige* Pharisæi vulgúsque acclamat, illi *Sanctus, sanctus, sanctus* Seraphini occinunt: contra quem impii funestum illud *Tolle, tolle* ingeminant, pro illo ardentissimis votis Sancti longo sæculorum ordine supplicabant: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum.* *Ecce homo*! *Hic est filius meus dilectus*: cur tibi sit odiosus? ego divino sinu foveo: cur tu illum abjicias? *in illo mihi bene complacui*; tibi cur displiceat? *Sic ego dilexi mundum, ut* hunc meum *filium unigenitum darem*: an sufficit? mihi *speciosus erat præ filiis hominum*: nunc in *eo non est species, neque decor*: pro te semel illum in flagella, spinas, crucémque tradidi; cur tu iterum, iterúmque centies ad easdem pœnas reposcis? qualem vides, tu fecisti, ego permisi; ne porrò facias moneo, tu cave. Erit, erit ò homo, cùm aspicies, qualem ego feci, tu pavebis; non fune ligatas manus, sed fulmine armatas: non rorantes sanguine oculos, sed igne scintillantes; non septum lictoribus, sed Angelis circumdatum: non jam vermem, sed judicem: non clementiæ speculum, sed terrificæ idæam majestatis.

Ibid. *Ibid. v. 3.* *Sap. 7. v. 29* *Io. 19. v. 6.* *Apoc. 4. v. 8.* *Io. 19. v. 15* *Isa. 45. v. 8* *Matth. 17 v. 5.* *Ibid.* *Io. 3. v. 16.* *Ps. 44. v. 3.* *Isa. 53. v. 2.*

O Pater æterne! sic est: agnosco tuam in hoc speculo charitatem, in homine Deum adoro, in dilecto tibi filio, Dilectum ego meum latére non ignoro. Dedisti, quo majus nihil posses, etsi te ipsum dares. Quid rependam nisi meipsum in flagella & spinas, in ludibria & pœnas? Non frustra hoc *speculum* inspicio: ad hanc *bonitatis imaginem* oculos, aures, frontem totúmque hominem componere decerno, ideóque Dilectum jam diu quæritο. Perambulavi equidem Oliveti montem, lustravi Solymæ aulas & prætorium, ubique luctuosa reperi vestigia, evulsos comæ capillos, sanguinis

Sap. 7. v. 26.

Cant.3. v.1 guinis guttas, ipſum verò *non inveni*. Trahit me tamen neſcio quæ virtus arcana, atque ut ad Golgothæ clivum me transferam, compellit: ſequar ergo Dilectum Dilecta, quid enim? ferrum ſequitur magnetem, & non ſequatur amans amantem?

§. LXII.

BAIVLATIO CRVCIS.

Dilectus, magnes.

ET verò non fruſtra te magnetem dixero, mi Dilecte, cui pro polo divina fuit voluntas: Patris gloria animarúmque ſalus pro Cynoſura, Calvaria pro cælo: laborare, pati, mori pro immobili votorum axe. Huc ſpectabas ipſe, huc trahebas alios, huc ſumma animi totiúsque corporis contentione enitebaris: tametſi per adverſa, dura, aſpera omnia, tamquam per ſcopulos, voragines & procellas tibi fuerit eluctandum.

Semper ad polum divini placiti converſus.

Quis dicat, quíſve complectatur animo, quantis tibi pœnis ſteterit hæc ad tam arduum polum propenſio? Hinc creſcebat ferina Judæorum immanitas, tui ſanguinis aſpectu magis magisque accenſa: auras aurésque pulſabat inſanientis populi, téque ad infelicem crucis ſtipitem poſtulantis vociferatio: illinc in manifeſtam deſinebat injuſtitiam humano metu fracta Pilati æquitas: lavabantur manus; at non tam aquâ, quàm ſanguine: innocentia jactabatur ore; ſed exulabat à corde: non eſt inventa damnationis cauſa; & tamen pronunciata fuit mortis ſententia: non deprehenſa culpa; crux tamen decreta! O quanto furore chlamys à vulnerato tergo, corona à transfixo vertice avulſa eſt! quo impetu veſtes tibi propriæ raptim inductæ! qua crudelitate rudis, craſſa, infamis, longa, fatalis arbor ſauciatis injecta humeris! neque tamen hæc omnia, quò minùs ad tuum te polum converteres, efficere potuerunt: non inſuper exhauſti

cor

corporis imbecillitas, non vulnerum ardor, non immane ligni pondus, non infausta latronum societas: non grandis infamiæ nota, in Paschate, in urbe regia, in oculis innumeræ multitudinis subeunda vel latum unguem à tuo cardine, à divino nutu humanæque salutis studio te dimovit.

Ivisti sanè, quò te non tam lictorum satellitúmque raptabat agmen, quàm cæli placita vocabant: festinâsti non uti nuper ingressus in urbem, sed *egressus extra castra*: non veluti triumphator; sed ductus in triumphum; non asello vectus; sed Crucem ipse vectans; nemo tibi vestimenta ramósque oleæ substravit; sed ludibria, convitia, execrationes plurimi objecerunt: nemo *Osanna* acclamavit; sed *Crucifige* innumeri ingeminârunt: nemo *filium David*, nemo *benedictum* salutavit; sed heluonem, *blasphemum*, *seductorem*, permulti proclamârunt. Sic, sic, mi Dilecte, incessisti, hac lugubri pompa ductus es, non ad capitolium; sed Calvariæ montem, quò te scilicet tua trahebat cynosura: ut nempe ex decreto Patris meam omniúmque mortalium *salutem in medio terræ*, operareris: ut, ubi primus homo propter vetitæ arboris fructum mortuus jacebat, ibi tu secundus Adam Crucis vitæque arborem pro me conscenderes: quò *Isaacus* ab Abrahamo mactandus cum lignorum fasciculo perrexit, eò tu meâ causâ lignum bene magnum pro holocausto ipsemet futurus victima conferres: ut mecum hoc *baculo* novus *Iacob* Jordanem turbidum transires, hac virga alter *Moyses rubrùm mare* mihi divideres, hac *Davidis clave super humerum* portata cælum mihi reserares.

Heb. 13. v. 13. *Matth. 21. v. 9.* *Io. 19. v. 6.* *Matth. 21. v. 9.* *Matth. 26 v. 65. & Matth. 27. v. 63.* *Ps. 73 v. 12* *Genes. 22. v. 6.* *Gen. 32. v. 10.* *Exod. 14. v. 16.* *Apoc. 3. v. 7.*

Et ego non te sequar, ò potentissime magnes animarum? Eheu! sacrata cerno vestigia divino sanguine signata, & molliore cupiam via ad cælos ambulare? te video sub funesta trabe anhelantem, & ego ad palmam sine sudore suspiriisque me vocandam esse somniem? tu ad Golgotham velut ad propitii sideris stationem, quantis potes viribus,

contendis,& ego doloris fugitans semper ad delicias Thaboris, ad felicitatem, ad quietem, ad honores, opes, gaudia aspirem?

Ah! sentio magneticam amoris violentiam. Audio vocantem: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ecce tua jam lego vestigia: volo, ah! *volo venire post te*: jam *relinquo*, exuo, odi *memetipsam, jam tollo crucem meam, & sequor te.* Et quomodo te amo, si non imitor, quem imitatur, quisquis amat? Tu trahis, ut sequar; ego sequi gaudeo; quia ad te venire ardeo: mihi gloriæ duco à te trahi; quia quos trahis, amas. Tuo traxisti exemplo Matrem doloris gladio confixam: Joannem virgineum Discipulum mœrore confectum: Magdalenam lacrymis manantem, pias mulieres luctu fletúque mersas: traxisti arcanâ gratiæ vi latronem in patibulo pendentem, Centurionem prodigiosâ tuæ vitæ clausulâ attonitum, turbas pectora percutientes, Iosephum & Nicodemum cordatissimos tui corporis funerísque curatores. Trahis etiamnum innumera post te agmina mortalium, quorum suam quisque crucem bajulat, atque ad eumdem tecum divini arbitrii, salutísque æternæ polum spectat, ad excelsum gloriæ culmen per ignominiam, ad gaudia per dolores, ad vitæ palmam per agonem mortis contendit. Venio, mi JESU, venio: jam mihi crux est in votis: suscipio in humeros, quidquid imposueris: dolores, insectationes, morbos, egestatem, infamiam, vulnera, mortem. Feram omnia; neque, dum te videro præeuntem, succumbam.

Matth. 16. v. 24.

Sed eheu; quamdiu absenti loquor? quando coràm dabitur affari? audit ille quidem vidétque; sed & ego spectare desidero, quem amo: tenere, quem quæro. Hic fertur mulieribus occurrisse: hîc lamenta vetuisse, hîc civitati excidium denunciasse: hîc ajunt Dilectum meum ei, quod ferebat, oneri succubuisse, viribus defectum defluxisse in ter-

terram, ac propè propiùs egisse animam. Ergo meus Atlas sub crucis ligno ingemuit, qui cælos *verbo* firmavit, *molémque terræ tribus digitis appendit*? At cecidit corpore stetit mente: succubuit, quia voluit: lapsus est, ut lapsos erigeret: ingemuit fessus, quia insolitum onus tulit: non oppressus à ligno; sed obrutus immensâ peccatorum sarcinâ; posuit namque *Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* O si præsens fuissem! advolâssem properè, excepissem in ulnas, balsamo refecissem, gelidum frontis sudorem strophio detersissem, levâssem onere, meósque non invita, ut Cyrenæus, illi vicarios humeros substituissem. Nunc saltem fortunata saxa veneror, quæque divinum bibit sanguinem, tellurem piis osculis demulceo, & pergo. Neque enim cælestis cordium magnes, Dilectus, etiam prostratus suum deseruit polum. Surrexit, Calvariam ascendit, nec gradum antè fixit, quàm metam attigisset, ibi fixam, ubi ipse figendus cruci futurus erat piorum arcus, meta scopúsque impiorum.

Ps. 32. v. 6.
Isa. 40. v. 12.
Isa. 53. v. 6

§. LXIII.

EXTENSIO IN CRUCE.

O! quid dixi? quid mihi in mentem venit? meúsne Dilectus sit piorum arcus? & quis ille? an qui in aëreo cælo variis pictus coloribus incubare terris creditur? an verò qui attractis cornibus violenter extensus curvatúsque jacula torquere solet? Non fallor. Et hic & ille mihi factus est. Quid ambigo? nónne vix ad montem pervenerat, cum mox divinæ Sol justitiæ jam in occasum pronus suos in roscidam sacrati corporis nubem radios impressit? ne verò purpura deesset, vestes à cruentis Dilecti membris rursum direptæ roseum è plagis sanguinem, colorem viridem, flavum cæruleúmque livor, fel, myrrhatúmque vinum affatim submi-

Dilectus arcus.

Sive cælestis.

Pacis nuncius. nistrârunt? Nónne jam olim de hoc arcu dixerat severus scelerum ultor Deus: *arcum meum ponam in nubibus*, signum clementiæ, fœderis pacísque monimentum? Non ergo jam aquis Mundi sordes eluentur, quas cruoris diluvio Servator abolevit; non jam fluctibus humanum genus haurietur; sed gratiæ immersum undis ad æternæ beatitudinis littus enatabit.

Gen. 9. v. 13

Vide, anima mea, *vide hunc arcum & benedic eum, qui fecit eum*, pro mortalibus mortalem, *Dei hominúmque Mediatorem.* Lauda Patrem, qui genuit: extolle Amorem, qui dedit: mirare munificentiam, time justitiam, majestatem adora. Etsi enim tunc terram utroque brachio amplecti visus est; fulsit tamen in cælo: inter homines in duro stipite abjectus; inter Angelos in excelso solio gloriosus: deformatus in occasu; *valde* autem *speciosus in splendore suo*: verè *candidus & rubicundus*: verè *arcus refulgens inter nebulas gloriæ*, qui suam quidem aliquamdiu texit majestatem; tertiâ tamen pòst die denuo exortus spectabilem fecit. Tu quid facies? non hunc arcum triduanis saltem lacrymarum pluviis mœsta prosequèris? Tibi enim Dilectus pacem nunciavit; ille tibi, ut *calicem salutaris* propinaret, ivit *ad montem myrrhæ, ad collem thuris, qui pascitur inter lilia*: tuâ causâ tam amaram gustavit potionem, is, cuius nutu olim *fontes amari obdulcorati sunt*: pro te *in siti sua fel* hausit, ille, cujus *Spiritus super mel est dulcis*; Tibi, tibi factus est arcus: ut te vestiret, ipse nudatus: ut te erigeret, ipse prostratus: ut te amplexu stringeret, brachia manúsque funibus distractas extendit: ut tu deinceps rectè incederes, ipse teneros pedes, genua artúsque omnes dirum in modum dilaniandos præbuit.

Eccl. 43. v. 12. 1. Tim. 2. v. 6. Eccl. 43. v. 12. Cant. 5. v. 10. Eccl. 50. v. 8. Psal. 115. v. 13. Cant. 4. v. 6 Cant. 2. v. 16. Judith. 5. v. 15. Psalm. 68. v. 22. Eccl. 24. v. 27.

Sive terrestris.

Ah! quàm miranda extensio! Sic olim *Moyses* extendit *Manus*, ut orando hostes vinceret: Sic Aaron *extendit manum ad populum*, ut beneprecando universos Deo consecra-

Exod. 16. v. 11.

eraret: Sic Iſaias *expandit manus tota die ad populum incredulum*, ut cæli viam errantibus monſtraret: ſic *aquila provocans advolandum pullos ſuos expandit alas*, ut protegat: ſic *terebinthus* ſalutifera *expandit* quaquaverſum *ramos ſuos*, ut ſanet. Sed, ò quàm crudelis fuit hæc diſtractio! qui *extendit cælum ſicut pellem*, is ut homini cælum panderet, heu! ſicut tympanum extenſus jacuit! *qui oſſibus & nervis humana compingit* corpora, ille, ut exultarent *oſſa humiliata*, dinumeranda dedit *omnia oſſa ſua*: qui *baltheum regum ſolvit, & præcingit fune renes eorum*, illemet, ut mortales *in funiculis Adam, in vinculis charitatis* ad ſe pertraheret, duris *peccatorum funibus* diſtractus eſt. O quàm dolorifica membrorum luxatio! quàm ſæva muſculorum exacerbatio! quàm cruciabilis vulnerum diſtenſio! quàm dira venarum contorſio! quàm horrenda totius corporeæ compagis diſſolutio!

- *Levit.* 9. *v.* 22.
- *Iſa.* 65. *v.* 2.
- *Deut.* 32. *v.* 11.
- *Iſa.* 6. *v.* 13.
- *Eccl.* 24. *v.* 22.
- *Pſal.* 103. *v.* 2.
- *Iob.* 10. *v.* 11.
- *Pſ.* 21. *v.* 18.
- *Iob.* 12. 18.
- *Pſ.* 50. *v.* 10.
- *Oſe.* 11. *v.* 4

Iſtáne funeſti ligni ſponda fuerit *lectulus* Dilecti *floridus*? corona ſpinis hiſpida, pulvinar? hócne *argenteum Salomonis ferculum*? *reclinatorium aureum*? *aſcenſus purpureus charitate conſtratus*? hicne *currus gloriæ Dei*, Cherubinorum ductu ſpectabilis? ſicne innocentem victimam decuit in ara Crucis immolandam barbarè diſtendi? itáne *citharam*, quâ percuſſâ *ſpiritus malus recedebat*, petulantiſſimè lacerari? ánne virgineam corporis membranam, divino Verbo exaratam, tam ſacrilegè diſcerpi?

- *Cant.* 3. *v.* 9. & 10.
- *Iſa.* 22. *v.* 18
- 1. *Reg.* 15. *v.* 23.

Nimirum arcus mihi Dilectus eſſe voluit, qui & pacem ferret, & ad bellum armaret. Non autem ferit arcus, niſi vehementer intentus. O quod ardentia è corde ſuſpiria, velut è pharetra hic arcus ad cælum miſit! quàm valida ſummæ charitatis jacula in paternum pectus contorſit! quàm frequentia precum miſſilia ad celſiſſimam divinæ pietatis arcem direxit! quàm penetrabiles amoris ſagittas in pia fidelium corda jaculatus eſt! quàm horrendis dirarum telis inferorum principem confixit! Hic eſt *arcus prælij*:

Amoris inſtrumentum.

Zach. 10. v. 4. hæc ballista debellavit Mundi fastum: hæc catapulta petulantiam Carnis prostravit: hæc Mortis fregit tyrannidem, virulentum Peccati monstrum domuit.

Hunc ergo, anima, quære Arcum, JESUM in Cruce extensum, quem cælestis *Ionathas* tibi in Calvariæ monte reliquit, quando te *dilexit ut animam suam, expoliavit se, & dedit vestimenta sua, usque ad gladium & arcum.* (1. Reg. 18. v. 1. & 4.) O te felicem, si invenias, si apprehendas, si assidua jaculatrix eo utaris! *Pone manum super* hunc *arcum, & jace sagittam percutiésque* non *Syriam*; (4. Reg. 13. v. 16. 17.) sed infesta Luciferi castra: terrebis mundi amorem, arcebis cupiditatum furias, vitiorum feras prosternes.

Quæcúmque tua precum jacula, suspiriorum tela, amoris sagittas, doloris spicula non irrita cæli scopum tangere, mitissimúmque Dei cor blandè ferire desideras, ea Dilecti in funesta trabe extensi manibus pectoríque committe, tam sacris nervis evibra, sicque felices ictus destina; &, quidquid petis tanges: quidquid voles, expugnabis; quidquid ita jaculatus fueris, erit *sagitta salutis Domini*; (4. Reg. 13. v. 17.) quia ipse Dominus & arcus & scopus: amantes perquàm amanter vulnerat, â scelestis hostiliter vulneratur.

§. LXIV.

CRUCIFIXIO.

Dilectus, scopus.

AH! magne JESU: ah! patientissime Christe. Verè scopus eras, non uno tantùm; sed quatuor clavis affixus: candidus innocentiâ, & cælesti Virgineæ carnis lacte; rotundatus obedientiâ atque æternitate: in Golgotha erectus, innumeris petitus jaculis, omni ex parte sauciatus. Nimirum te salutis humanæ amor, te Deus *posuit* sibi *quasi in signum*; (Iob. 16. v. 13. 14. 15.) ut tu mihi salutis signum fieres: *ille te circumdedit lanceis suis*, ut tu me lætitiâ circumdares: *ille te convulneravit dolore*

dolore; ut tu me amore vulnerares: *ille te concidit vulnere super vulnus*; ut tu mea sanares vulnera: ille, *ille te posuit quasi signum ad sagittam*, ad quod omnia dolorum spicula, injuriarum missilia, vocúmque sacrilegarum tela convolarent.

Thren. 3. v. 12.

Dolorum.

Jam totum corpus hiabat vulneribus, ipsúmque adeò caput spineæ immersum cassidi tot numerabat plagas, quot pungentes aculeos, néque jam videbatur ampliùs superesse vulneribus locus; invenit tamen crudelitas, ubi feriret. Eheu! horrescit animus meminisse, tergiversatur effari lingua. Corripuit repentè cruentus carnifex unâ malleum, alterâ durum, crassúmque è ferro clavum, quem tuæ prodigiosæ impositum dexteræ repetitis ictibus infixit, simúlque manum cum Cruce crudeliter transfódit: ita sinistram, ita pedem utrúmque transverberavit; mox invisum onus in altum sustulit, magnóque impetu in fossam funesto stipiti paratam, depangendo barbarè concussit. O crudelis confixio! O lamentabilis erectio! O immites clavi! O damnati mallei! O execrabiles fabri! tantæ impietatis opifices! O vulnera nimium Christo luctuosa, mihi adoranda! O salutares rivuli cruoris! O fontes salvatoris! O cælestes aurifodinæ! inexhausta gratiæ gazophylacia! non tamen sine immensis cruciatibus obtenta.

Quot enim, O mi crucifixe Amor! tunc dolorum jacula cor tuum sauciârunt? quàm profundè penetravit in animum dira plagarum granditas? dura tenerrimæ carnis divisio? sæva nervorum attritio? diuturna vulnerum laceratio? adhæc totius corporis sublimè penduli turbatio, tantæ molis pondus, membrorum divulsio, manuum pedúmque spasmus, ambientis auræ frigus, spinosum capitis pulvinar, sitientis linguæ orisque siccitas, aceti fellísque acerbitas? Quid aspectus mœstissimæ parentis? an non doloris *gladius* illius cordi infixus tibi sagitta fuit? quid gemitus Joannis? quid Magdalenæ fletus? quid mulierum planctus? quid latronis

ad

ad lævam pendentis obſtinata perverſitas? quid effrænis militum petulantia? execranda Principum exultatio, dolenda vulgi cæcitas, cruciatuum varietas, fugientis animæ lucta, mortis jam diu lentè depaſcentis laniena? an non acutiſſima fuêre tela, quæ omnia ad te veluti ſcopum collimabant? tu invictâ patiendi conſtantiâ fixus immotúsque fortiter excepiſti?

Ah! doleo tuam, Dilecte, vicem? tuæ ad cor meum ſagittæ penetrant: meam quoque feriunt animam. Téne, mi IESU, quo nemo pulchrior, nemo tenerior, nobilior, amabilior nemo: cui nullus par ſapientiâ: nullus integritate, ſanctimoniâ, dignitate, meritiſque ſecundus? Téne amicum, magiſtrum, ducem meum. Te, ajo, Fratrem dulciſſimum, Patrem amantiſſimum, Dominum Deúmque meum optimum, maximum, ſic configi, ſic torqueri, ſic erigi, ſic pendére, ſic manare ſanguine, luxatis fatiſcere membrorum nexibus, intercepto languere ſpiritu, afflictam mille tormentis animam agere? idque meâ causâ, meo bono? Et ego non liqueſcam amore? dolore non contabeſcam? O quantas tibi grates debeo! O licuiſſet pro tuis meas ſubſtituere manus, pedes pro pedibus: meo tuum redimere ſanguinem, vitam mercari morte, animam dare pro anima! At placuit tibi præbere te carnificibus metam ſcopúmque pœnarum, ut te mihi faceres ſcopum amoris,

Et injuriarum.

Quàm atrocia porrò fuêre calumniarum ſcommatúmque ſpicula? quot quámque gravibus plagis intimas animi tui medullas injuriæ tam enormes confixerunt? quando jam impuri milites, tuis ſacris potiti veſtibus tamquam opimis ſpoliis triumphabant: quando perfidi Judæi per ludibrium & cum riſu *capita* movebant: quando conſcelerati Pontifices honorificam infauſtæ arboris inſcriptionem palàm impugnabant? Quàm luculenta tibi inflixêre vulnera ſagittæ virulentis linguis, buccíſque ſtridentibus certatim jactæ?

Matth. 27. v. 39.

jactæ? Lethalibus profectò telis profundiùs illi te feriebant, quibus ludus erat primam æternámque veritatem mendacii arguere, ut fumivendum traducere: Vah! *qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas*? clementissimo sospitatori, quem misit Pater, *ut salvetur mundus per ipsum*, Salvatoris nomen munúsque abrogare: *Alios salvos fecit; seipsum non potest salvum facere*: Æterno summi Patris Filio divinitatem negare: *Si filius Dei es, descende de cruce*: Omnipotenti verbo imbecillitatem exprobrare; *salva teipsum*: *Regi Regum & Domino Dominantium*, regiam potestatem convellere: *si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei*: Sancti sanctorum filialem in Deo fiduciam sugillare, & simul supremæ majestatis potentiam circumscribere: *Confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum*: Summi Sacerdotis suspiria precésque cavillo petere, pietatem maledicâ linguâ lacerare: *Videamus, si veniat Elias liberans eum.*

Matth. 27. v. 40.
Io. 3. v. 17.
Matth. 27. v. 42.
v. 40.
Ibid.
Apoc. 19. v. 16.
Matth. 27. v. 42.
Ibid. v. 43.
v. 50.

Hem! graves sapienti contumeliæ, præacutis Scytharum jaculis nocentiores! Et has tu Dilecte, ut scopus excipis, nec tamen te ampliùs moves, quàm scopulus inter immanes fluctuum insultus. O plusquam ferrea patientia! ò inexpugnabilis tolerantia! Et ego, quid pro te? quando spinas, clavos, vulnera: quando injurias, ludibria, infamiam patienter feram, quæ vel verbulum paullò mordacius, aut muscæ rostellum ægrè sustineo? Ah! pudet me, tam ardenter à te dilectam, tam frigidè vicissim diligere. Excutio torporem, si verè amo: Pati gaudeo, si amore ardeo: Pœnas opto, si pati desidero. Ecce ergo! me tibi tuísque me sagittis scopum offero. *Confige timore tuo carnes meas*, cor pœnitudine, mentem dolore vulnera, ipsámque animam charitate.

Psal 118. v. 120.

Video ah! video *exemplum, quod mihi in monte monstratum est*. Non est ad gloriæ portum nisi per amarissimum mare navigatio: non alia, nisi per dolorum atque injuriarum

Exod. 27. v. 8.

cuſpides ad regnum via: non ſecurior faciliórque, niſi per Crucis ſcalam, ad cæli regiam aſcenſus. Intelligo, quid hic ſibi ſcopus velit. Non eſt profectò rudis; ſed litteratus: non inſtar ligni mutus, ſed vocalis: miras inſolita affixione orbi exhibet notas; ſed hieroglyphicas: non atramento vel colore pictas; ſed purpureo cruore: non in dura cedro; ſed membrana Virgine expreſſas. Vno tamen emblemate totam divinæ ſapientiæ doctrinam complectitur, librum ſcilicet, philomelam in libro, expaſſis alis, demiſſo capite, ſuis immortuam cantilenis, ultimis Verbi verbis, quæ cordi impreſſiſſe, pro Bibliotheca eſt: exprimere factis, eſſe ſapientem, ſine litteris eruditum, cæleſtis æmulum philomelæ.

§. LXV.

SEPTEM VERBA.

Dilectus, Philomela

AGnoſco divinam in te, Dilecte, luſciniam: parvulam nimirum volucrem; voce tamen, gutture artéque magnam prorſus cantatricem: Veris amicam, adeò animosè cantu certare ſolitam, ut novos ſemper modulos fundendo triumphet; donec exhauſtis ſumma contentione viribus perſæpe cantandi ſimul vivendique finem faciat.

Math.23. v.37.

Tu quidem gallina, quæ *congregat pullos ſuos ſub alas* ingratæ Solymorum urbi eſſe volebas: at *noluit* illa. Quæ tamen gallinam ferre non potuit, vel in ipſa Crucis arbore te audire debuit, & agnoſcere Philomelam. O quàm arctè tuam immenſitatem in terreni corporis anguſtias jam tum in præſepi, velut agreſti nidulo contraxiſti! quàm celeriter geminas charitatis alas explicâſti! quàm amœnum gratiæ tempus huc illuc volitando adduxiſti! quàm inſolita dulcedine artificióque non quindecim modò diebus noctibúſque, ſed ipſis ferè quatuor annis dies noctéſque cantâſti, jámque in montibus & campis, jam in civitatibus & villis inauditas orbi

orbi

orbi cantilenas de divinis rebus modulatus, tandem post breve in aulis silentium, etiam in Cruce fixus tibi lessum, mihi cunctisque tui amantibus, ceu pullis, ultimos septem versiculos moriens præcinuisti; ut omnem Christianæ perfectionis methodum septem verbis sapientissimè complexus, doctrinæ vitæque cælesti epilogum longè pulcherrimum clamando, an canendo, apponeres.

Pater, ajebas, *dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*: O Christe! quid hoc? dimittat justus judex tantum nefas? publicam insontis oppressionem, læsam Regis majestatem, irrogatas Prophetæ injurias, impiam Patris cædem, sacrilegam Divini sanguinis conculcationem? Quid umquam vidit orbis detestabilius? Non ergo cælum fulmine, vel hiatu terra in scelestos animadvertat? Patrem rogas, cujus Filium mille mundis chariorem tam exquisitis mactare suppliciis non sunt veriti! Et qui tandem illi, pro quibus tam seriò ac ferventer obsecras? nónne vilissima dæmonis mancipia? ingrata tibi, invisa Cælitibus capita? rebelles servi, jurati pietatis hostes, hypocritæ tibi execrabiles, homines perditissimi, omni flagitiorum genere operti? At, *nesciunt*, inquis, *quid faciunt*. Quid, si nescire velint? an non Pontifices, Principésque consultò te ad necem postulârunt? an non tot prodigia tuam divinitatem toti Palestinæ testâtam fecerunt? an non ipse proditor, RomanúsquePræses innocentem justúmque te pronunciârunt?

Prima illius cãtilena. *Luc.* 23. *v.* 34.

Ibid.

O charitas obstupescenda! ò admirabilis cantilena! ò mira animi celsitudo, quæ damna injuriásque sibi illatas despicit, etiam cùm læditur illæsa! Sic, ò mi Dilecte! quod defenderé non poteras, excusabas: quod illi suâ ignorabant culpâ, tu cæcitatis culpam interpretabaris: adeò dilexisti, quos nemo non odisset; ut, qui te fortunis, sanitate, formâ, viribus, amicis, famâ, sanguine, vitâ spoliârunt: etiam divinitatem, si potuissent, erepturi, eos tu in amicis numerares:

Magnanimæ charitatis in hostes.

rares: & pro illis inter tam acerbos dolores, in tanto virium defectu, in ipso vitæ fugientis exitu supplicare inter primas curas haberes. Nimirum sic diligebas Deum, quem nemo verè diligit, nisi & inimicos propter Deum diligat: sic te verum Dei Filium esse palàm fecisti, qui in suis quóque hostibus diligit, non quod faciunt ex se malum; sed quod habent à Deo bonum. Parùm tibi videbatur pro illis sparsisse sanguinem, nisi & preces lacrymásque funderes. Penetravit ergo nubes & cor Patris tam acuto modulata tono cantiuncula: Dimisit ille multis, qui à Calvariæ monte *revertebantur percutientes pectora sua*: paratus & cæteris, si dolerent, ignoscere. Si tanto hostes ardore diligis: quâ charitatis flammâ censendus es in amicos, filios, sponsásque exardescere? Si tam fœda injuriarum colluvies tuam non potuit extinguere charitatem: quantum olei tuis affundet ignibus supplex deprecatio pœnitentis?

Luc. 23. v. 48.

Secunda cantilena promptæ liberalitatis.

Luc. 23. v. 42. & 43.

Ibid.

Dixerat tibi patibularius: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Quid tu? *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso.* Itáne homo facinorosus, humani cruoris heluo, tot cædibus infamis, tot rapinis onustus, tot annis flagitiosæ vitæ innutritus, & tantùm non immortuus, tam facilè justum exoret judicem? ò prompta, ò liberalis, ò divina charitas! Ille petiit, ut sui *meminisses*; tu omnium execrandæ vitæ scelerum es oblitus. Ille, *cùm veneris in regnum tuum* exaudiri postulavit; tu nihil cunctatus adhuc *hodie* felicem fore spopondisti. Ille ultimam in *regni* angulo sedem exspectabat; tu *in paradiso* amœnissimam es pollicitus stationem. Ille verbulo uno securus non exigebat tesseram; tu tantùm non juratus tuam fidem obstrinxisti, neque his contentus, sanguinis tui fecisti participem, sceleribus expiâsti, donâsti gratiâ, regni heredem adoptâsti.

O plena liquidæ voluptatis cantio! Audite peccatores, & resipiscite; A latrone documentum capite. Altè in animum

in anim m admiſit ille miram Servatoris clementiam, pro inimicis quoque obſecrantem, novam certè in terris cantilenam: ſimúlque tactus arcanæ lucis radio, ſuam erubuit fœditatem, crimina damnavit, pœnas corpori debitas lubens excepit, pendentis in Cruce Chriſti defendit innocentiam: quem Ieroſolyma repudiavit Dominum; Regem Deúmque ipſe profeſſus eſt, preces fudit, de anima ſolicitus timuit, quem offendit; ſperavit tamen, quam rogabat, ſalutem: neque parùm dilexit, quocum ſemper eſſe cupiebat, Salvatorem. Sic tam jucundâ luſciniæ noſtræ muſicâ meruit recreari. Eja agite: cùm hoc cruciario ſupplices ad Crucifixum JESVM manus tendite, flagitate veniam, mores in melius mutate. Quiſquis peccantem ſequitur, non differat ſequi pœnitentem. Nemo certus eſt de craſtino, quem hodiernus incertum dies ſuſpendit.

Et ego amans pœniténsque ad te, Dilecte, ſuſpiro: & ego mœſta ſupplico: *Domine, memento mei*; cùm ergo jam dudum *veneris in regnum tuum*, quid moraris? quando *mei memor* eris? quando illuceſcet feliciſſimum illud *hodie?* quando, ah; quando! tu *mecum eris*, tecum ego? Vbicúmque fuero, modò ſim tecum, etiam in prætorio, in Cruce, in ſepulchro, in limbo, bene beatéque habebo: in regno, *in paradiſo*, in cælo me verſari credam. Ita me tua ſecuram facit charitas: ita docet Matris ſub Cruce ſtantis pietas. Tacuit illa quidem tuis oppreſſa doloribus, elinguata luctu, gemitibus facunda; at non & tibi libuit ſilere: ſed potiùs brevi dulcíque modulatione lugentem conſolari placuit. Itaque allocutus es filius matrem, triſtis triſtem, amans amantem, turturem philomela.

Ibid.

O quæ mihi nunc mens! quàm vivida rei geſtæ ſpecies ſe mihi repræſentat! O quàm miræ ſuavitatis ſenſus in tam horrido Calvariæ loco meam invadit animam! Hîc morienti divina Mater Nato adſtitit: hîc Joannes Crucifixi

Tertia cantilena, piæ ſolicitudinis.

comes gradum fixit: hîc Magdalena Crucis complexa stipitem in lacrymas diffluxit! Hîc sanctissima parens rorantibus oculis in Filij obtutu defixis velut attonita hæsit, suo capite Filij spinas, auribus convitia: ore fel, acetum sitímque faucibus; manibus pedibúsque clavos, nervis contorsionem, distractionem artubus, toto corpore dolores, totâ *animâ* fatalem *gladium* excepit, non Cruci, sed Filio confixa. Gestiebat equidem velare virginei nuditatem corporis, detergere sordes, sanguinis hinc illinc stillas legere, mederi vulneribus, lenire cruciatum, arcere sitim, vires instaurare, non tantùm pati, sed & mori cum moriente; sed deerat facultas, obstabat miles, sacrosanctum æterni Patris decretum prohibebat, atque ita magis magísque cum amore in immensum excrescebat dolor.

Luc. 2. v. 35.

In parentes, amicos & subditos

Sed neque minùs dolore Matris saucius ardebat Natus: quot lacrymas vidit cadentes, tot sensit spinas: quot excepit gemitus, tot sagittas tulit: quot in materno pectore cruciatus inspexit, tot ante mortem mortes sustinuit. Tandem ergo collegit vocem, atque, ut se genitricis non immemorem testaretur: Matri, *Mulier* inquit, *Ecce filius tuus*; Joanni verò: *Ecce Mater tua.* O dulcissimum afflictæ genitricis solatium! O modulatio plena officiosæ pietatis in Matrem, plena reverentiæ atque amoris erga cæli Dominam, plena solicitæ fidelitatis in discipulum, constantem in periculis socium atque amicum! Dulce quidem matris nomen subticuit, ne doloris gladium altiùs infigeret; *mulierem* tamen consultò appellavit, ut in fragili sexu heroidem summè *fortem*, diu frustra quæsitam, tandem sub Cruce inventam, *procul & ab ultimis* terræ *finibus*, imò excelsis cæli cardinibus, non *pretio*; sed Divinæ Charitatis impetu appulsam ostenderet: *magnum* profectò *signum*, nempe *mulierem* in Golgotha luctu opertam, mortuorum ossibus inambulantem, ac parturientium more cruciatam: Vulneribus, spinis, spu-

Ioan. 19. v. 26, 27.

Prov. 31. v. 10.

Apoc. 12. v. 1.

ſputis dulciſſimi Salvatoris: nuditate, frigore, contemptu tam chari capitis: cruce, diſtractione, ſpaſmo Virgineæ prolis: ſiti, blaſphemiis, morte cæleſtis Nati, heu! quàm crudelibus pœnis, tamquam duodecim telis confoſſam: At verò non multò pòſt in cælis *ſole* amiciendam, *lunâ pedibus* ſubſtratâ ſublimem, totidem gaudiorum gloriæque ſtellis meritò coronandam. *Ibid.*

O quàm bene ſic Matri conſuluit Dilectus! quàm prolixè charo diſcipulo proſpexit! Videbatur illa Natum perdere, iſte Patrem: & hic & illa in uno ſimul omnia amittere. At fecit amantiſſimus caſtarum mentium ſponſus, ut utrique nihil decederet: & nec ipſa mors filium Patrémque eriperet; ſed inſigni auctario geminaret. Dedit genitrici filium, quo tunc meliorem non habuit orbis, corpore Virginem, mente aquilam, in pectore Chriſti nidulantem, fidei Zelo tonitrui æmulum, moribus columbæ pullum, nomine gratioſum, officio legatum, Charitate fervidum in terris Seraphinum. Tradidit amico *Matrem*, quâ Majorem neque ſuper aſtra reperire fuit: *pulchræ dilectionis* magiſtram, *ſanctæ ſpei* nutricem, vitæ arborem, gratiæ fontem, mundi Dominam, Angelorum Imperatricem. *Eccl.* 24. *v.* 24.

O te beatum, tali parente filium, Joannes! ſed & ego in partem felicitatis admitti poſtulo, Da veniam, ſi me importuna ingero. Tu quidem es *diſcipulus ille, quem diligebat IESVS*? Gratulor hanc tibi ſortem: non invideo. Sed contentus eſto tibi primas concedi: Et me cæteróſque homines dilexit: hás ultimæ ſuæ voluntatis tabulas pro me quoque cunctiſque moriens confecit: ad me etiam ſpectat hæc cantilena. Communem habeamus Matrem. Non ſufficit tua ipſius Majeſtati parvitas: exiguam tui unius curam longè ſuperat illius excellentia & poteſtas. Non par eſt unus, quantuscúmque ille ſit, ut talis tantíque Filij vices expleat, vel in amoris veniat ſocietatem. Nos quotquot *Ioan.* 21. *v.* 20.

ſumus,

ſumus, fuimus erimúsque mortales, quid niſi exilis tantæ dominatricis popellus cenſebimur? & illa? nónne pluribus etiam mundis par & digna foret gubernandis? Certemus ergo hanc amando & laudando matrem. Tibi non erit operoſum vincere; nobis ſaltem certâſſe glorioſum. Hoc ſuo docuit exemplo, qui tantam cunctis Reginam, te velut internuncio acceptante, donavit; ut jam nemo mereatur Deum habere Patrem, qui illam non ut Matrem habet: totúsque mundus Dominam agnoſcat, quæ totius mundi peperit Conditorem, lactavit Magiſtrum, Reparatorem ad Crucem usque ſecuta, pro ſalute mundi Filium, ſéque in Filio immolavit.

Immortales itaque grates tibi refero, Dilecte: agnoſco ipſis demirandam Angelis clementiam, & me felicem prædico. Voluiſti, ut illa me adoptaret, quæ Deum enixa eſt: atque ita & Pater tecum mihi communis eſſet, & Mater. Et ò qualis Mater? quæ cælis ſublimior, ſtellis purior, lunâ pulchrior, ſole clarior: quæ nobilior Angelis, dignior Archangelis, Principatibus potentior; Thronis felicior, Seraphinis ardentior, ſanctior univerſis? cui famulantur ſidera, ſervit natura, ſuam cæleſtis Pater potentiam, Filius ſapientiam, bonitatem Spiritus Sanctus cumulatiſſimè impertit? Ab hac matre quid non ſperem? ſub illius recepta pallio quid timeam? quomodo illius accenſa flammis non ardeam? quomodo illius ductum ſecuta, Dilectum, quem quæro, non inveniam? quomodo cæli theſauraria me pauperculam relinquat? Mater miſericordiæ periclitantem deſtituat? ſalus infirmorum imbecillam deſerat?

O ergo ſalve Domina, mater ſalvatoris, gratiæ vitæque genitrix! quàm læta me tibi conſecro; quàm promptè tuo me honori totam devoveo! Non neſcio quidem tam præſtanti matre me penitùs indignam; at non deſpicies, quam tuus ſororē Filius agnoſcere non dignatur: memen-

to

to te viventium Matrem à moriente Nato constitutam. Peperisti me sub Cruce inter summos animi dolores: formabis ad tuum placitum fingésque sine labore. Quæ *diligentes te* diligis, fac ut te Dei matrem summè diligam: &, quæ modò non sum, esse tamen percupio, tuo facies nutu, semper tibi devotam amore filiam, obsequiis ancillam. Suscipe Philotheam & misericordiæ tuæ ulnis supplicantem amplectere: sub tuo lateat syrmate, quam Christus redemit sanguine: tuo vivat in pectore, quam ille scripsit in corde. Sic orat anima quærens Filium æterno Patri Dilectum; desiderat Frater animæ, tibi mihíque Dilectus, non tam nectarei liquoris sitiens, quàm animarum: de me solicitus, sui securus, cavet ne ego derelinquar à Matre, ipsemet à Patre derelictus.

Prov. 8. v. 17.

Quarta cantilena. Supplicis Fiduciæ.

Et est profectò magna ab hominibus deseri calamitas; longè tamen major à Deo derelinqui pœna: quæ etiam Philomelæ nostræ non querulum murmur; sed supplicem bre-vémque lugubri cantu exclamationem extorsit. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* O præclara calamitosi fiducia! ò profunda supplicantis demissio! *Derelictus est*, & tamen oravit. *Deus* erat, qui preces fudit; hominem tamen, ut se ostenderet, *Deum* appellavit suum. Poterat ipse sibi esse auxilio; at maluit Patris opem flagitare. Interrogavit, non quòd se innocentem alienas luere culpas nesciret; sed ut exaggeratam supplicii acerbitatem palàm faceret.

Marc. 15. v. 34.

In rebus deploratis.

Pater ergo derelinquat Filium? *Deus* Deum hominem? clementissimus insontem in pœnis, in doloribus, in injuriis, in luctu, in contemptu, in fatali lucta destituat? furori, odio, sævitiæ, impietati, petulantiæ, iniquitati hostium, militum, carnificum judicúmque permittat? non auxilium, non consolationem, non vires robúrque inhabitans divinitas tam pretiosæ sibíque charissimæ humanitati suggerat? qui Babylonicæ *fornacis* ignes in trium virorum gratiam *excussit*, *fecít-*

Dan. 3, v. 50.

que medium fornacis quasi ventum roris flantem, ut eos neque tangeret omnino ignis, neque contristaret: qui *conclusit ora leonum*, ut *non nocerent* Danieli: qui Jobi calamitatem quandoque solatiis interpolavit, qui diuturnum Tobiæ luctum abstersit, qui universam Judæorum gentem tyrannico Amanis gladio subduxit, qui septem Macchabæis fratribus tantum roboris concessit, *ut tamquam nihilum ducerent cruciatum*, is Vnigenito super omnia Dilecto omnem neget consolationem? Et ego ab amico me deseri indignè feram? me à propinquis auxilio destitutam conquerar? nemini res meas curæ esse doleam? Ah! quàm ego sum nimis delicata! Dilectus derelinquitur, omni privatur auxilio, caret solatio, nudatur præsidio; ego in ulnis portari, in gremio, ut infans foveri, solatiis affluere, aliena sustentari ope quæro? Et quid? nónne meritò derelinquor, quæ Deum prior deserui? Hoc, hoc est, quod mea luget Philomela. Ah! dereliquit Pater Filium, quia servus dereliquerat Dominum. Derelinqui à Deo Dilectus voluit, ne ipse hominem derelinqueret. Sic tamen derelictus est, sine solatio, ut non esset sine merito: separatus *à torrente voluptatis*, non à clibano, amoris. Qui enim dereliquit, quíque derelictus est, mutuâ certabant charitate: ut hic in alterius gratiam derelinqui vellet; ille in majorem hujus gloriam derelinqueret: uterque doceret, quàm pernitiosum sit scelus, Deum ab homine derelinqui.

Dan.6.v.22. *2.Mach.7.v.12.* *Psal.35.v.9*

O gravis & luctuosa Dilecti derelictio! qui nec *habet, ubi caput reclinet*, nec quo arentia siti labra tingat, ideóque tremulum assa voce carmen uno intonat verbo & absolvit: *Sitio*! O cruda inhumani militis humanitas! accurrit, spongiam arundini circumponit, aceto intingit, oríque Servatoris admovet. Tam crebrâ largáq; sanguinis effusione: tot vibicum, vulnerúmq; ardore, tam longâ duráq; totius corporis fatigatione in immensum excreverat sitis: & hoc illi sit levamentum: paucæ aceti guttulæ è spongia suctu trahendæ?

Quinta cantilena. *Matth.8.v.20.* Perfectæ sui victoriæ. *Jo.19.v.28*

Heu

Heu, acerba potio, immundus crater, barbarus pocillator! Et tamen Dilectus meus, ò inexplebilis patiendi sitis! qui *myrrhatum noluit vinum*, ne doloris lenimentum sumeret: *accepit*, mordax acetum, ut ultimum cruciatibus cólophonem adderet.

Marc.15. v.23.

O dulcissime Dilecte! quid tibi cum aceto? nónne *Spiritus tuus super mel dulcis?* & labiis tuis fel & vappa obtrudatur? nónne tu invitas tuos hospites, ut bibant *vinum tuum cum lacte tuo*; & ipse aceto sitim diluas? nónne tu *es botrus Cypri* præbésque *vinum germinans virgines*; & non sit tibi vel una vinuli liquoris stilla? nónne tu *emittis fontes in convallibus*: unde potent *omnes bestiæ agri*? tu rigas *montes de superioribus suis*; & modò factus sis *sicut terra deserta, invia & inaquosa*, nec habeas fluvialis, aut fontanæ guttulam? Davidi fauces aridas lamentanti tres militum fortissimi perrumpendo hostium castra frigidam ex cisterna Bethlemitica attulerunt; tibi quis affert? quis te refocillat? quis exsuccas fauces irrigat?

Eccl.24. v.27. Etiam in ultimo agone. *Cant.5.v.1* *Cant.1. v.13.* *Zach.9. v.17.* *Ps.103.v.10* *v11.* *v.13.* *Ps.62.v.8.*

Nimirum plantâsti *vineam*, *atque expectâsti, ut faceret uvas*; *fecit autem labruscas*; ideóque non nisi vino amoris ebrius pependisti in Cruce nudus, plúsque doluisti gulam meam, quàm sitim tuam: ne ego sitirem *aquam Ægypti turbidam*, tu plures sitiisti injurias, dolores, calamitates: suspirâsti non frigidum liquoris haustum; sed fervidas charitate animas; ut scilicet tuâ eas ariditate rigares, tuâ siti æternam ab iis sitim depelleres: tuo accenderes ardore. Et sint adhuc, qui inter Christianos censeri volunt; malunt tamen cum Lysimacho non regnum, sed cælum perdere: non abrepti necessitate, sed voluptate inescati per temulentiam petulanter perire, quàm cum Christo piè sitiendo modicam sibi vim inferre! Procul sit hæc à me pudenda vivendi ratio: procul ejusmodi pecudes, aut veriùs bruta [illegible] monstra. Mihi sitiit Dilectus; & ego illius amore non tam sitire, quàm

Isa.5.v.2. *Ierem. 2. v.18.*

ſobriè victitare fugiam ? ille aceto aridam refrigeravit linguam ; ego delicata guttur potione proluere adlaborem ? quando ad perfectæ vitæ culmen emergam, ſi in primo adhuc gradu hæreo ? quando in arduis pro cælo præliis victrix evadam, ſi in parvis gulæ præludiis ſuccumbo. Nónne Dilectus meus, perfectæ ſanctitatis Magiſter, vitam ſitiendo cœpit, ſitiens abſolvit ?

Sexta cantilena.

Memini ah ! memini JESUM poſt tenuem aceti ſuctum ſonoro cantu breve quidem, ſed inſigne acroama texuiſſe, quando liquida voce, totóque pectore totum humanæ ſalutis negotium à ſe *conſummatum eſſe* exclamavit, atque ad mortem ſe compoſuit. O quàm ſecurè, quàm placidè, quàm feliciter vitam claudit, qui confidenti animo hanc in fine cantare poteſt cantiunculam : *Conſummatum eſt* ! Quàm cordatè cum morte congreditur, qui ſalutis negotio ritè confecto ex hac mundi cavea egreditur ! quàm fidenter ſe ſiſtit Numini, quem ſua in exhauriendis Dei placitis conſummata fidelitas commendat.

Io. 19. v. 30.

Conſummatæ fidelitatis.

Hæc tua eſt, Dilecte mi, gloria : tibi præ omnibus mortalibus immortalibúſque dicere licuit ad Patrem : *Conſummatum eſt*. Iuſſiſti Pater, ut hominem inducerem ; indui : ut tenello corpore vix natus grave vulnus acciperem ; accepi : ut ſeptem annis profugus exularem ; exulavi : Imperáſti, ut me rudem opificio *fabrum fabrique Filium* ſex luſtris gererem ; talem ad amuſſim me geſſi : ut nec *foveam* ut *vulpes*, nec *nidum* ut *volucres* cæli haberem ; non habui : ut caſtella, vicos, deſerta, campóſque laborioſè peragrando, verbo, miraculis, exemplo, quærerem *oves, quæ perierant* ; quæſivi. Decreviſti, ut *torcular* indignationis tuæ *calcarem ſolus* ; calcavi : ut darem *animam meam Dilectam in manu inimicorum*, dedi : ut non *averterem faciem meam ab increpantibus & conſpuentibus in me* ; non averti. Voluiſti ut præberem *maxillam meam percutientibus, & genas meas vellentibus* ; præbui : ut in

In mandatis quantumcumque aſperis.

Matth. 13. v. 55. & Marc. 6. v. 3.
Matth. 8. v. 20.
Matth. 15 v. 24.
Iſa. 63. v. 3.
Ier. 12. v. 7.
Iſa. 50. v. 6.

in *flagella*, ſpinas, ſpoliationem *paratus* eſſem; fui: ut fierem *vir dolorum*, imò *vermis & non homo*; nónne talem me vides? ut veluti *ſerpens in deſerto* erigerer, nónne jam ipſas tres, & ampliùs horas in Cruce clavis affixus pendeo! ſupererat, ut *felle & aceto* potarer; Ecce, jam & iſta bibi, & ultimum meis amicis hauſtum propinavi; ut, ſi me amant, reſpondeant.

Thren. 3. v. 30.
Pſ. 37. v. 18
Iſa. 53. v. 3. Item Pſal. 31. v. 7.
Io. 3. v. 14.
Pſ. 68. v. 22

Sic ad Patrem Dilectus: ſimúlque ut pro epiphonemate ſuis ante mortem modulis finalem adjiceret clauſulam cum pſalte regio, quantis potuit viribus, altùm intonuit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, & cum dicto animam efflavit. Hoc enimverò eſt, inter acerbas etiam pœnas ſuaviter expirare, moriendo canere, canendo mori.

Luc. 23. v. 46.

Dicat nunc Philomela noſtra: Cecini. Pluribus non eſt opus verſiculis: ſat quisque habet, quod diſcat: qui has didicerit cantilenas; non leſſum, ſed epinicion ſibi canet. Quorſum enim iſte Dilecti mei cantus ſpectabat? An fortè, quod ſuo ſpiritui timeret, habuit, in cujus ſolo *nomine* flectendum eſt *omne genu cæleſtium, terreſtrium & infernorum*? an commendatione indiguit, quem divina hypoſtaſis ſuſtentavit? Cur, obſecro, ad *manus* Patris convolavit, qui eſt *brachium* Patris excelſum? An ut defenſionem poſtularet, qui hoſtes jam debellaverat? an ut perfugium quæreret, qui extra teli jactum erat? Ad limbum quidem neceſſe habuit deſcendere, non tamen ut captivus; ſed ut inde *captivitatem* educeret? Conſecravit ergo Patri ſpiritum, quem commendavit: reſtituit, à quo accepit: commendavit meritò, quia ſummè commendabilem: commiſit Conditori antequam emitteret, ut *emiſſus* è corpore rediret cum fœnore, mortuis immortalitatem membris allaturus. Et ubi tutiùs tam pretioſum deponeret theſaurum: quàm in mirificis Dei manibus? quod ſupremæ majeſtati jucundius majúsque munus offerret? quomodo immenſum humanæ animæ pretium

Septima cantilena.
Philipp. 2. v. 10.
Act. 13. v. 17.
Pſ. 67. v. 19
Perfectæ conſecrationis.
Matth. 27 v. 50.

clariùs ostenderet? quâ ratione potentiùs doceret, exiguam, & ferè nullam carnis habendam esse curam; summam verò spiritûs solicitudinem, semper quidem, maximè tamen in præcipiti vitæ declinatione gerendam? Sic, sic Dilectus *vespertinum* obtulit *holocaustum*: sic nihil sibi retinens, corpore jam diu in ara crucis extento, spiritum pro libamento adjecit, divinâ charitatis flammâ absumendum: Sic mihi, ut tota me vivens moriénsque plenè Deo permitterem, auctor fuit. Rectè habet. Mortis certa, incerta temporis jam nunc facio, quod faciendum, à moriente Philomela disco.

Ps.140.v.2

In tuas itaque *manus*, Dilecte, *commendo spiritum meum*: O quam miserum & imbecillum! parùm sane commendabilem, & tuis sacratis manibus indignum! *commendo* tamen, quia protectionis auxiliique indigentem. De corpore non laboro, infelici spiritûs ergastulo; ut verò spiritus ad imaginem sanctissimæ Triadis ex nihilo conditus bene beatéque habeat, jam diu anxia suspiro. Habebit optimè, si tuis susceptus manibus ad *manus Patris* transeat. Manus tua omnipotens; quis me infestabit? fidelis & paterna, quis me eripiet? dives & munifica, quid mihi deerit? Nónne *in manibus* tuis ferreo clavorum stylo, & pretiosâ sanguinis rubricâ me *scripsisti*? & non ibi degam, ubi me lego: non illuc convolem, quò aperta me foramina invitant? quomodo cæli regiam, nisi per has portas ingrediar? *Spiritum* ergo *meum* Tibi, & per te *Patri*, dum *commendo*, consecro: dum *in manus* trado, ut formes ad placitum, lubens permitto: dum tibi reddo, nil mihi reservo. Accipe sacrificium, quo in humanis majus non habeo: suscipe *spiritum* jam non meum; sed tuum, à te profectum, ad te tamquam centrum meritò properantem. *In manus* illum *tuas commendo*, ut commorantem in corpore perficias, emigrantem suscipias, tuóque jungas spiritui, felici donandum æternitate. Si in tuis fuerit manibus; non procul erit à corde: jam beatus, quia tuus; ego læ-

Luc. 23. v. 46.

Isa. 49. v. 16.

ta

ta vivam, læta moriar: quia moriar amando; moriendo vivam.

§. LXVI.

MORS.

ET verò cur non moriar cum Moriente Dilecto? An non illum audire mihi videor *magna voce* clamantem; ut nemo nesciat fortissimum *de tribu Iuda* leonem mori? An non spectare mihi videor *inclinato capite* pendentem; ut ad pacis osculum cunctos invitet? diductis latè brachiis præstolantem; ut totum mundum amplexu stringat? *emisso Spiritu* morti sponte occurrentem; ut vitalem mortalibus auram feliciter aspiret? denique & nudum pectus lanceæ offerentem; ut ipsa cordis penetralia mihi pandat? vitam mortuæ, tamquam infelici pullo, suo cruore novus Pelicanus restituat? Ergóne, dum ille clamat, ego taceam, & non potiùs dolore plena rugiam? dum ille caput inclinat, ego efferam, & non magis ad pedes illius prosternam? dum ille manus explicat, ego contraham, & non prompta ruam in amplexus? non legam ultimum morientis spiritum? non ingrediar in apertum pectoris sacrarium?

Dilectus, pelicanus. *Matth.27. v. 46. Apoc.5.v.5 Io.19.v.30.*

Mortem oppetiit pastor pro ovicula, Dominus pro ancilla, Rex pro paupercula, Deus pro Philothea, verme, pulvere! Et ego adhuc vivo? ò quando dabitur vitam pro vita, animam pro anima rependere?

Mirabilia.

Spectatis hæc ò Cælites, & non obstupescitis? *Angeli pacis*, & non *amarè fletis*? Cælorum orbes, & non lugetis? elementa mundi, & non cohorrescitis? Extincta est lux nostra, obfuscata gloria, gaudium oppressum, salus afflicta, vita mortua: & adhuc stat orbis? O magne Cæli terræque Rector! en, tacet Verbum, occidit *Sol justitia*, Veritas expiravit, fractum est *Speculum sine macula*, protrita est *imago bonitatis* tuæ!

Isa.33.v.7 *Malach.4. v. 2. Sap.7.v 26*

tuæ: hæc aſpicis, & non caſtigas? O charitas! O patientia! O miſeratio! ſic *dilexiſti mundum*: ſic odiſti peccatum, ut potiùs mortem Filii, quàm culpam ſervi tolerares.

Io. 3. v. 16.

Heu me! ſol obſcuratur, totámque terram luctuoſis involvit tenebris, & ego non lugeo? tremiſcit indignatione concuſſa tellus, & ego non moveor? petræ tanti facinoris immanitate ſcinduntur, & cor meum non diſſilit? mortui tantæ charitatis prodigio excitati ex monimentis progrediuntur, & ex meo pectore non prodeunt ſuſpiria? non lacrymæ erumpunt ex oculis? non ex odioſo corporis cippo anima tandem emicat? an in marmor dirigui? amo & doleo, neque tamen vivendi finem facio? expiravit cordis mei delicium, & ego adhuc ſpiro? Ah! ſatis jam vixi, dum vita mea, Dilectus, è vivis exceſſit. Moriar illi, qui pro me mortem ſubiit: aut ſi mori non datur, vivam illi, qui mihi vixit; moriar mihi, ut illi vivam. Majores habere grates nequeo, quàm ut Crucifixi æmula in Cruce vivam, in Cruce moriar: Vulnerata cum Vulnerato: gemino amoris & doloris telo confixa, cum Dilecto lanceâ confoſſo.

Dans vitam, moriendo.

Ah amor! ah dolor! Cor ergo tam dulce, tam mite, tam ſanctum cruenta militis haſta transfigat? ſacrarium divinitatis lato vulnere immitis lancea convellat? plena pietatis viſcera crudele ferrum rimetur? Itáne pie Pelicane, JESU Dilecte, ut extinctos non quidem tuos, ſed mali ovi malos pullos, nimirum prævaricatoris Adæ poſteros, in vitam revocares, non ſat tibi erat, complures toto corpore fontes, inque manibus ac pedibus quatuor cruoris rivulos aperuiſſe? etiámne ex ipſo corde ſanguinis & aquæ flumen profundere voluiſti; ut flueret unda, ubi ſuffeciſſet gutta? ideóne cor penitus exhauſiſti; ut, qui jam totus meus eras, ad ultimam usq; guttam te mihi impertires?

Quid dicam, Chriſte mi! Verè mirabilis es Pelicanus, verè Deus charitatis, imò ipſamet æterna, immenſa, divina cha-

charitas! parcè me à te diligi credebas, si in vivis tantùm, & non etiam post fata in me beneficus esses. Cur enim voluisti, ut militum aliquis tibi lanceâ latus aperiret? nisi ut tu mihi cor tuum patefaceres? sícque me pretioso conspersam sanguine animares, intra tua receptam viscera foveres, tam felici domicilio æternùm beares. Quid ergo moras necto? vadam, curram, volabo ad Cor Dilecti. Qui nuper meum sibi cor aperiri petiit, quem ego neglexi; ille nunc suum mihi pandit. O clementiæ prodigium! contemptus non me contemnit, sed etiam mortuus invitat, trahit crucifixus. O me felicem! Nunc mihi patet novus in terris paradisus: nunc *ad arborem vitæ* mihi factus est aditus: nunc mihi *fluvius è loco voluptatis egreditur irrigans terram:* nunc mihi fas est ingredi *in arcam* Noë, ne diluvio peream: nunc mihi *petra*, non *virgâ*, sed ferro percussa salutares fundit aquas: nunc datur intrare in cor JESV, cælestis opulentiæ gazophylacium, amabilissimi Sponsi *cellam*, conclave charitatis, beatitudinis aulam, sanctitatis templum, divinæ sapientiæ curiam, adorandæ sacrarium Trinitatis. Itaque accedo supplex, adoro venerabunda cor Dilecti saucium: purpureum Crucifixi vulnus, dolens & amans ingredior, æternùm, uti spero, non egressura. Ingredi jubet, qui pandi permisit: quíque in corde suo lanceâ me descripsit, is vivam mortuámque, si amavero, servabit, & nisi è meo illum corde exclusero, è suo numquam me excludet.

Gen. 2. v. 9. *v. 10.* *Gen. 7. v. 13* *Exod. c. 17 v. 6.* *Cant. 2. v. 4*

§. LXVII.

SEPVLTVRA.

Dilectus, mergus.

AT quò me nunc vertam anxia? Etiam Hierosolyma & ipse Golgothæi montis vertex me, ut video, piè lusit. Totam Dilecti patientis morientísque tragœdiam mihi ad vivum repræsentavit; ipsum verò coràm non stitit: vestigia,

& quidem cruenta oculis ſpectanda dedit; eum, quem quærebam, non fecit ſpectabilem: amorem dolorémque auxit; deſiderium non exſaturavit. Ita ſcilicet Dilecto placuit. Mirabilis ſanè Pelicanus eſt; ſed & mergum oppidò gratioſum non ineptè dixero. Nónne enim profundiſſimè ſe in hujus mundi pelagus demerſit, quando, ut mortalium animis, cibo diu deſiderato, potiretur, de cælo in terras vénit? Nónne vix è virgineo emerſus ventre divinitatem mundo agnoſcendam oſtentaverat, & mox ſe fabrilis tugurii, atque obſcuræ vitæ tenebris immerſit? inde rurſus humanæ ſalutis Zelo in lucem protractus, paullò poſt in ſalſos contumeliarum fluctus ſe demiſit: jam caput ſupra undas extulit, jam iterum iterúmque alternando vices, turbidis intinxit aquis? tandem toto corpore animáque in vaſtiſſimum triſtitiæ, dolórum, injuriarum & pœnarum mare ſe immiſit? atque ad ipſa terræ viſcera deſcendens animam limbo, tumulo corpus occultavit, tertia die cum ampliſſima Patrum præda denuò emerſurus?

Valde gratioſus.

Audax profectò fuit Arimathæus ille Joſeph, qui hunc à Pilato mergum *petiit*, felix qui obtinuit: audacem charitas fecit, religio felicem: facinoris claritas jam verè nobilem, è Decurione ſtrenuum inter Chriſti milites anteſignanum, & ducem. Quid mirum? ipſemet Joſephus rara fuit avis in terris, *homo dives, nobilis decurio*; & tamen vir *bonus & juſtus*: in proſperis quidem rebus occultus Chriſti diſcipulus; apertus tamen, fidúſque in adverſis amicus & ſodalis. O quàm ſplendidam in cælo gloriæ coronam ſibi concinnavit, quando Angelorum hominúmque caput pro opima hereditate expetiit atque accepit! O quantum ſuis adjecit divitiis incrementum, quando ſibi precibus, aut pretiò hunc cæli theſaurum comparavit! quanto rerum ſuarum compendio *mercatus eſt ſindonem*, ut tam pretioſam divinitatis arcam lucrifaceret! quanta meritorum acceſſione tam charum Su-

Matth. 27. v. 58.

Marc. 15. v. 43.
Luc. 23. v. 50.

Marc. 15 v. 46.

peri

peris corpus de Cruce deposuit, *aromatibus* unxit, involutum ligavit, sepelivit, *magnúmque saxum* ad *ostium monumenti advolvit*!

O si & mihi datum fuisset exanime quidem, sed plenum Deo cadaver ulnis amplecti, lavare lacrymis, capillis tergere, unguentis delibuere! O si & mihi fas fuisset cum Magdalena pedes, cum Josepho & Nicodemo manus, cum Ioanne cor, divinam cum Matre faciem osculis demulcere! O licuisset in meo illum corde tumulare! Si *monumentum* quærebatur, certè non erat terræ mandandus cæli Dominus; non inter pulveres locandus, qui non erat *in pulverem* reversurus: non brevi claudendus saxo, quem cælorum orbes non capiunt. Cor ergo meum Dilecto vivum fuisset monumentum: & quidem *novum*; quia recens elaboratum: in *petra*, quia præ marmore durum, *excisum*, quia profundum; in spelunca, quia obscurum, frigidúmque. At, quàm citò fieret tali hospite gloriosum, molle lacrymis, radiis illustre, plenum sanctitate! fieret sanè quamprimùm è silice gemma, è spineto *hortus*, è tumulo cælum! Non est verò, quod conquerar. Sic visum est Dilecto: elegit ipse terram, qui astra condidit; quæsivit *monumentum*, in quo *nemo erat positus*, ne inde alius prodiisse diceretur. Cor meum destinavit floridum sibi lectulum, non sepulchrum: in quo non lateret mortuus; sed redivivus conquiesceret.

Gen. 3. v. 19

Io. 19. v. 41
Matth. 27. v. 60.
Luc. 23. v. 53.

Io. 19. v. 41

Ite modò vesana capita, Pharisæi: captus est cælestis ille mergus, non caveâ, sed petrâ clausus: Vrgete Romanum Præsidem, *accipite militem, custodite sepulchrum*, vallate mortuum, *signate lapidem cum custodibus*. Frustra estis: nemo prohibebit, quin hic mergus rursum emergat. Vsque adeò meticulosi estis, ut timore dilapsos, *januísque clausis* abstrusos timeatis discipulos? aut eò usque amentes, ut qui tres in vitam revocavit, ipsum in vitam redire posse dubitetis? Redibit, at non solus: tot secum adducet testes, quot è limbo

Ioan. 19. v. 64. 65. 66.

Io. 20. v. 26

 Pa-

Patres. Nunc quidem latet, ſed veluti piſcator mergus. Si mergum non creditis, credite Phœnicem. Ego veterem meum hominem cum hoc cæleſti mergo ſepeliam, ut cum Phœnice ſidereo reſurgam.

§. LXVIII.

RESVRRECTIO.

Dilectus, Phœnix.

QVid? tam citò phœnix, qui modò Philomela, Pelicanus, mergus erat? Ita prorſus. Qui eſt *omnia in omnibus*, mihi quoque *factus eſt omnia*. Annon ergo merito Phœnicem dico, in cælis terríſque unicum? Quis enim tam longævus? quis plures vidit ætates Dilecto meo, *qui antequam Abraham fieret, fuit*? quis illo mirabilior, *qui facit mirabilia magna ſolus*? quis Phœnicis appellatione dignior eo, qui *quaſi palma exaltata in Cades*, in ſanctitate, in ſola felici Eccleſiæ Arabia degere amat? Nónne circa collum aureo ſapientiæ fulgore nitet, toto deorſum corpore tincturâ proprii cruoris purpuraſcit? nónne plumeam in capite mitram celſitudinis ſupremæ indicem geſtat? Nónne in Crucis palmam convolavit? ínque ea ex odoriferis præſtantiſſimarum virtutum ſurculis nidum ſibi conſtruxit: ardentibus divinæ juſtitiæ radiis brachia velut alas expandit? atque, ut pretioſam æterno divinitatis ſoli ſe hoſtiam offerret, excitato immenſæ charitatis incendio conflagravit?

Io. 8. v. 58.
Pſ 71. v. 18
Pulcherrimus.
Eccl. 24. v. 18.

Arſit, at in cineres non abiit; quia nihil terrenarum ſordium contraxit: factus eſt tamen vermiculus, ut novus prodiret Phœnix: non ampliùs quidem moriturus; innumeros tamen morte ſua phœnices pariturus. Quin igitur lugendi finem facio, frontem explico, animum ſereno? Cur non ad *hortum* curro, ad *monumentum* propero? intérque milites aſſidendo mecum tacita loquor, & arcanis vocibus ingemino? *Dilecte mi, Dilecte mi*! nondúmne ſurgis Phœnix

nix pulcherrime? nondúmne ex rubro sanguinis mari emergis ò sol illustrissime? etiámne *dormiens acquiescis leo* fortissime? quando tandem portis Gazæ convulsis inque montem translatis liber evades Samson fortissime? quando dissolutum tui corporis templum reædificabis, Salomon sapientissime? quando ex ventre Ceti salvus & incolumis in lucem prodibis Jona obedientissime?

O quantis te suspiriis vocat mœstissima parens! quot lacrymis invitat charus tibi discipulus Joannes! quot votis te desiderat tuis assueta pedibus Maria! quàm anxiè te sectatores tui expectant universi! Vides, quanto sidera squalore lugeant? quantis obvolutus tenebris mundus caliget? Eia, quem tua morte expiâsti, tuâ quoque vitâ rursum exhilara. Vado itaque, & sicut ille me nuper, sic ego nunc Phœnicem meum compello: *Surge veni, propera Dilecte mi: Jam enim hyems transiit, imber abiit & recessit. Vox turturis* tuam necem gementis *audita est in terra nostra. Surge propera & veni.*

Redivivus

At, quæ primo diluculo tam anhelo cursu mihi obvia festinat mulier? Maria, puto, est, cui à Magdalo cognomentum. Ex hac profectò intelligam, ubi inveniendus, quomodo quærendus sit Dilectus. Adjungo me, & alloquor. *Philothea.* Quò properas Maria, nondum sole terris exorto? *Magdalena.* Ah! noli moram injicere: ad sepulcrum festino. *Phil.* admitte, quæso, me sociam. *Magd.* Si potes æquare cursum properantis. *Philot.* Etiam volare docet amor. *Magd.* Rectè dicis, & mihi amor addit alas. *Phil.* Et quis ille tuus amor? *Magd.* Qui nuper crucifixus est. *Phil.* Quid ais? ergo amor tuus crucifixus est? *Magd.* Enimverò, quia pro me crucifixus, ideo & amor meus: quo dum careo, morior; & jam tertia venit dies, ex quo careo, & moriens vivo. *Phil.* Sed quid rei fers tecum? *Magd.* Aromata fero, ut ungam mortuum. *Phil.* Ergòne mori potuit amor tuus?

Magd. Heu! mortuus est, quia voluit: & voluit, quia amor est. *Phil.* Itaque mortuum amas? *Magd* Eò certè ampliùs; quia mortuus est ille, ut ego viverem. *Phil.* Cur verò ungere meditaris jam unctum? *Magd.* Quia amo. Sæpius jam inunxi, semper magno meo lucro, oleum operámque numquam perdidi. *Phil.* At, non times excubias? *Magd.* Non timeo, quia amo. *Phil.* Quomodo truces vultus & fulgurantia sustinebis arma? *Magd.* Ut Leæna, raptis catulis efferata venatores excipit, cadere parata pro Dilecto. *Phil.* Quid si in frusta te cedant? *Magd.* Lacerum procumbet corpus, integra stabit fides: cadet caro, non excidet amanti Amor: Etiam post fata quæram inter mortuos vivum. *Phil.* Quomodo autem unges? nónne, si milites permittant, immane saxum prohibet? *Magd.* Bellè mones: at, si desint vires, non deerit è cælo auxilium, quàmdiu nobis fiducia & charitas non defuerit.

Phil. An procul adhuc locus est? *Magd.* Jam in vicino est; illa in spelunca charum deposuerunt pignus. *Phil.* Nisi lux crepera meos fallit oculos, video apertum revoluto lapide monumentum: & mortalem, an immortalem, nescio quem, radiante vultu, corusca veste, foribus assidentem. *Magd.* An Dominus meus est? ah! non est: animi cado: non est, óccidi. Currite lacrymæ, & Magdalenam ante fata sepelite. *Phil.* Quid ejulatu cælum pulsas? si non est quem quærimus; Beatus saltem è cælo nuncius est. Audistin'? *Surrexit* JESUS noster; *non est hìc.* *Magd.* Eheu! *non est hìc?* O me! miserámne dicam, an felicem? *Surrexit*, gaudeo: *non est hìc*, doleo. *Surrexit*: ergo redivivus est; vivo: *non est hìc*: ergo frustra sum, morior. Ergo avolavit Phœnix meus? nidum sepulchri deseruit? & cor meum pro nidulo amoris non elegit? *Phil.* *Non est hìc.* Sed ubi? an modò cum Matre? *Magd.* Ita profectò & Filii charitas, & Matris reverentia persuadet. *Phil.* Quin igitur festina-

mu

mus ad felicissimum Virginis Deiparæ thalamum? *Magd.* Absit, ut cæleste hoc sacrarium ingrediar, & Matris Natique gaudia turbem. Quid si jam fortè ab illa digressus, ipse pavidos quærit discipulos? aut ingratam Solymæ Vrbem reliquit, sacrilegásque detestatus terras cælum repetiit. *Phil.* Quærendus tamen est. *Magd.* Quis verò dicet ubi? An domi meæ, ubi sacris assidebam pedibus? at non est. An in Cruce? ubi divino rubentem sanguine tenebam stipitem? non est: An in sepulchro, ubi Josephus posuit? non est: adhærerem certè, si esset, etiam mortuo, & mortua crederem me vivere.

Spectatus, non agnitus.

Sed quis à tergo mihi imminet? An ipse est? Ah! non est ille, quem suspiro; non est. *Phil.* O te felicem Magdala! quæ vides spectaculum, quod meis negatum est oculis. Sed perge fari; ego silens & cæca audiam. *Magd.* Hortulanus puto, est. Hic ergo vel monstrare debet, vel reddere, quem amo. Alloquor. Et ecce! me prior interpellat. *Christus. Mulier, quid ploras? quem quæris?* *Magd.* Non plorem infelix? thesaurum perdidi: quæro, & non invenio: illum amisi, qui toto mihi mundo charior est; & non fleam, non inquiram? *Domine, si tu sustulisti eum; dicito mihi, ubi posuisti eum; & ego eum tollam.* Si pretium expectas, dabo: si patrimonium ex asse postulas, cedam: si sanguinem iubes fundere, profundam. Dic obsecro! ubi posuisti? & ego tollam, etiam ex Caiphæ domo, ex Herodis aula, ex Pilati prætorio, ex militum catenis, ex carnificum manibus, ex rapacibus undarum fluctibus, ex ardentibus flammarum globis: nisi eum tollo, tu è vivorum numero me tolle. *Christus: Maria!* *Magd.* O quid audio? *Rabboni!* Domine! amor! Deus! ipsissimus es. O chara notáque amanti vox! Ignosce JESV. Fefellit habitus, non amor: cæcutiit oculus, non animus. Ecce! ad sacratissimos pedes me prosterno. O pedes! O plagæ! O columnæ! O gemmæ! totis ani-

Ioan. 20. v. 15.

Tandem manifestatus. *v. 16.*

animi viribus vos adoro, laudo, amo, atque amplecti cupio, osculari peropto, capiti imponere meo gestio.

Christus. Noli me tangere: vade autem ad fratres meos: & dic eis. Ascendo ad Patrem meum & Patrem Vestrum. Magd. O me in tanta felicitate miseram! abnuis, cedis, tangere prohibes. Itáne mi Christe? Vivo advolvi licuit, & non liceat redivivo? non ita pridem hoc sacrum caput unguento perfundere, divinas hasce, plantas rigare lacrymis, capillis tergere, mulcere osculis fas erat, antequam pro me spinis, clavísque confossæ pretioso ruberent sanguine; nunc nefas sit contingere? cùm non modò lacrymas, sed & omnem è venis cruorem debeo? Scio: peccatrix sum; attamen & tunc eram: sum mulier; & tunc fui; sum mortalis; & tunc fueram. O sapientia! non vis manibus contrectari; sed animis stringi: non solus à *sola*, sed palàm à multis: non mox & perfunctoriè; sed tardiùs, ut eò securiùs. Acquiesco. Si non licet tangere, amare licet. Sat tango, si sat amo, atque ut amem, obedio: te desero, ad Apostolos festina curro; corde tecum maneo.

Quid nunc agat miseranda Philothea? Evanuit ex oculis Magdalena: suavissimam Dilecti vocem audivi, præsentiam sensi, personam non vidi. An major accidere potest amanti calamitas? Sed jure plector. Non ardeo, ut illa Christi pedibus implexa hedera. Vbi sunt mea Virtutum aromata? ubi lacrymæ? ubi suspiria? Vbi vitæ castigatæ novitas? ubi mundi contemptus, Crucis amor, cæli desiderium?

Gaudeo tamen; quia etsi Dilectus non se mihi spectandum præbuit; saltem mihi quoque è tumulo surrexit: mortem exarmavit, ut ego vincerem; timendi causam sustulit, ut læta occumberem: melioris vitæ monstravit viam, ut sequerer secura: prior ipse resurrexit, ne & mihi quondam resurgendum esse dubitarem.

Gra

Gratulor ergo reditum Dilecto, quémque in tumulo non invenio, Jerosolymis quæro; si non reperio, totam peragrabo Palæstinam. Nisi enim fallor, non tam sollicitè à suis ipse quæritur, quàm ipse suos undequaque, non secus ac gallina pullos, conquirat.

§. LXIX.

APPARITIONES.

MEmini eum dicere: *Ierusalem, Ierusalem: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Quantò magis ergo nunc charissimos sibi pullos volet colligere, quos pavor dispersit? auxilium ferre, quibus ater ex inferis milvus insidias tetendit? ad cortem revocare, quos tempestas dissipavit?

Dilectus, gallina. *Matth.23. v.37.*

SEPARATIM.

ERat sanè pavidus atque implumis pullus Simon Petrus, quem ancilla ostiaria consternavit. O quàm ægrè rapaces accipitris ungues evasit! periisset: nisi, dum gallina glocitare non potuit, gallus tertiùm cantâsset. Erant & illi paullò magis fide ac spe plumati pulli, quos Emauntem digressos hæsitatio & tristitia transversos egit. Quem alium fuisse Thomam dicam, qui longiùs abreptus incredulitatis laqueo se imprudens induit? quos putem fuisse cæteros omnes, qui metu ferè exanimati lugentes & flentes ad latebras confugêre? nónne imbelles, incautos, levésque pullos? At quàm sedulò nunc huc, nunc illuc impigra Dilecti charitas tamquam gallina se gyravit?

Discipuli, pulli.

Mox ut è sepulchro prodiit, post detersas Virgineæ Matris lacrymas, Magdalenam, jam diu querulam anxiámque consueto vocis accentu recreavit: ad mulieres à monu-

Pia Mater.

mento redeuntes properè accessit, & quasi blando illas sibilo accerseret: *Avete*, dixit: *Nolite timere: ite, nunciate fratribus meis*, atque ad pedes supplici gestu provolutas amantissimè excepit. Petrum & Ioannem, ut ad tumulum festinarent, atque uter tamquam ad pullarium prior veniret, alacriter cursu certarent, concitavit, alterúmque licèt antè perjurum, dulcissimè est complexus: Cleopham sociúmque in itinere comitatus, ex periculosis diffidentiæ anfractibus aspectu, verbísque in viam reduxit: demum plures simul jam in cœnaculo, jam in maris littore: modò in monte Thabor, modò in oliveti clivo sæpe sæpius congregavit.

Matth. 28. v. 9. 10.

CONIVNCTIM.

Io. 20. v. 21

O quanta teneritudine plùs quàm materni amoris *sub alas* recepit? *ostendit eis manus & latus*: fovit frigidos, famelicos pavit: *pueri*, inquit, *numquid pulmentarium habetis? Venite, prandete*: timidos animavit, pectori appressit, atque intra divinæ suavitatis viscera inclusit: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: ille mihi, vobis ego Pater. Quid amplius charissimis gallina pullis faceret? quid, ut veriùs dicam, mater amore prolis impotens sui suavissimis liberis periculosè laborantibus abundantius grandiúsque præstare posset?

Io. 21. v. 5. & 12.

Io. 20. v. 21

Clausis ingreditur *januis*, ne pulsando terreat, nihílque sibi impervium esse demonstret: *Pax vobis*: iteratò ait, ut perturbatos animorum motus componat. *Ego sum, ego ipse sum*, ingeminando affirmat, ut omnem proscribat ambiguæ mentis caliginem: *Nolite timere* inquit, ut ex diuturno metu respirent: *Palpate & videte*, dicit, ut ad cor inspiciendum tangendúmque invitet. Sic nempe iis, qui præsunt, documento esse voluit; ut subditis tamquam pullis materna pandant viscera: palatos colligant, timidis addant animos, rudes instruant, frigidos accendant, solentur mœstos, corpore animóque

Io. 20. v. 20 21.

Pulchrum præsulibus exemplum

Luc. 24. v. 37. 39.

móque pascant periculis eximant, sanguinem vitámque, si res exigat, impéndere non formident.

O quantis gaudiis absorptas omnium mentes perfudit? quanto implevit lumine, quanto accendit charitatis æstu, quâ magnanimitatis excellentiâ constabilivit? quàm eximia Apostolici muneris dignitate insignivit? *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quis ad hanc insufflationem non exardescat? quis hoc animatus Spiritu, sanctitatem non spiret ipse, aliísque salutifero afflatu inhalet?

Io. 20. v. 22

Dic, ô beatissime Petre, quâ te suavitate Magister immemor offensæ aspexerit, quibus verborum blanditiis à tuo pectore mœrorem absterserit, quâ clementiæ significatione omnem tuis lacrymis, illius sanguine, culpam esse deletam pronunciârit. Dic, quis tibi sensus fuerit, quando radiantes divino splendore oculos, vultum omnésque corporis artus spectâsti: quando ad sacra invitatus vulnera os manúsque admovisti: quando pascendas tibi oves, agnósque pretioso Christi Sanguine redemptos tertiùm committi audieras.

Dic & tu, ô fortunate Thoma, quâ mente fueris, quò abreptus, quomodo in dulcedinis Oceano absorptus, quando *digitum tuum in loca clavorum, & manum in latus* apertum, sic jubente Domino, misisti: quando immensam Dei in homines charitatem, clementiam in reos, in miseros pietatem veluti palpando deprehendisti: quando hominem contrectâsti, cælesti tamen radio collustratus *Dominum Deúmque tuum* altâ confessus voce adorâsti. Dicat Joannes, quas ex vulnerato Magistri pectore suxerit delicias: dicat Magdalena, quos in sacris pedum aurifodinis thesauros invenerit: dicant universi, quantum gratiæ ac dignitatis, quantum solatii & virium, quantum luminis animíque ex redivivi Servatoris ore, amplexu, & benevolentia plusquam materna hauserint.

Io. 20. v. 28

Ego verò, mi Dilecte, itáne tibi ſum curæ? annon inter tuos me pullos connumeras? non me vides anxiam, vagam, ubíque tuis inhærentem veſtigiis, ad te ſuſpirare? patrem matrémve amiſſam dolere, quæritare? labore, luctu, tuíque deſiderio tantùm non fatiſcere? Nolo tu me quæras: quærenti ſaltem occurre, clamantem audi, reſponde ſupplicanti: Nolo *pulmentarium, piſcem, panem, favum mellis* mihi ſumendum offeras. Te da, & ſimul omnia dediſti. O quando dabitur & mihi dulciſſimam illam ſalutantis vocem audire? *Ave.* Illam bene precantis formulam? *Pax tibi.* Illam exhortantis acclamationem? *Noli timere.* Quando, mi amantiſſime Redemptor, & mihi te ſpectabilem exhibebis dicésque? *Ego ſum, ego ipſe ſum: palpa & vide.* O quàm citò eſſet *cor meum* in me *ardens*! quàm facilè *aperirentur oculi mei*! quàm medullitus *viſo Domino gauderem*! O quando licebit & mihi divinis advolvi pedibus, adorare præſentem Numinis majeſtatem, vulneratam pro me pretioſi corporis hoſtiam piis oſculis devenerari! quando & mihi fas erit *mittere digitum meum in loca clavorum, & manum in* ſacratiſſimum *latus*! Tota enimverò anima digitum manúmque ſequeretur: ſemel ingreſſa non egrederetur ampliùs, habitura in pedibus lavacrum & armamentarium, in manibus gazophylacium & penum: in Capite curiam & ſcholam, in corde lectulum & paradiſum: dicerem profectò: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam*; tota diffluerem gaudio, amore colliqueſcerem. Quouſque fruſtra clamabo? quò tandem pergam? quis ſupereſt, quo te quæram locus? Vnus, credo, mons oliveto nobilis; ſed veſtigiis Dilecti longè nobilior. Ah! quid dixi? veſtigiis? Ergo & ibi nil niſi veſtigia deprehendam! Jam præſagit animus; id loci equidem fuiſſe, pullóſque non ſecus ac gallina ſolet, congregâſſe, ſed inde, ut terras pertæſa facit aquila, in cælos evolâſſe.

Io. 21. *v.* 5. 9
Luc. 24. *v.* 42.

Io. 20. *v.* 25

Pſ. 131. *v.* 14.

§. LXX.

§. LXX.

ASCENSIO.

ITa est, avolavit. Jam fugaces mortalitatis pennas partim densitate, pondere, obscuritate terrenæ molis concretas: partim fami, siti, fatigationi, dolori somnóque obnoxias in tumulo velut frigido fonte abiecerat, earúmque loco plumas beatis gloriæ dotibus illustres acceperat: jam *renovatâ* in hunc modum *juventute* ex terræ gremio progressus per *quadraginta dies* discipulis, ceu charæ soboli, educandis formandísque operam planè maternam dederat: jam quoque, ut pullorum aciem exploraret, *apparens eis & loquens de regno Dei*: tam exprobrando *incredulitatem*, quàm *aperiendo sensum, ut intelligerent scripturas*, tamquam ungue suspensos, inspiciendis immota oculorum acie æterni solis incendiis obverterat; jam denique prædandi campum ostenderat: *Euntes in mundum universum*: clangorem imperaverat: *docete omnes gentes*: piscandi artem tradiderat: *baptizantes eos*: generosam indolem mira virtute obarmaverat: *In nomine meo, dæmonia ejicient.* Vt ergo alarum quoque remigio sursum tendere, pérque æthereas ire plagas suo doceret exemplo, prior ipse insolitam humanis pedibus viam est ingressus. *Sicut* enim *aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans* in altum se attollit; ita & Dilectus *eduxit undecim, & qui cum eis erant, in Bethaniam* ad oliveti montem, ibíque circumfusis reíque exitum præstolantibus: dum solemni precatióne supremum Vale diceret, *videntibus illis*, virtute propria, sensim à terra *elevatus* per liquidam aëris regionem scandendo mirabiliter *recessit*.

At quò abiit? Vnde olim venerat, revertit: inferiorem, qui *eum non agnovit, mundum* deseruit; sidereos orbes, qui *enarrant gloriam ejus*, conscendit: pedibus saxo vestigia impressit,

Dilectus, Aquila. *Psal.* 102. *v.* 5. *Act.* 4. *v.* 4. *Marc.* 16. *v.* 14. *Matth.* 28 *v.* 20. *v.* 15. *Marc.* 16. *v.* 17. Pullos ad volandum provocans *Deut.* 32. *v.* 11. *Luc.* 24. *v.* 50. *Luc.* 24. *v.* 33. *Act.* 1. *v.* 9 *Luc.* 24. *v.* 51. Ad cælum rediit.

pressit, caput supra astra extulit: Initio quidem splendida susceptus nube; mox Angelicis stipatus turmis *in empyreum cælum ferebatur.* Sic, sic non alieno delatus ministerio; sed spontanea gloriosi corporis libratione evectus usque ad ipsissimum divinitatis solem advolavit. O verè *aquila grandis & magnarum alarum*! quæ comitantibus piis Patrum manibus, tamquam *longo membrorum tractu, tulit medullam cedri* de Libano, pretiosam scilicet humanitatem suam, eámque *transportavit, non in terram Chanaan,* sed *super Israël montem excelsum*: ubi *sedet à Dextris Dei.* Atque ita victrix *in throno regni, in solio gloriæ* velut beatitatis nido perenniter quiescit.

Luc. 24. v. 51. Ezech. 17. v. 3.

Marc. 16. v. 19. Dan. 3. v. 54. 1. Reg. 2. v. 8.

Magno cælitum plausu.

O quis tunc Cælitum applausus? quæ totius sidereæ aulæ exultatio? qui concentus, quæ laudes, quæ Beatarum mentium obsequia? Jam, ut languidos mortales ad congratulationem excitarent: *Regna terræ,* ajebant, *cantate Deo, psallite Domino. Qui ascendit super cælum cæli ad Orientem: Dominus nomen illi.* Jam, ut ardentia suorum civium studia magis magisque accenderent: *Attollite portas principes vestras,* exclamabant, *& elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ; Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum.* Modò consonis vocibus concinebant: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam.*

Ps 67. v. 33

Ps. 33. v. 7. 8. 10.

Apoc. 5. v. 12.

Mortaliũ luctu.

Rectè quidem illi tam festivis plausibus Dilecto, inclyto triumphatori, cæleste capitolium ingresso acclamabant. Habent modò Angeli, quem vix etiamdum conditi, nondum humana carne vestitum, aliquando tamen induendum, jubente Deo Regem capútque suum supplices sunt devenerati: habent *in quem prospicere* tot sæculis desiderabant: quem non immeritò *multitudo militiæ cælestis*, etsi mortalem, in præsepio jacentem, mortalibus cum ingenti gaudio nunciavit: At, inferior hic orbis non lugeat? Si amabilissimus JE-

1. Pet. 1. v. 12. Luc. 2. v. 13

SVS

SUS lux nostra est, (& quis ambigat?) profectò nos illo ad-empto excæcati sumus: si ille gloria, nos despecti: si ille a-bundantia, nos depauperati: si ille vita, nos exanimati: si il-le salus, nos perditi: si dux, deserti: si Medicus, deplorati: si Pater, orphani: si caput, obtruncati meritò censemur. Qui-bus ergo lacrymis orbitatem nostram satis deplorabimus? Non alius, credo, fuerit apud pios hujusce ascensionis spe-ctatores sensus: aut certè permagna mentis inter alternas gaudii luctúsque vices fluctuatio. Erat, erat, cur suam do-lerent jacturam, solitudinem deflerent, sortem cladémque persentiscerent. Sed vicit debita Servatori charitas, Ma-gistri gloria, tanti Regis Patrísque reverentia. Post lon-gam oculorum animorúmque in cælo peregrinationem *re-gressi cum gaudio magno, erant semper in templo orantes & lau-dantes Deum.* Quid verò agendum dicendúmque mihi, O desideratissime Christe? Te triumphante mœream? antè potiùs immodico lætitiæ affluxu mersa expirabo. Præstat me infelicem esse, ut tu sis felix. Dum tecum gaudeo, te-cum triumpho, tuam tibi victoriam, coronas, palmas, glo-riam plausúsque impensè gratulor; satis supérque sum for-tunata. Et quomodo qui te amat, non tecum exultet?

Sed & solatio. *Luc. 24. v. 52.*

Non jam *tristis est anima* tua *usque ad mortem*; sed *ad vi-tam æternam* immenso gaudiorum oceano inundata: non corpus sanguineo sudore madidum; sed mira venustate per-fusum. Non tu jam paves ad amarissimi aspectum calicis; sed dulcissimum *novúmque præclari calicis* vinum hauris: non jam prolixè anxiéque Patri supplicas; sed ipse supplicantium vota ex tuo arbitrio vel admittis, vel repudias. Jam pro uno Judæ osculo, mille tibi Pater basia: pro funibus & ca-tenis, torques & armillas: pro alapis suavissimos amplexus impertit. Non jam concisa flagris membra hiant; sed divi-nis distincta gemmis fulgent: non vili centone chlamyda-tus incedis; sed cælesti claritate paludatus progrederis: non

Ex Dilecti gloria. *Luc. 26. v. 38.* *Luc. 26. v. 29. Psal. 22 v. 5.*

horri-

horridum spinis caput inclinas; sed æternis coronatum stellis ostentas: pro cruce thronum, pro clavis sceptra, pro latronum societate, supremi Numinis dexteram adeptus cælo terráque imperas.

Hominum emolumento.

Adhæc, mi gloriosissime Dilecte, nónne sic abiisti, ut maneres? absens spectabili humanitate, præsens invisibili divinitate? semper ad dexteram Patris in gloria; simul tamen in nostris mentibus, in Sacramento, in corporibus, gratiâ, amore, gubernatione? & non præ gaudio exultem? nónne plenissima solatiis effata sunt, quæ discessurus æterna tuæ charitatis pignora reliquisti? *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum.* O quàm felix tali Patre ac Fratre necessitudo! *Vado parare vobis locum.* O quàm pretiosus, quàm nobilis prodromus & designator! *Volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum.* O chara, dulcis, gloriosa societas! *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* O præclarissima jacturæ compensatio! Ergo communis tibi, mihíque Pater est Dilecte mi, & ego humi repto? in exilio, in lacrymarum valle, in hostili solo, in sterili deserto, in miseriæ domicilio, vanitatis theatro, sentina malorum, inevitabili præliorum campo proscripta hæreo? *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Dominus*, amor, Deus meus *in cælo paravit sedem suam.* O quàm sublimem, grandem, splendidam! in cælo! ò quàm secura tranquilla, abundante patria! quàm sancta civitate, quàm admiranda regia beatitatis! Et ibi Dilectus meus mihi *locum paraverit*? *ibi me secum esse*; triumphi gloriæque participem *velit*? ille mihi talem in cælo *sedem*: demissione sua celsitudinem, paupertate splendorem, labore quietem, periculis securitatem, maiestatem injuriis, gloriam contemptu, parvitate magnitudinem, morte æternitatem comparauerit? & ingrata vivo? non me tali tantóq; dignam loco facere, Dilecto auxiliante, contendo? Eia, age Philothea, sequere Dilectum, erige caput, oculos attolle, cælum

Jo. 20. v. 17

Jo. 17. v. 24

Jo. 16. v. 7.

Ps. 119. v. 5.

Psal. 102. v. 19.

cælum suspice: ibi locus, ibi requies, ibi centrum tuum. En, quàm excelsa regia! quot stellis corusca! quot orbibus arcuata! quantis plena deliciis! ubi muri gemmei, gemmeæ portæ, plateæ aurum si forent, inæstimabili pretio animos ad se raperent: quid non possint, cùm auro, margaritis, gemmísque millies antecellant? Quis non illuc totis anhelet præcordiis? Vbi lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, satietas sine fastidio, amor sine tristitia, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore: ubi perfecta omnium charitas, una omnium lætitia, una omnibus felicitas, Deum omnibus esse omnia: omnes in Deo.

O quis dabit mihi pennas! & volabo, & requiescam. Tu, Tu mi JESV, dare potes. Tu Philotheam fac aligeris æmulam. Adde, obsecro, implumi pullo pennas. Non peto dari mihi *pennas* aquilæ, quibus me imparem ferendis non nescio; sed *columbæ*, quas mea imbecillitas sustineat, suspirans flagito. Si generosa fuero columba, jam tibi me aquilam probabo. ò quàm præclaræ sunt pennæ, exquisita corporis animique puritas, sanctus Dei timor, prudens simplicitas, simplex prudentia! quàm facilè mentem sursum evehit mundi contemptus, cæli desiderium, fortis patientia, mansueta fortitudo! quàm potenter in sublime, ad usque Dei thronum attollit, profunda demissio, parendi promptitudo, fervens oratio, charitas perfecta! Has mihi largire pennas & volatu cum aquilis certabo: sic probè alata te sequar: sic etiam per nubes, per sidereos orbes, ac tandem ad ipsam Beatorum regiam penetrabo. Mitte, quæso, vicarium, quem es pollicitus, *Paraclitum*: & pennata ero: sive enim, ut *columba* advolet, sive *ut dispertitæ linguæ tamquam ignis* descendat, alas addet, secúmque in altùm abripiet.

Ps. 54. v. 7.

Interea ego, dum non licet corpore, mente saltem tecum in cælestibus habitabo: meámq; tua felicitate solabor

calamitatem: non sine ingenti fiducia: quò Frater præcessit, etiam Sororem brevi secuturam.

Amor divinus.

Columba mea. Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis. *Cant.2.v.14.*

EXEGESIS.

§. LXXI.

Suspiria & colloquia animæ, sunt jucunda Deo cantica.

EVge! Philothea, sic bene cantas: sic decet *columbam*; JESV vitam admirari, mortem plangere, suspirare ex corde, ad cælum exclamare, compellare Dilectum, te ipsam incusare, postulare veniam, eblandiri gratiam, cantare laudes, dare gloriam, triumphos gratulari, suavissimæ sunt cælo melodiæ. Perge itaque, ò *mea Columba*, tam jucundas fundere cantilenas. Deum habes auditorem, quódque summæ felicitatis culmen est, etiam laudatorem. Maxima Cantatricis gloria est, Musurgo cælestium symphoniacorum placere, divinis auribus delitias facere. Immensum erit præmium, Dilectus, cantantis famulæ Sponsus.

Sonet iterum, iterúmque sonet *vox tua in auribus meis*: quidquid divini Amoris auribus blanditur, id Dilecti quoque aures recreat, cor demulcet, mentem exhilarat.

Non ille volucrum garritus, non fidium concentus, non fistularum tubarúmque sonos, non crispatas gutturis voculas, sed cordis modulos amat. Quò pluribus illi fuerint incisi suspiriis, eò habet gratiores. Optima illi cantio est, quæ multis signata crucibus, ligata nexibus, duriusculo deducta tono magis Dilecto sibíque canit intus, quàm mortalium curiosis auribus foris sonet.

Sic

Sic olim Isaacus Patriarcha tacendo cecinit, quando *egressus erat ad meditandum in agro.* Sic Regius psaltes, silente etiam citharâ cantavit; quando, *meditatus sum*, inquit, *nocte cum corde meo: memor fui operum Domini.* Sic Ezechias non degener Davidis nepos, quando hanc sibi legem statuit: *sicut pullus hirundinis, sic clamabo: meditabor ut columba.* Sic Mater pulchræ dilectionis *conservabat omnia verba* factáque Dilecti *conferens in corde suo.* Sic Dilecta Christo Magdala, sic cælestium arcanorum arbiter Ioannes, sic Doctor gentium Paulus, sic Hilarion, Arsenius, aliíque sine numero, quorum *conversatio in cælis erat*, dies noctésque divina contemplari in delitiis habuere: sic integri exercitus dicatarum Deo mentium; dum maximam vitæ partem meditando transmittunt, quid hodiéque agunt aliud, quàm quòd perennem Numini symphoniam decantando beatos æmulari Genios conentur?

Exempla meditantium. *Gen. 24. v. 63.* *Psal. 76. v. 7. & 12. 13.* *Isa. 38. v. 14* *Luc. 2. v. 19.* *Philip. 3. v. 20.*

Et hinc quidem aliæ velut in choros divisæ, rerum humanarum inanitatem, sempiternas inferorum pœnas, occulta Dei judicia, innatam sceleribus fœditatem secum volutantes *profundùm* suspirant: illinc aliæ adversos prosperósque rerum eventus ad divini Moderatoris providentiam referunt, atq; ita inter dura ac mollia semper quietæ sibíq; similes, æquali vitæ *tenore* transeuntes, cum cæli harmonia pulchrè consonant: isthinc aliæ, dum ingens cælestium beneficiorum pondus copiámque secum expendunt, dum illustria sanctorum facta recolunt, dum ad laudandum amandúmque Conditorem insurgunt: *altùm* ingemiscentes suaviter piéque vitam componendo, certè novum superis carmen modulantur: aliæ verò divinarum contemplationi rerum assuetæ, dum sopito omni corporei sensûs ministerio, quidquid Deus non est, transcendunt, & velut *extra* se *vagantes* ínque divino lucis Oceano immersæ, supremum beatitatis

Meditantium concentus.

 fasti-

fastigium attingunt, profectò etsi amando silent, silendo tamen admirabili suavitate cantant.

Vox dulcis, meditationis Fructus.

Has inter præstantes cælestésque psaltrias & te, mea Philothea, nunc accenseo. *Vox enim tua dulcis:* vox non rustica, quæ terram resonet, sed amœna; quia religiosa & pia: *Vox* non rauco eructata gutture, sed pura; quia casto pectore profecta: *vox* non adipata, quæ gulam exhalet, sed clara & sobrietate moderatrice formata. *Vox tua dulcis*, quàm, ut esset liquida, ab omni fuco purgavit sincera veritas: ut prodiret blanda, asperitatem ademit mansueta bonitas: ut fieret acuta, penetrabilem fecit robusta patientia. *Vox dulcis*, quam obedientia in omnem flectit partem, demissio profundam reddit, excelsam efficit perfecta charitas. Sic nempe meditatio vocem expolivit, sic cantare Dilecti vita & mors docuit, optima virtutum omnium magistra.

Quis enim Dilectum frequenti meditatione aspicit, & non velut uva à vicino botro colorem ducit? quis loquentem observat, & non sicuti Philomelæ pullus à matre cantare discit? Quis tam purum sanctitatis speculum studiosè inspicit, & suam ad illud formam non emendat? quis ad sidereum amoris ignem propiùs accedit, & non acutùm videt, non validè incalescit, ac denique, sicut cera liquescens, divinam Dilecti imaginem sibi impressam verbis moribúsque non repræsentat? Dilectum ergo semper meditare, & semper bene canes: neque verò cantabis *voce sola*, sed Cælites habebis præcentores & symphonascos: quibus canendo certare, est beatam in terris vitam ordiri.

Quæ-

QVæſivi illum, & non invéni. *Cant.3. v.2.* Vocavi & non reſpondit mihi. *Cant.5, v.6.*

Philothea.

EXEGESIS.

§. LXXII.

Anima ſine Dilecto miſera

O Numen! O Beatæ mentes! O cæli! O terra! aſpicite miſeram, audite infelicem animam. Vos teſtes mei amoris laboriſque appello. Vos nôſtis, *quem diligat anima mea*: vos cernitis, quàm anxiè quæram, quàm ardenter ſuſpirem, quámque validè inclamem; ſed incaſſum. *Quæſivi* quidem hucusque Servatorem meum ſuper omnia Dilectum in Nazarethi domuncula, in Bethlemitica mandra, in Solymæ templo, in Ægypti tugurio: & quidem invéni ubique illuſtria ſummæ virtutis veſtigia; at illum ipſum *non invéni*: jam *declinaverat*. Itaque mox, quacumque tranſierat, ſecuta præeuntem, â Jordanis flumine, per deſertum, per villas & oppida, per lacus & maria usque ad Samariæ, Decapoleos & Galilææ campos, compita, urbésque perrexi, atque iterum paſſim innumera quidem & clara invéni indicia ſanctitatis; *illum* tamen ipſum *non invéni*. Jam dudum tranſierat. Sic Bethaniam, inde Solymam ingreſſa, ibi cœnaculum, hortum, aulas, tribunalia, Calvariæ atque oliveti montes luſtravi, totámque viventis morientis, ac denique redivivi hiſtoriam videre mihi viſa ſum. At velut in umbra: *illum* ipſum, qui mihi cauſa quærendi fuit, *non invéni*. Jam ad cælos, ad divinam Patris dexteram ad coronam, ad palmas, ad triumphos aſcenderat. Ita ſcilicet par erat Victorem denique terris ſe ſubducere; ſic decebat ignavam vilémque plecti ancillam.

Deſolata.

Quod unum afflictæ ſupererat, *vocavi* clamando, orando, ſuſpirando: Adhæc dulciſſimis, quæ amor ſuggerebat

bat, nominibus compellavi: at ille velut obturatas haberet aures, *non respondit mihi.* Si vel ad momentum serenissimæ frontis orisque radium amanti indulsisset: si vel unum, ut olim Magdalenæ, verbulum rependisset: si vel guttulam suæ dulcedinis menti infudisset: si vel extremo digitulo cor tetigisset meum; O quantis affluerem solatiis! quibus abundarem gaudiis: quàm castis arderem flammis! At nunc desolata, arida, tristis, languida contabesco: amaritudine, timore, anxietate, dolore prostrata jaceo.

Desolationis acerbitas.

Quæ enim major ab infenso hoste desolatio populis regnísque inferri potest, quàm si Rege, Duce, præsidio exuta squaleant? si sole, aquâ, fructu, destituantur? si cultu, pace, quiete careant? Et hæc omnia, heu dolor! quin longè majora, hísque plura perdidi, cùm Dilectum segnis, & incuria amisi. Sum profectò non secus ac sine sole dies, *sine aqua tellus*: *sicut passer solitarius in tecto, sicut nycticorax in domicilio*: Sum, eheu! velut *infans ablactatus* & à matre abjectus, velut viator lassus & errabundus: sicut *inter spinas rosa*, sicut *uter in pruina.* Non jam sapit orationis manna, sine Dilecto amarum; non lectionis favus, sine Dilecto inanis; non psalmodiæ promulsis, sine Dilecto acerba. Non jam pia mentem inflammant colloquia: non sacra dolorem mitigant mysteria: non expugnant iratum cælum suscepta corporis supplicia. Heu me! quid agam, nescio; in media luce caligo, ubique sine causa trepido. Labor est, dispersam mentem colligere; onus, ad cælum attollere: dolor Dilectum sequi; sine Dilecto vivere, pœna.

Ps. 142. v. 6. 101. v. 8 v. 7. Isa. 29. v. 9. Psal. 118. v. 83.

Salutiferum animæ antidotum.

At, quò feror incauta? quò me obfuscatæ mentis agit ægritudo? Ergóne cedam tempestati? an fluctuantem cymbulam turbini fluctibúsque permittam? itáne animum stulta despondebo? Absit tam insana à me vecordia. Sic deserta mihíque relicta meas metiri vires disco: sic, quàm nihil sit totus ad Dilectum mundus, intelligo: sic majore meo

bono

bono, uberiore Dei gloria cordatiùs calcare mundum, Dilectum sequi ardentiùs, inventum fortiùs tenere condocesio. Non ergo desisto cæptis.

Non muto consilium: stat JESUM quærere. Si pœna est sine Dilecto vivere; feram, quod sum commerita, tormentum. Quid? an non majoribus digna fui suppliciis? an vile mancipium habeatur delicatiùs? an semper ad felicissimum supremi Regis admittatur consortium? an numquam non serenam Dilecti faciem, ipsismet desideratam Angelis ad libitum contempletur? Queritur Jobus suam miserabili voce amaritudinem: *Deus, sub quo curvantur qui portant orbem, implet me amaritudinibus*: dolet velatam Numinis faciem: *Cur faciem tuam abscondis & arbitraris me inimicum tuum*? Lamentatur David suam tristitiam: *Quare oblitus es mei, & quare contristatus incedo*? deplorat longam Dei absentiam: *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus*? Deflet suam Cæli Regina sub Cruce calamitatem. *Posuit me desolatam, tota die mærore confectam*: Ipse mundi Conditor in horto sanguineo mersus sudore, atque in funesta trabe pendens suas testatur angustias. *Tristis est anima mea usque ad mortem. Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*? Et ego eximia esse velim? Mihi scilicet soli semper ibunt sine nube, sine imbre, sine tempestate dies? mihi perenni fluxu *stillabunt montes dulcedinem, & colles* fundent *lac & mel*? ubi robusta fidei vivacitas? an majora Dilectum pro me passum credo? ubi invicta spei patientia? an immensam perseveranti gloriæ coronam parari, sic confido? ubi sincerus charitatis ardor? an amorem meum cælo terræque testatum volo? Ita sanè. Cur ergo meam deploro sortem, quæ est felicissima? pro Dilecto pati? velut aurum in fornace excoqui? ceu gemmam secari, sculpi & poliri? ceu filiam annis sensúque grandiusculam contentiùs haberi?

Generosum desolatæ animæ decretum.

Iob. 9. *v.* 13. & 18. 13. *v.* 24.

Ps. 41. *v.* 10 *v.* 6.

Thren. 1. *v.* 13.

Matth. 26 38. 27. *v.* 46.

Ioël. 3. *v.* 18

Erit

Erit, erit, cùm sæva transibit tempestas, optatissima redibit serenitas: erit, cùm evanescent tenebræ, affulgebit splendor: fugiet dolor, affluent solatia: cessabit timor, succedent gaudia: erit, cùm languorem pellet alacritas, sterilitatem pensabit fecunditas; spinæ vertentur in rosas, in rorem pruina, pœna in gloriam, pugna in triumphum. Veniet, veniet Dilectus. Interea bonæ spei plena supplices ad illum preces lacrymásque mitto; Has ille oratrices mirè disertas, validas expugnandæ pietatis machinas, fideles inflammati amoris internuncias, scio, non reiiciet.

Dan. 3. v. 39.

Preces animæ desolatæ.

Ps. 129. v. 1.

Ps. 141. v. 3

Hab. 1. v. 2.

Ad te, Dilecte JESV, *in animo contrito*, quem sua premit infirmitas: *& in spiritu humilitatis*, quem propria dat in ruborem vilitas, jam diu multúmque, *de profundis* nihili mei miseriæque abyssis clamo: ad te Domine clementissime, toto cordis affectu suspiro, ad te oculos manúsque tollo: *effundo in conspectu tuo*, qui vides omnia, & non videris, *orationem meam*, calamitatis nuntiam, doloris indicem, solatium mœroris: *& tribulationem meam antè te* mente potiùs quàm linguâ *pronuntio. Vsquequò, Domine clamabo & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis* ancillam, fateor indignam; sed tuo devotam Numini? tui amore sauciam? tui desiderio tabescentem?

Ps. 29. v. 8.

27. v. 11.

Psal. 118. v. 137.

Te Deum meum, principium finémque meum, salutem gloriámque meam inquiro: te contemplari, tenere, complecti ardeo; at nec, ut velim, invenio; nec ubi quæram scio. *Avertisti faciem tuam* omnis gratiæ gloriæque sedem. O clades! *ideóque cor meum conturbatum est*, ò dolor! *dereliquit me virtus mea*, ò calamitas: & *lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* O jactura! ò caligo! ò longum acerbúmque inertiæ supplicium. Non tamen, quod querar, habeo; ah! habeo quod me incusando acriter castigem. *Iustus es Domine, & rectum Iudicium tuum.* Quòd te amo, quòd te quæ-

quærito; tuum eſt donum, lucrum meum: quòd te non audio, non video; culpa eſt mea, tua animadverſio.

Si porrò meam plectere vecordiam placet, ſi geminare ictus, ſi augere pœnam; Ecce me! in *flagella paratam* habes famulam: *& hæc mihi ſit conſolatio*, ut omni deſtituas ſolatio: hæc mea voluptas, *ut affligens me dolore non parcas*; *nec contradicam ſermonibus Sancti, ſed judicem meum deprecabor.*

27. *v.* 18. *Iob*. 6. *v*. 10. 9. *v*. 15.

Attamen, ò Dilecte, *ſpes mea tu in die afflictionis*: tu *dulcis & rectus Dominus*: *tu miſericors & clemens*; *ideóque non iraſcéris in finem*, ſed *cùm iratus fueris*, *miſericordiæ recordaberis*: admittes utique ſupplicantis animæ ſuſpiria, exaudies vota, abrumpes moram, ſuccurres afflictæ, tuáque amabili præſentiâ miſeram beabis.

Ierem. 17. *v*. 17. *Pſ*. 24. *v*. 8. *Exod*. 34. *v*. 6. *Hab*. 3. *v*. 2. *Ion*. 4. *v*. 2.

Redi ergo, mi IESU, redi; *oſtende faciem tuam*, *& ſalva ero.* Tu ſol es animæ meæ, fons gratiæ, dulcedo mentium: tu gaudium cordis, gloria capitis, virtutis fulcimentum: ubi tu, ibi divinæ fulget lucis claritas, jucunda ridet ſerenitas, tranquilla viget felicitas, fecunda floret pietas, ſuavis ſecuritas perennat. Sic veluti rediviva ſurgam, roborata curram, indefeſſa quæram, felix inveniam, læta cantabo: tenebo cautiùs, ſtringam fortiùs, ardentiùs amabo. Sic tibi mihíque fiet ſatis; quia amare ego gaudeo; tu amari: tu ut diligaris diligis; ego diligo, ut diligam: & quia diligo, etiam per vulnera quæro.

Pſ. 79. *v*. 4.

Amor Divinus, absenti, velut ad præsentem.

EN ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. *Cant. 2 v. 9.*

EXEGESIS.

§. LXXIII.

Desolatio, magnæ animæ experimentum.

HOc Dilectus, hoc divinus volebat Amor; ut intelligeres Philothea, non te semper lacte, infantium more pascendam, sed solido, quo masculæ vescuntur animæ, cibo paulatim assuefaciendam. Non est magnæ laudis, spe prædæ, liberioris vitæ amore, gloriæ cupiditate, aut gratiæ apud Principem captandæ studio castra sequi; gregarius quisque miles, etiam ignavus, ita factitat. Sed ære proprio militare, absque stipendio castrenses pro Rege labores aggredi, cruenta gratis subire prælia, solóque Ducis amore caput suum devovere; hoc enimverò palmarium est, & generosis tantùm animis concessum. Heroidem ergo te format Dilectus, dum duris asperísque exercet; si mascula es, solo Dilecti amore sudas, quæris, decertas: neque pensi habes stipendia solatiorum.

Dilectus semper propè est.

Ne ergo desine, etiam cælo cruces & sanguinem pluente, JESUM quærere; lamentari potiùs desiste. Quem tu longè absentem existimas; is ita tibi propinquus est, ut propior esse nequeat. Si mentis oculos habueris purgatos, næ tu illum deprehendes tibi adesse, te illi; neque ex vano teipsam castigando, dices ipsa tibi, quòd olim sibimet sponsa.

Vnicum in Desolatione perfugium.

Quid anxia Dilectum velut peregrè commorantem suspiro? cur tamquam vagum erronem ubique inclamo? Annon propè est? annon totus illum mundus, etsi *per speculum*

lum, in ænigmate, mihi repræsentat? annon ad fidei facem cerno rebus omnibus superis, mediis, infimis invisibilem interesse divinitatem? annon mihi vitæ mortísque inspecta series, sicut in theatro spectabilem Dilectum exhibet? si hæc meam non explent amandi cupiditatem: *En*, rem immortalibus juxtà ac mortalibus obstupescendam! *Ipse* ille, quem cælo terráque perlustratâ quæsivimus, *stat post parietem nostrum*; humanæ scilicet carnis, ex Virginea Matre quondam assumptæ murum; in Ecclesia quidem mystici caput corporis & supremus omnium gubernator: in Eucharistia divini convivii modimperator, prodigúsque thesaurorum cælestium dispensator: in anima verò sanctioris vitæ auctor, radix & culmen beatitatis. Si non videmus *facie ad faciem*; sat est, quòd ipse nos videat: nos namque interjectus vetat paries desideratam Dilecti faciem intueri; illum nil prohibet, quin per *fenestras* itentidem *respiciat*, curiosè nos observet, *pérque cancellos prospiciens* nostris invigilet emolumentis. O divina caro! ò *paries* admirande, ebore candidior, auro purior, gemmis pretiosior, astris pulchrior, cælis sublimior! quem virgineus fundavit sanguis, *altissimi virtus* eduxit, *Spiritus sanctus* formavit. ò *fenestræ* stupendæ! ò cælestes latentis animæ facultates; per quas *respicit* infinita bonitas, atque æternæ charitatis radios effundit! ò *fenestræ* clarissimæ! ò sacratissimi beatæ carnis oculi, per quos dum anima Dilecti *respicit*, simul cor tangit, æthereísque incendit flammis.

1. *Cor.* 13. v. 12.

Stat post parietem.

Respicit per fenestras.

Luc. 1. v. 35

O *cancelli* purpurei, ò sacrata manuum cordis pedúmque vulnera! per quæ immensa, Dei charitas *prospicit*, ut opem salutémque afferat! ò plagæ toto corpore diffusæ! ò retia fortunata: quibus Servator humanas illaqueat mentes, ut feliciter captivas æterno amoris nexu sibi obstringat!

Prospicit per cancellos.

O felix anima, cui fas est adhunc aureum, non Solymæi, sed divini templi *parietem* propiùs accedere! cui datur *per* has cæli *fenestras* vel parùm oculos inferre: cui licet *per* hos

clementiæ *cancellos* Dilecto loqui, & loquentem audire: quem etsi panis viníque species, ceu candidus tenuísque murus, à nobis dividit; non tamen separat: tegit, non aufert. *Stat* ille fideliter, perstátque paratus ad juvandum; occultatus tamen *post parietem*; ut fidem excitet, spem acuat, extimulet charitatem. O quàm tenerè amandus, quia inconnivis oculis semper nostram *respicit* infirmitatem, ut frater; sed & meritò piè timendus, quia ad intimos quoque cordis recessus, ubique locorum, nullo non tempore vigil & attentus *prospicit*, ut judex.

Humanitas Christi, aureus paries. *Isa* 38. v. 2. 60. v. 8. 4. *Reg.* 1. v. 2.

Ad hunc ergo divinitatis *parietem*, ad has gloriæ *fenestras*, ad hos gratiæ *cancellos* festino: hîc perpetim stare, hîc excubare fixum firmúmque habeo. Hîc cùm Ezechia *convertam faciem meam ad parietem, & orabo ad Dominum.* Huc *volitabo*, *quasi columbæ ad fenestras suas.* Hos ego tenebo *cancellos*, & non *cadam cum Ochozia de cænaculo* æternæ felicitatis. Sacratissimam JESV mei humanitatem intimis animæ penetralibus complectar, ne umquam divellar à divinitate.

Luteus paries, miserabile corpus hominis. *Ezech.* 13. v. 15.

Sed eheu! alius adhuc me *paries* arcet, luteus ille crassúsque mei corporis murus. Ergóne *ipse stat post* hunc etiam *parietem nostrum*? Stat enimverò *respiciens per fenestras* sensuum, *prospiciens per cancellos* perplexarum animi affectionum viriúmque mentis. At, benè habet; Pauca temporis fluent momenta, cùm verum erit dicere: *Non est paries, & non sunt qui liniunt eum. Stat post* hunc *parietem nostrum* etiam mors inimica vitæ, clamátque: *Destruam parietem, & adæquabo terræ*; tunc amoto sipario prodibit in lucem lux mea: spectabo, non per *fenestram*, sed in solio: non per transennam, sed claro intuitu: non sub nube, sed *in lumine*: non ut Moyses *posteriora, sed faciem plenam gratiarum: non in specie electri*, ut Ezechiel: non cum *capillis candidis quasi lana munda*, ut Daniel: non denique *similem aspectui lapidis jaspidis &*

Ezech. 1. v. 27. *Dan.* 2. v. 9 *Apoc.* 4. v. 3.

sar

ſardinis, ut Ioannes. *Sed videbo eum, ſicuti eſt.* Et omnis qui *habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* *Io. 3. v. 3.*

Intelligis Philothea? ſic ſentires, ſic diceres; ſi ſuis rem momentis rectè penſitares. Næ ille meritò omnis eſt ſolatii expers, quem iſtud non erigit ſolatium!

Philothea redux.

INvenerunt me Cuſtodes, qui circumeunt civitatem: percuſſerunt me: vulneraverunt me: tulerunt pallium meum. *Cant. 5. v. 7.*

EXEGESIS.

§. LXXIV.

Pericula, quærenti Deum occurſare ſolita.

VT nunc tibi placeo? Dilecte: ſic nimirum pulvere conſperſa, lividis infecta maculis, cruore proprio ſignata, nudata pallio, vulnere non tantùm uno ſaucia? utique non diſplicet illa tibi, cui talia ferre tui amore placuit: non deformant hæc vulnera, ſed ornant: bellè florent genæ, quibus ingenuus pro purpuriſſo ſanguis eſt. Vultus ergo meus, quamvis ſqualidus, non erit tibi ingratus; quia tuâ cauſâ adeò ſeverè expictus. Dum te quæſivi, reperi quod non expectavi: dum te non *invéni*, inventa ſum ab hoſtibus & ferè circumventa. Scis totam rei ſeriem, qui nihil ignoras, & ubíque vides audíſque omnia; jucundum tamen eſt, ſiniſtros amanti caſus retexere: prima vulneris medela, plagam medico denudâſſe.

Poſt peragratum laborioſè orbem univerſum, te quærendo, in Eccleſia quoque, in altari, in animâ quærendum arbitrabar, jámque tui inflammata deſiderio, per varios fidelium cætus, ſacras ædes, domiciliáque paſſim liberè exclamabam: *Dilecte*, Dilecte! mi JESV, mea ſpes, meum gaudium! cùm ecce, *invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt* hanc

Ab hoſtibus fidei.

magnam mundi *civitatem*, Principes, Reges, Tyranni: *custodes murorum*, in quorum potestate sunt provinciæ, regna, atque imperia: quos inter alii idololatræ inhumani, alii Mahometani perfidi, magnus quoque eorum numerus, quos hæresis ab Ecclesia avulsit.

Quid à barbara Paganorum feritate aliud expectare poteram, nisi minas, tormenta, necem? quid à sanguinario Saracenorum Turcarúmque furore, præter verbera, compedes, innumerásque diræ servitutis ærumnas? quid à callida Pseudo Christianorum malignitate, nisi dolos, ludibria, insectationes? Quòd evasi, hoc tibi, Dilecte, in acceptis refero. *Percusserunt* tamen *me* maléque mulctârunt tot fustibus, quot sceleribus perperam commissis: *vulneraverunt me*, heu nimis crudeliter! *plagâ cordis*; tot ictibus, quot sacrilegiis. Heu! quantum erat vulnus, oculis auribúsque horrescentibus & invitis percipere, ligna, saxa, flumina: quin & solem, stellas, Cælum, atque adeò bestias, homines, Dæmones pro Diis coli! divinas leges, rationis dictamina, salutaria Servatoris dogmata calcari; spurcas verò Epicuri ac Mahometi fabulas pro vitæ norma haberi! polygamiam, nefandas libidines, furta, fraudes, vindictam, cædes inter honesta numerari! Quàm crudelis plaga erat, Sacras Divorum imagines dejici templa diripi, sacramenta proculcari, mysteria aboleri, purgatorium ignem extingui, Deum peccati auctorem proclamari, & tandem omnino è mundo, perverso Atheorum judicio tolli! Christum JESUM & hunc crucifixum *gentibus* esse *stultitiam*: Judaizantibus *scandalum*, Hæreticis ludibrium! Tametsi verò gratiæ stolam, pudoris cingulum, fideíque cidatim non eripuerunt; *tulerunt* tamen *pallium meum*: charitatis fervorem, dulcedinem pietatis, *palliúmque laudis* tam pestiferis moribus, quàm insidiis & domesticâ consuetudine non animadvertenti ademerunt.

1. Cor. 1. v. 23.

Isa. 61. v. 3.

Ab inimi-

Ferri poterant ista. Non enim solent aperti Ecclesiæ

Chri-

Christíque hostes mitiùs habere animas, aut possunt. At ipsos Christiades, malos Principes, ignavos Præsides, vanos Doctores, perversos Conscientiæ arbitros, moderatores imperitos, sacratos homines minimè sacros, *custodes qui circumeunt* Ecclesiæ *civitatem*: custodes dixi, proditores dicere debebam; sic me indignis excepisse modis, hoc enimverò dolet. Si *percussissent* me *virgâ directionis*, si *vulnerâssent* spinâ *compunctionis*, *timoris* divini gladio, sancti *amoris* telo: si *abstulissent* malæ consuetudinis *pallium*, torporis velamentum, proprii amoris involucrum: si noctis caliginem discussissent, si recto ad Dilectum tramite, per aspeta direxissent, si animâssent timidam, si cunctanti admovissent stimulos, si majorem animæ, quàm corpori curam adhibuissent; tunc sanè quod ipsis officii ratio imperabat, mihíque in votis erat, fecissent. At illi, mi Christe, *percusserunt me*, pessimis vitæ exemplis: *vulneraverunt me*, alii blandis doctrinæ laxamentis, velut ancipitibus dubiæ veritatis cultris: consiliis præposteris, tamquam spinis sub rosâ latentibus: perniciosâ & inimicâ virtuti indulgentiâ, ceu dolone. Alii Zelo intempestivæ pietatis, rigore supra vires exaggerato, perenni timore tristitiáque meum sauciârunt animum: atque insuper *tulerunt pallium*, quo involuebar, tranquillitatem mentis, conscientiæ teneritudinem, justam totius vitæ compositionem. Interea totis ego viribus pugnabam contrà: perfectionis ardebam desiderio, heroicisque intenta virtutibus Christum propiùs sequi studebam, rogabam auxilia, manum quæ duceret, poscebam.

cis arctioris disciplinæ.

Ps. 44. v. 7.

At quomodo ad perfectæ vitæ rationem me proveherent, quibus tota perfectio in veste, verbis externisque ritibus consistit? quomodo ad officium me compellerent, qui legibus ipsi astringi dolent? An, qui ardua quæque virtutis exercitamenta supra humanas esse vires sentiunt, & mediocritate contenti sunt, ad ardua me hortarentur? An abstinen-

Laxatæ disciplinæ signa.

ſtinentiam ſuaderent? quibus temperantia gravis eſt, & vel ſolum jejunii nomen horrori? an animi collectionem docerent, qui ſemper inquieti, garruli, jocis cachinníſque dediti, ne quid ſpiritûs remaneat, ſemper effundunt? An orationis ſtudium commendarent, quibus omnis ad menſam hora brevis, in re divinâ tempus ad nauſeam prolixum? Dicebam tamen: *Num, quem diligit anima mea, vidiſtis?* ſuſpirabam: *Dilecte mi*, O Dilecte! Hîc me alii ſannis & cachinnis explodere: alii velut odioſam novatricem averſari: conviтiis proſcindere, manus quoque violentas injicere, patrocinio, ope, famáque ſpoliare. Hinc vulnera, hinc ſqualor, hinc denudatio inexſpectata, ſed, uti ſpero, non indecóra.

Hæc una tamen me angit cura, quòd in tam grave ſalutis diſcrimen me imprudens impulerit ardor. Sine Duce, ſine comite, ſine face arduam perfectionis ſemitam, tot ſeptam periculis inire, non eſt, ut video, Dilectum quærere, ſed ruinam: lethalibus occurrere plagis, captare ſpoliationem.

Sed en! quis prodeambulat; puellarum, credo, corona eſt. An meæ excitatæ vocibus opémque latura confluit? hem, quàm dulces facit modulos? mœrorem tamen meum non excantabit, niſi lætum de Dilecto nuncium ferat. Agnoſco. Virgineus pudor & modeſtia amicas Deo animas manifeſtat. *Filiæ* ſunt *Ieruſalem.* O exoptatum in tempore ſolatium, novâ cæli beneficentiâ ſubmiſſum! Placet alloqui.

SCE-

SCENA III.

ADjuro vos, filiæ Ierusalem; si inveneritis Dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. *Cant. 5. v. 8.*

Philothea

EXEGESIS.

§. I.

SAlvete, ò meæ Sorores, charæ Dilecto Sponsæ. Quæ vos cura tam matutina foras evocavit? an meus fortè clamor interrupit quietem, & in publicum excivit? Date veniam amanti. Et ipsæ vos sæpe Dilectum inclamatis, dum cælestis flamma vestras felici incendio mentes depascitur. Quis diligit, & Dilectum abesse non dolet, non quærit? Quis quærit & non clamat? quis dolet, & non suspirat? *Quæsivi* atque etiamnum quærere est animus. *Non inveni*; at vestra inveniam ope, vestro ductu non aberrabo: vos Beatæ mentes nôstis secretas Dilecti latebras. *Filiæ* estis *Ierusalem*: sat dixi, Nullæ vos inquietant indomitæ animi passiones: nullæ mentis oculos involvunt errorum tenebræ: *sed in pulchritudine pacis, & luminis claritate, de virtute in virtutem* ire contenditis, ut videatis *Deum Deorum in Sion*. Vbi ergo *pacis visio*, ibi facilis Dilecti est inventio: in visione pax, in pace visio: *Pacificus & videns* in utraque sedem fixit. *Filias* dixi, quas Ecclesia Servatori peperit, Religio orationis lacte educavit: *filias Ierusalem*, quibus invenire pacem meditando; contemplando, Pacificum videre divinitus concessum est.

Ferventes animæ.

Isa. 32 v. 18
Act. 22. v. 11.
Ps. 83. v. 8.

Fervoris signa.

Ps.136.v.8

Non vos, ut *filiæ Babylonis* infelices & *miseræ*, aut tepidæ Numinis amatrices animæ assolent, virtutis umbram; sed virtutem sectamini: non vobis eminus Christi vestigia sequi sat est; sed, quoad licet è vicino tanti Ducis lateri adhærere satagitis: non vestris in cordibus pauculæ tantùm veluti subcinere latent divini amoris scintillæ; sed ingentibus flammarum globis casta semper æstuant incendia. Vobis cordi est animi potiùs quàm corporis cultura, minimarum etiam noxarum horror ac fuga, arctioris disciplinæ legúmque sacrosancta auctoritas: vobis non grave est carere necessariis, abstinere jucundis, exerceri asperis atque abjectis: imò jucundum est, carnem domare, conspuere mundum, delicias famámque conculcare. Vobis arcta sunt pro epulis jejunia, longæ pro somno vigiliæ, prolixæ pro deliciis supplicationes: vestri ad cælum tendunt gemitus, Deum loquuntur verba, attrahunt vota, fovent cordium penetralia. Felicem me vestro arbitror sodalitio: amicitiæ fructum persentisco. Vester vel solus, nescio quo pacto, me ad omnem stimulat virtutem aspectus, impellunt verba, incitant exempla, docent facta, trahit consuetudo, calorem afflat ardor; ut vestri quoque fiam particeps fervoris, & sequar vestigia gressu impari, pari voluntate.

Et quoniam non nescio, vos ad Dilectum pergere, multóque me velociùs, quia spiritu valentiores, ad illum perventuras certum habeo; per omnia vos sacra oro quæsóque: si qua vobis est pietas & miseratio meæ calamitatis: si qua salutis alienæ cura, propriæ felicitatis grata recordatio: si cæli desiderium, Dilecti amor, atque ex amore gaudium, hæc mea intimis servate medullis verba: quibus etiam atque etiam *vos* obtestor, & quâ fas est, *adiuro*; *ut* quamprimùm felici sorte *inveneritis* Dilectum (invenietis enimverò Sponsum assuetæ cæli favoribus Sponsæ) mox *nuncietis ei*, non meas animi angustias, non tristissimam desertæ orbitatem,

non

non multiplices quærentis labores & pericula, non illatas vociferanti plagas & vulnera; sed unum idque palmare cordis vulnus, quod ipse inflixit. *Vnde vulnerata charitate ego sum*, castóque JESU *Amore* non tantùm ardeo, sed & mundo, carni, mihique ipsi moriendo *langueo*. Jam mens solum cogitat Dilectum, solum suspirat, solum quærit; ad alia omnia torpet, fastidit, deficit. Iam caligant oculi ad solis faces, surdescunt aures ad Orphei lyram, hæret lingua ad amicorum affatus, stupent manus ad obsequia: toto corpore vires fugiunt, atque ad cor, amoris sedem, se recipiunt, ut sese in Dilecti charitatem effundant. Hæc ille omnia non nescit. *Nunciate* tamen. Ita enim ille se nostris conformat moribus, ut si ignoraret. Amare gaudet, amátque amari. Reddite ergo pium vulnus pro vulnere. Dicite: Philothea *amore* tui *languet*; & vulnere illum jucundissimo sauciâstis.

Felix amoris languor.

QValis est Dilectus tuus ex Dilecto? quia sic adjurâsti nos, *Cant. 5. v. 9*

Filiæ Ierusalem.

PARAPHRASIS.

ET tu salve, ò Soror charissima. Quid hoc rei est? itáne te solam, hoc noctis, ingenuam puellam, injuriis obnoxiam, per vicos & plateas oberrare? palàm indulgere suspiriis, inconditùm exclamare, tuósque amores prodere? Nesciebas fortè illud Salomonis? *Væ soli! quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se.* Quàm facilè à recto aberrat tramite, qui sine Ductore iter ignotum, arduum, longúmque ingreditur? quàm citò cladem accipit, qui comites non adsciscit? An ignorabas illud Isaiæ? *Secretum meum mihi.* Non amat Dilectus publicum, secretum quærit. Ibi reperit Job: *in diebus adolescentiæ meæ*, inquit, *quando secretò Deus erat in taber-*

Via perfectionis sine Duce periculosa. *Eccl. 4. v. 10.*

Dilectus intus quærendus. *Isa. 24. v. 16* *Iob. 29. v. 4*

Judith. 8. v. 6. *Isa. 30. v. 15*

tabernaculo meo. Ibi invénit Juditha, ideóque in *superioribus domûs suæ fecit sibi secretum cubiculum.* Intus ergo quærendus erat, aut sine strepitu foris. *In silentio & spe erit fortitudo tua.* Sed veniabilem facit errorem charitas.

Bene languet anima, si fervet.

Serena mentem, discute frontis nebulas, viriles sume animos. *Amore langues?* Summa hæc terrenæ felicitatis est. Non accelerat hic languor mortem, sed vitam animæ conservat. Ardens Dilecti amor scintilla est, quam è Seraphinorum alis excussam pectus excepit. Sic ardere, pro refrigerio est: pro robore, sic languere. Vident hoc Cælites & gratulantur: non ignorat Dilectus, & exultat. At luctum, inquis, parit absentia. Tu nempe legem Dilecto sancies, tu reditum imperabis, tu tempus definies. Non tristaberis, si cogites, ita placitum esse Dilecto. Multum illi debes, etiam cùm te desertam credis. Quòd diligas, ipse facit: quòd mundum fastidias, carnem oderis, Dilecti desiderio pulsata, saucia pallióque sis exuta, & tamen Heroidem te præstes, ille dat. Adhæc, amor ipse sibi merces est: aliud non exposcit præmium: nec cogitat longiùs abesse Dilectum, quem perennis animi exercitatio ubique sistit præsentem.

Nunciabimus ergo Dilecto tuos amores, desideria, languores: factum puta, quod Sorores addecet. Quia enim sic nostram testata es fidem, nostrúmque Sponsi amorem compellando, veluti sanctissimo juris jurandi sacramento nos adegisti, nefas foret roganti non acquiescere. Verùm antè ex te audire, gratum erit, de Dilecto quid sentias. Jam novimus, quem tu quæras, suspires, invoces Dilectum; *qualis* autem ille sit, *Dilectus ex Dilecto* & cur supra omnes tibi in pretio, solus ille charus: quâ origine, potentiâ, dignitate, opibus: quà formâ, moribus, indole, gratiâ, lubet intelligere. Dic ergo: sitientes animos aurésque damus: quantumcumque dixeris, minimè satiabis.

Dile-

Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. *Cant. 5. v. 10.*

Philothea.

EXEGESIS.

§. II.

OHe! Quid me poſcitis, Sorores? quî vobis in mentem venit ex me quærere, quod antè pernôſtis! veſtrámne melleis JESU laudibus famem paſcere avetis? an meam periclitari inſcitiam conſpirâſtis? Méne Dilectum graphicè vobis depingere? qualis quantúſque ſit verbis explicare? quis meus de illo ſenſus, quæ cauſa dilectionis, quæ encomiorum ſylloge, brevi ſermone complecti? Tam hoc mihi dulce foret facere, quàm auſcultare vobis perjucundum. Sed ubi verba? ubi Spiritus? quis vocem, quis linguam dabit tanto non imparem argumento? unde ordiar? ubi deſinam? pandite mea vos ipſæ præcordia: medium ſecate cor, inſpicite, legite, examinate.

Genus Dilecti inquiritis: *at, generationem ejus quis enarrabit?* Dicámne ex magnis inter homines Heroibus genus ducere? ſed Deus eſt. Dicámne ergo, ex Deo originem trahere? at ſimul homo eſt. In terrâ ortus, ſed Matre virgine, mariti neſcia: in divinitate genitus, ſed Patre cælibe, feminæ ignaro. Illic veluti *flos de radice*; hîc ceu *lumen de lumine*: illic caro in tempore factus; hîc *Verbum* ab æterno genitum: *Illic ſuperveniens in Matre Spiritus illum ſanctus* formavit; hîc Spiritum ipſe ſanctum cum Patre ſpiravit: illic principium finémque vitæ habuit; hîc omnium ipſe rerum eſt finis & principium: illic longâ atavorum Regum ſerie procreatus; hîc æternâ Patris ſubſtantiâ natus; illic Patriarcharum ſoboles; hîc *Pater futuri ſæculi*: utrobique mi-

Dilecti genus. *Iſa. 53. v. 8.*

Iſa. 11. v. 1

Luc. 1. v. 35.

Iſa. 9. v. 6.

raculum incomparabile, Virginis Deíque filius. An hoc ſat eſt? nobiliorem in terris, cælísque proſapiam quis cogitando fingat?

Potentia. Potentiam vultis? nónne par eſt eam origini divinæ prorſus æquari? Quid non poteſt, apud quem *non eſt impoſſibile omne verbum*? qui quod vult, dum vult facit? quod imperat obtinet? cui parent omnia, nihil reſiſtit: qui *vocat ea, quæ non ſunt*, & obtemperant. Hanc mundi machinam, cùm non eſſet, vocavit; & mox ex ſuo prodivit nihilo, ut eſſet: vocavit cæleſtes ex nihilo Genios; & illico myriades ad obſequium proſilierunt; vocavit *lucem* è tenebris, *duo* cæli *luminaria magna, & ſtellas* è lucis gremio; & mox ſidereus in firmamento exercitus ſtetit: vocavit ex vitreis aquarum abyſſis *reptile animæ viventis, & volatile*; cùm mox per aëra pennati volitârunt avium greges: per omnia maria, lacus & flumina ſquamigeræ piſcium turmæ natitârunt. Ipſe cæleſtes in gyrum orbes torquet: ipſe tonat, fulminat, imbres ignéſque pluit: ipſe exſiccat maria, ſiſtit flumina, terram concutit, mergit regna: ipſe imperat ventis, calcat fluctus, morbos fugat, mortem inferóſque domat. At hæc parua ſunt illi; qui poteſt omnia.

Luc. 1. v. 37. *Rom. 4. v. 17.* *Gen. 1. v. 4. 16.* *v. 20.*

Dignitas. Dignitatem ſuſpicitis? quis illo celſior, qui omnem ſuperat celſitudinem, gloriam tranſcendit, ſupergreditur majeſtatem? Ipſe ſapientûm Antiſtes: cui cælum cathedra, mundus ſchola, humanæ Angelicǽque mentes diſcipuli; cui doctrina charitas, veritas verbum; liber Deus eſt. Ipſe ſupremus vivorum mortuorúmque Judex: cujus non fallitur cognitio, non flectitur juſtitia, ſententia non mutatur, non luditur potentia: aſpectus percellit impios, juſtos exhilarat: vox nocentes fulminat, beat innocentes. Ipſe Dominator, Princeps, Rex: cui pro aula *lux inacceſſibilis*, pro throno ignis, pro diademate radii, pro indumento majeſtas, ſiderei orbes pro ſcabello: quem proſtrati in terram adorant Re-

ges

ges, pavent dæmones, tremunt Angeli, tota cælestis curia supplex veneratur. Ipse *Sacerdos* summus, *Pontifex* omnino maximus: qui *sempiternum habet Sacerdotium*, *tabernaculum non manu factum*, *Sancta Sanctorum* prorsus divina; cui altare, cor: incensum, preces: ignis, charitas: ipse hostia, Dei agnus, homo Deus. Ipse denique *Deus Deorum* est: *qui in altissimis habitat*, tanto infinitis sublimior intervallis, quàm Angeli; quantò Angelorum summus pulvere nobilior: cæli Rector, terræ salus, mundi anima, bonorum amor, terror impiorum.

Hebr. 7. *v.* 24. *Hebr.* 9. *v.* 11. *Ps.* 49. *v.* 1. *Eccl.* 24. *v.* 5.

Opes.

Opes fortè flagitatis? Pandite vastissimos animorum sinus: solus illos explebit, cujus sunt omnia, quæ tellus, mare, æther complectitur: quæ in cælis rutilant, in terris delectant, in montibus latent, in arcis gemunt, in usu, in pretio, in amore sunt. Hæc omnia si dederit, nihil se dedisse putabit, qui nihil atque ex nihilo facit omnia. Alias habet divitias: aliud argentum, aurum, gemmas, uniones: opulentiam cælestem, thesauros divinos gratiæ, virtutum, luminum, solatiorum, gloriæ, beatitatis. His amat ditare pauperes: has, ut impetrent, ipsosmet Reges oportet fieri mendicos.

Indoles.

Et non sit ille meritò mihi *Dilectus ex Dilecto*? Filius talis ac tantus ex tanto talique Patre, charitas ex charitate, *Deus de Deo* genitus? non illum, si plures essent mundi, per omnes quæram & inclamem? non, si per inferos focos penetrandum foret, ad illum anhelando pergam? non jure optimo illius amore langueo; me tamen adhuc languidè nimis amare credo? Saxo, ferro, glaciéque frigidior sum; si tam nobilem, excelsam, cælestem, divinámque indolem non totis præcordiis, totísque medullis diligo: quæ nihil caducum & humile, nihil mediocre & inane, lubricum nihil, nihil terrenum sequitur; sed toto mentis impetu ad grandia fertur, seria solidáque prensat, æterna, cælestia, divina amplectitur.

Bar-

Mores. Barbaris certè, ipsísque sum feris inhumanior: si mores tam ingenuos & pudicos, támque decoros & liberales: si tantam in verbis fidem, in factis sinceritatem, humanitatem in gestu, summam in nullo non animi motu moderationem non æstimo, totísque viribus non amo. Nónne nisi perfida sim, mira me illius delectat vitæ sanctitas, sapientia trahit, rapit dulcedo? nónne ingens illius me accendit charitas, fovet clementia, stringítque ad amandum inexplicabilis virtus, gratia admirabilis, immensa bonitas?

Forma. *Cant. 5. v. 18. v. 12.* De formâ quid dicam? Cogitate *caput* velut *aurum optimum*: Comas, *sicut élatæ palmarum, fluentes* per utrúmque humerum, in annulos curvatas, nullísque adhuc canis conspersas, sed nativo tinctas nigrore: *oculos* quoque nitidos ceu *columbarum, quæ sunt lacte lota, & resident juxta fluenta plenissima.* Cogitate *genas* vernare, sicut *areolæ aromatum consitæ à pigmentariis*: *labia*, non secus ac *lilia distillare myrrham primam*, purpureo rosarum rubore picta: *guttur*, collúmque *suavissimum* lacteúmque argento certare. Cogitate *manus tornatiles*, scitissimè à divino opifice elaboratas, teretibus longísque digitis, *aureas & plenas hyacinthis*: pectus *eburneum, distinctum sapphiris*, tamquam Zonâ circumfusis: crura demum, ut *columnas marmoreas, quæ fundatæ sunt, super bases aureas.* Hæc omnia & millies pulchriora si cogitabitis, nihil admodum cogitâstis. Ne infinita sim narrando, compendium accipite.

Dilectus meus divinitate *candidus est, & rubicundus* humanitate: candorem illi conciliat divini luminis copia; humanæ tolerantia conditionis ruborem affundit: quòd candicat, puritatis est; quòd, rubet, majestatis: albicat, quia fulget; quia amat, purpurascit. Quid dico? *candidus & rubicundus*? rectiùs nive, lacte, ebore, argento, lilio candidiorem dixero; rubicundiorem rosâ, vino, sanguine, pyropo: quin solus ille *candidus & rubicundus*, cui comparatus omnis

omnis candor nigricat, omnis purpura ſordeſcit; Mihi *candidus* in præſepio, mihi *rubicundus* ſub cultro: candidus in cœnaculo, *rubicundus* in horto: *candidus* in Herodis aula, *rubicundus* in prætorio Pilati. Heu me! ſuâ *candidus* innocentiâ, meo ſcelere *rubicundus*.

Talis eſt, ò Sorores, *Dilectus meus*. Et non ſit ille mihi ex mille *millibus electus*: qui *ex* mille *millibus* me elegit? quem ut eligam, jus poſtulat; ſi non eligo, non amo: ſi non diligo, perii. Hunc quæro, hunc voco, hujus *amore langueo*.

QVò abiit Dilectus tuus? quò declinavit? & quæremus eum tecum. *Cant. 5. v. 17.*

Filiæ Jeruſalem.

PARAPHRASIS.

EVge! Philothea. Præclarus eſt tibi Dilectus. Eia! felicem te crede, etiam cùm abeſſe putas. Quamdiu amas, non perdis. Non poteſt totus à te *abire*, qui maximâ ſui parte eſt ubique. Neque enim opus habet mutare locum; quia Deus: etſi mutare poſſit; quia homo eſt. *Abeſſe* dicitur, cùm ſe præſentem nullo ſigno manifeſtat: non lumine videndum, nec voce audiendum, nec guſtandum dulcedine, vel alio animæ ſenſu fruendum exhibet. *Abiiſſe* ergo autumas, quem tamdiu quæſitum tibi adeſſe non ſentis: nos non longiùs diſceſſiſſe, ſed modicè forſan *declinâſſe* cenſemus. At verò utrum malueris horum: dic, *quò abiit Dilectus tuus, quò declinavit*? quâ parte digreſſus eſt? quam inivit viam? dextrámne an ſiniſtram tenuit? quò ſolet frequentiùs ſecedere? quò præ cæteris loco jucundiùs moratur? an inter excelſas *Libani* cedros, Angelos? an *in agro*, & amœnis Patriarcharum *villis*? an denique ad lympidas Prophetarum *piſcinas*

Dilectus ſæpe declinat, non tamen abeſt.

Cant. 4 v. 8
7. v. 12.

7.v.4. *nas in Hesebon*? Aut credibilius existimas, eum *juxta taber-*
1.v.7. *nacula pastorum* inter Apostolos versari? vel supra adaman-
2.v.17. tinos *montes Bether* inter Martyres? vel certè in fertilibus
1.v.14. *vineis Engaddi*? inter Pontifices & Doctores? Nisi fortè,
6.v.10. quod pronum est suspicari, cum Confessoribus *poma conval-lium* humilitatis decerpit, aut cum Virginibus in suburbano
6.v.1. Solymæ horto balsamum, & *lilia* virginitatis *colligit*. Quocumque duxeris, volentes lubentésque tecum ibimus comites, *& quæremus eum tecum*: eò faciliùs inventuræ, quò plures sumus: jungemus tuæ nostram quoque industriam; nostra tuis vota, suspiria, precésque miscebimus. *Nónne melius est, duos esse simul, quàm unum; habent enim* etiam *hoc*
Eccl.4.v.9 *emolumentum societatis suæ*, ut charitas preces faciat armatas. Itaque bene spera. Occultare se Dilectus non potest tam callidè, quin illum pia bonarum mentium consensio deprehendat. Ipse sibi eam legem sanxit, ut concordibus se ani-
Matth.18. v.20. mis præsentem sistat. *Vbi sunt duo*, inquit, *vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Philothea DIlectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum. *Cant.6.v.1.*

EXEGESIS.

§. III.

Dilectus apud Matrem quærendus. Cant.6.v.1 IAm mihi omnem à mente nebulam detersistis, ò Sorores: jam arcanus novúsque jucundæ lucis radius de Dilecto affulget. Intelligo ubi quærendus sit, ut inveniri queat: nimirum Sanctus Sanctorum inter Sanctos. Opportunè mentionem fecistis horti. Nisi me fallit opinio, *descendit in hortum,*

tum; non illum à nuceto famoſum: ſat jam olim ex eo plagarum tulit; ſed in *hortum ſuum*, quem ſcilicet omni jure proprium ſibi vendicat. Scitis quid velim. Si in beatiſſimis Sanctarum mentium turmis latitat, apud auguſtiſſimam Sanctorum omnium Reginam dubio procul, tamquam proprio & maximè jucundo ſibi loco, caſtas habet delitias: nuſpiam dulciùs commoratur, quàm cum Matre filius: hîc numquam fruſtra quæritur.

Cum MARIA virginea parente, poſt nunciatam ſalutem, præſtitúmque aſſenſum invénit JESVM Gabriel Archangelus, invénit caſtiſſimus ſponſus Joſephus, feliciſſima cognata Eliſabeth, præcurſor Domini Joannes. Cum MARIA, invenerunt Paſtorculi & Reges in tugurio: repererunt Simeon & Anna in templo, Sponſi Canæ in nuptiis, Veronica & Magdalena etiam ad Crucem. Et ubi reperiatur *lignum vitæ*, niſi in *Paradiſo*? ubi *Sol juſtitiæ*, niſi in animato *cæli cælo*? ubi Servator humani generis Noë, niſi *in arca*? ubi ignis divinus innoxius, niſi *in rubo, columnâ, monte*? An fortè dubitabimus, rectè quæri *lucernam* ſuper *candelabrum aureum*? *panem* de cælo *ſuper menſam ſanctam*? *Dei majeſtatem in templo vivo*? *Salomonem* cæleſtem in *throno eburneo* virginitatis? Quis quærit *Verbum*, niſi *in libro*? quis *florem*, niſi in *virgâ*? quis *aquam vivam*, niſi in *fonte ſignato, & puteo aquarum viventium*? quis *botrum* niſi *in vite*, *mel* in *favo*, *oleæ ramum in olivâ*?

Quæramus ergo JESVM in MARIA. Hæc eſt *hortus irriguus*, quem non limoſi terræ fluvii inundant; ſed puriſſima cæleſtis gratiæ fluenta inebriant: *hortus Regis*, non ſceptrigerâ mortalis Principis manu conſitus; ſed divinâ omnipotentis Monarchæ dexterâ excultus: *hortus Olivarum* æternæ pacis & lenitatis: *hortus plantationum* virtutis & ſanctitatis: *hortus voluptatis*, tantò melior veteri paradiſo, quantò *ſecundus Adam primo nobilior*: non, de *terrâ terrenus*

Iesus cum Maria.
Gen.2.v.9.
Malach 4. v.2.
Gen.7.v.1.
Exod 3.v.2
Nu.8.v.3.
Exod.25. v.23.
2.Par.9.v. 17.
Pſ.39.v.8.
Iſa.11.v.1.
Cant. 4. v. 13.15.
Eccl.24.v. 23.
Cant.5.v.7
Eccl.24. v. 19.
Deipara, hortus dilecti.
Iſa.58.v 11
Eſth.1.v.5.
Io.18.v.1.
Eccl. 24. v. 42.
Ezech. 36. v. 35.
1.Cor. 15. v. 47.

renus, ſed *de cælo cæleſtis*; non guloſus vitæ gratiæque decoctor, ſed mirificus gratiæ vitæque æternæ reparator: *hortus conclusus* in quem nullus umquam ſerpenti, nullus culpæ mortique acceſſus patuit.

Cant. 4. v. 12.

§. IV.

Hortus voluptatis.

IN hoc horto omnia habet Dilectus, quæcumque in votis eſſe poſſunt: *cedrinam* Sapientiæ *domum* integritate Angelis præſtantiorem: agrum *frumenti electorum*, *agrum theſauri abſconditi*, fertilitate fidei ſpeique Patriarchis meliorem: *piſcinam* lacrymarum, *piſcinam* gratiæ, margaritarum, ubertate Prophetis fecundiorem. Non hîc deeſt *tabernaculum fæderis*, clementiæ ſedes: non *tabernaculum paſtorum*, latebra refugii, ſalúſque peccatorum, miſericordiâ multò Apoſtolis celebrior: non *Mons in vertice montium*, *mons Dei mons pinguis*, fortitudine & patientiâ Martyribus longè ſublimior: non *vinea* ex quâ *vinum germinans virgines*, *vinum quod lætificat cor hominis*, *balſamum aromatizans*, *& non mistum*, dulcedine ſpiritûs atque ſermonis omnium Doctorum ſapientiæ fluxu nobilior. Neque eſt, quòd fortè umbroſas Confeſſorum deſideret *convalles*; quæ enim eſſe poteſt vallis demiſſione profundior? quæ divini timoris umbrâ jucundior? quæ temperantiæ aurâ ſalubrior? quæ imperturbabili pace tranquillior? quæ ſolidarum virtutum fructuúmque præſtantiâ feracior, quàm quæ in hoc MARIÆ viridario longè latéque excurrit? Non eſt denique cur lilia roſáſque in Virginum hortis quærat, vel areolas perluſtret: quod enim nitidius puritate lilium optare queat? quam elegantiorem nativâ charitatis purpurâ roſam? quam fragrantiorem prudentiâ nardum deſideret? quod excelſius obedientiâ heliotropium? quod gratius pietate cariophillum? quàm pulchriorem modeſtiâ violam? jucundiorem fortitudine libano-

1. Paral. 17. v. 5. Zach. 9. v. 17. Matth. 13. v. 44. Ioan 5. v. 2. 4. Reg. 20. v. 20. Exod. 31. v. 7. Cant. 1. v. 7. Iſa. 2. v. 2. Pſ. 67 v. 16. Zach. 9. v. 17. Eccl. 24. v. 20. 21.

banotidem, vel in ipso cælesti Paradiso requirat, quàm in hâc sua Deus Genitrice reperiat, amœnissimo divinitatis horto? *In* hunc Dilectus *hortum* jam olim de cælo *descendit*, ut novo eum jure *suum* faceret corporali possessione, quem sibi ab omni retrò æternitate destinaverat in mente, condiderat in sextâ mundi ætate.

In hoc Virginalis uteri horto sine viro conceptus, sine gravamine portatus, novem ipsos menses delituit: sine dolore natus, sine sordibus & corruptione effusus, in sinu brachiisque velut areolis dormivit: ex castissimis uberibus, velut ex fonte cellâve, lac & mel hausit. MARIAM, suam voluit esse Matrem origine, filiam gratiâ, sororem naturâ, sponsam amore: suum ex ipsâ sanguinem carnémque divinæ naturæ jungendam assumpsit: MARIAM triginta ampliùs annos suo dignatus est consortio, atque ut numquam diu illâ careret, quæ etiam morienti sub Cruce adstiterat, hujus vitæ vinculis exemtam, ac corpore animóque cælis illatam, dexteræ suæ fecit assidere. Hîc, hîc unam habet aromatum areolam cunctis chariorem; cor scilicet virgineum, gratiâ meritísque cultissimum, privilegiis gloriáque præ Sanctis omnibus cumulatissimè nobilitatum.

§. V.

Cor B. Virginis areola aromatum.

O Areolam prorsus admirabilem, in duodecim radios, uni Deiparæ Virgini concessos, divinitus efformatam! ò cor duodenis privilegiis velut immensi jubaris claritate circumdatum! gratiæ virtutúmque aromatibus fecundum! Quid enim ipsi Solis radii? quid totius Arabiæ atque Orientis frutices aromatici, flores, fructus ad Originalem justitiam, cum efficacissimis gratiæ auxiliis? quid ad fidem promptissimam, cum evidentiâ in revelante? ad spem firmissimam, cum contemplatione, quâ mortali fas est, ipsius etiam essentiæ divinæ? ad charitatem perfectam, cum actuali semper

Privilegia, duodecim radii.

exercitio, incrementis gratiæ commenso? Quis umquam fulgor, quæ fragrantia æquabit pulchritudinem gravitatémque justitiæ, cum universis sancti Spiritûs donis? claritatem odorémque fortitudinis, cum omnibus Spiritûs divini fructibus? splendorem præstantiámque prudentiæ, cum columbinæ simplicitatis candore, & dulcissimâ morum honestate? decorem denique & vim occultam temperantiæ, cum voto Virginitatis ante id inaudito? Quæ illustrior esse queat cordis venustas, dósque cælestis animæ, quàm usus rationis in ventre matris acceleratus, cum quibusvis omnium Sanctorum privilegiis? gratiæ gratis datæ, cum moralibus virtutibus universis? extinctio fomitis, cum perpetuâ mentis tranquillitate? ac denique perseverantia cumulatissimæ sanctitatis, cum supremæ gloriæ & beatitudinis securitate.

Iesus apud MARIAM numquam frustra quæritur.

Ad hanc ergo *areolam* invenietis Dilectum, ò Sorores: in hoc horto perdius & pernox hæret. Quisquis JESVM quærit, per MARIAM quærat: hæc est inventrix gratiæ, genitrix vitæ. Sic quæsivit Dilectum Augustinus, sic Bernardus, sic Norbertus, scilicet apud Matrem: sic reperit Dominicus in rosario Virginis, sic Franciscus in Mariano Angelorum templo, Ignatius in partheniâ Montis Serrati æde. Sic Senensis Bernardinus, Philippus Nerius, Carolus Borromæus, aliíque innumeri: sic Catharina, Gertrudis, Mechtildis, atque aliæ fideles animæ JESVM invenerunt per MARIAM. Quærenda est igitur Mater propter Filium, Filius in Matre.

Jam vos, si lubet, pergite; ego recreatis parvulâ quiete viribus, mox vestra legam vestigia.

Quis

QVis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ? ut inveniam te: et iam me nemo deſpiciat. *Cant. 8. v. 1.*

Philothea.

EXEGESIS.

§. VI.

Tenera Chriſti ætas, animæ amanti jucundiſſima

O ſuaviſſime Dilecte, quàm clementer mecum agis! à me ingrata atque ignava *declinas*; ut tamen expedita mihi ſit te inveniendi ratio, apud dulciſſimam commorari Matrem amas. O quàm id mihi commodum atque perjucundum accidit! Nam etſi quidem tui *amore langueo*, quamquam te ſuſpiriis, clamore lacrymíſque indagare gaudeo, ſummíſque votis invenire percupio; at non qualis caſtas tibi animas deſpondes; vel qualis admiranda patras prodigia, te, niſi temeraria ſim, expecto: ſed nec qualis vivos mortuóſque ad tribunal evocas; vel qualis mundi machinam gubernas, aut cælum terrámque imples, coram te comparere poſſum. Quomodo enim tam divinos Sponſi amores capiam? quomodo juſtam Judicis ſeveritatem non timeam? non admirer omnipotentis Servatoris dexteram? non adorem tremendam Regis majeſtatem? immenſam Dei magnitudinem non obſtupeſcam? Quis quæſo ad te ſic accedat? quis fulmineam prenſet dexteram? quis ſcintillantes ferat oculos? quis igneos comæ radios, oris tonitrua, linguæ gladium impunè ſuſtineat? Nónne *Scrutator majeſtatis opprimetur à gloria*?

Prov. 25. v. 27.

Nobilitas hominis, & amor ergà Chriſti

Non igitur auſim *te* ego talem quærere. *Fratrem* autem *meum* in te quærere quid prohibet? Idem namque tibi mihíque Pater, eadem Mater eſt: ille me in cælis adoptavit, hæc ſub Cruce peperit: conſanguineum ejuſdémque mecum naturæ

parvuli humanitatem *Matth.* 8 *v.* 20.

turæ flebilis Adæ filia *filium te hominis* quæro: infantem te videre, te complecti desidero: elegantem, blandum mitémque puellum: amabilem, tenerum, lacteum pupulum tenere cupio: *sugentem ubera matris meæ*, infirmum & innocentem: quique ulcisci nequeat, nesciat irasci, ut *te inveniam* laboro. Sic accedam cum fiducia, sic liberiùs meo indulgebo amori, sic dulciùs alloqui, audaciùs contemplari, blanditiis demereri, castis mulcere osculis, sanctis stringere amplexibus fas erit. Sic nobilitatis admirandæ, ad quam me evexisti, mihi fraterculus nascendo, insigne proferam testimonium; ut jam neque mali, neque Boni Genii, neque alius quisque mihi insultare audeat: *jam me nemo* velut degenerem terræque filiam *despiciat*: nemo ad mundi obsequia, ad carnis illecebras, ad terræ quisquilias, ad orci tyrannidem abstrahere præsumat: tanti scilicet fratris cognatione, atque intimâ Dei consuetudine altiùs terrâ cælóque evectam.

§. VII.

Christus apud Matrem blandus.

QVis verò *mihi det te fratrem meum*, tam amabilem nisi Mater? in cujus Virgineo ventris thalamo divinitatem carne induisti, sapientiam texisti infantiâ, potentiam imbecillitate ligâsti, vix bipalmari corpusculo inclusisti immensitatem. Hîc ponis fulmina, hîc dissimulas Majestatem, hîc immemor injuriarum, ex leone in agnum mitescis. In purissimo Matris sinu & ulnis divinam spiras dulcedinem, blandis arrides labellis, serenis nictas ocellis, teneris invitas brachiolis, gestu manibúsque allectas amantem tui Sororem. Ad illam, igitur communem tibi mihíque Matrem bonâ me veniâ tuâ converto.

Ad B. Virginem. Oratio animæ

Ignosce, ô MARIA mortalium spes & gloria, Cælitum imperatrix & gaudium, summæ Trinitatis delicium & amica, Dei Mater, Filia, Sponsa. Ignosce, quòd ancillarum postre-

postrema, vilissima inter devotas tibi animas, ad te suspiro, ad te preces & vota mitto. Ideo undequaque summa es, ut etiam infima cures. Parva sum, fateor, & ipso paullò major nihilo; rem tamen magnam affero: ad maximam nempe optimámque Dominam: cui solemne est, magna dare, parva suscipere. *Dilectum meum* quæro: jam tenes cætera; imò tuum quæro Dilectum. Nónne sum audacula? sed quid faciam? quæro, quem diligo; non amo, si non quæro. Ipse quærit, qui ament; & ego non amem, qui me quærit? non quæram, qui me amat?

JESUM quærentis. Arctissima inter Christum & Deiparam necessitudo.

Eccl. 24. *v.* 12. *Ps.* 18. *v.* 6. *Cant.* 4. *v.* 4 *Ps.* 23. *v.* 8. *Eccl.* 24. *v.* 15. *Cant.* 6. *v* 9 *Apoc.* 14. *v.* 14. *Iud.* 6. *v.* 37 *Isa.* 11. *v.* 1. *Matth.* 13. *v.* 46. *Ezech.* 1. *v.* 15. *Gen.* 3. *v* 20 *Eccl.* 24. *v.* 21. *Prov.* 31. *v.* 24. *Heb.* 9 *v.* 4 2. *Reg.* 23. *v.* 15.

Gaudes, scio, & Nato mihíque gratularis. At ubi, nisi apud te inveniam? In tuum se pectus Virgineum tota infudit divinitas: potentiam Pater, Filius sapientiam, sanctus Spiritus plenis alveis congessit charitatem. *Qui creavit te, requievit in tabernaculo tuo*, veluti *Sponsus* in *thalamo*, pugnator in *turri*, *Rex gloriæ* in *aula*, *Deus Deorum* in *civitate sanctificata*. Vtique ergo rectè apud te quæro Dilectum? nempe meum Solem apud *Auroram*? pacis *iridem* in *nube* candida? *rorem* gratiæ in puro *vellere*? *florem* Virgineum in *radice* integerrimâ? cæli *gemmam* in *mari* sanctitatis? in *curru* cherubico *gloriam Dei?* in *Matre viventium*, *vitam* & *salutem?* Miserere ergo, ò *Mater pulchræ dilectionis*, & ostende mihi Dilectum! ò *navis institoris*, præbe mihi *Angelorum panem*! ò *urna* & vas aureum, da cæleste *manna*! ò *cisterna* Bethlemitica, funde mihi *aquam mundam & vivam*.

Novit illa, quàm luctuosa sit Dilecti absentia.

Meminisse potes, ò Domina, dulcissimum JESVM etiam à te quondam fuisse triduò quæsitum; sed quo animæ tuæ cruciatu? Annon hæsêre tibi verba? annon cor Maternum dolore pressum palpitavit? ex oculis fluxêre lacrymæ? ex imo pectore ebullierunt suspiria? cura, luctus, angor te totam obsedit? ut neque castissimus conjunx dolorem lenire posset, eodem casu sauciatus: neque solari fatigationem mensa sine Dilecto jejuna & insipida; neque somnus conci-

liare quietem, absque Nato inquietus, turbatus, nullus. Et tibi quidem subduxit se Dilectus ad palmam & meritum; mihi autem ad pœnam & supplicium. Quem ergo mea fugavit ignavia; tua, obsecro, reducat clementia. Monstra te esse Matrem; non est imperiis opus; sunt preces pro imperio: quod obsecras, mox impetrâsti: quia velle Matris, est imperare. Innue Filio & redibit, visitabit languentem, mœstam solabitur: afferet robur infirmæ, caliganti lucem, flammas adjunget flammis, totam secum animæ infundet divinitatem. Sic te per auream Dilecti cæsariem, per sidereos Nati oculos, per roseas infantis genas, per corallina labra, per suavissimum corculum, per sanctissimam animulam rogo: sic per adulti sudores, & obsequia, per docentis charitatem & prodigia, per sanguinem morientis & pœnas, per gloriam resurgentis & gaudia oro quæsóque, miserere: iratum placa Filium, excusa culpam, veniam dolenti impetra, in antiquo gratiæ loco repone, atque amanti animæ *IESVM, benedictum fructum ventris tui*, intimis fruendum sensibus *ostende*: ut quod voluit, cùm vocaret, meâ tamen culpâ non potuit; nunc cùm possit, tuâ gratiâ faciat, tot votis invocatus. Ita rursum, ô Regina, habebis novo me beneficio æternùm devinctam tibi clientem, filio ancillam. Ego quid porrò facere queam, vix etiam dispicio.

Quæ-

QVæsivi illum, & non invéni. *Cant. 5. v. 6.* — *Philothea.*

Invéni. — *Amor.*
Veni. — *Christus.*

PARAPHRASIS.

Philothea. QVis mihi repentinus dulcedinis sensus oboritur? unde hæc animi fiducia? quomodò luctus, ceu nebula, sensim evanescit? quàm inexpectata redit menti serenitas? sentio profectò cor præter morem dilatari; & nondum tamen voti sum damnata. An hi sunt nuncii ad me adventantis Dilecti? *quæsivi* quidem *illum*; non tamen hucusque *invéni*.

Amor. At ego jam dudum *invéni*.
Christus. Et tu, si cupis invenire, *veni*.

Philothea. Quid audio? *invéni*: *veni*, quàm hæc exoptabilis vox esset, si veridica foret; sed ludit me ficta verborum imagine vocalis Echo. Interea spem quidem magnam de Dilecto *invéni*; illum tamen ipsum *non invéni*.

Amor. Vbi amor, ibi Dilectus. Annon amas? rectiùs ergo dices: *invéni*.

Christus. Non ego in mora sum: Venio. Tu quoque moras rumpe, & *veni*.

Philothea. *Invéni*; *veni*. Præsagus credo, animus mihi semper has de Dilecto cantilenas occentat. Quid si in propinquo esset? quid si inadspectabilis adstaret? utique à Sodalium corona meum fuerit luctum edoctus? Vtique magnum habuêrint pondus magnæ Matris preces? Non parvum præsentiæ divinæ argumentum est, subita mentis tranquillitas: ubi pax,

ibi Deus pacis: candida albescenti diei lux, quid nisi vicinum Solem denuntiat? Quid? ergóne, dicam invenisse me, quem *non inveni*?

Amor. Dic, *invéni.*

Christus. Et *veni.*

Misericordia. ECce, iste venit saliens in montibus, transiliens colles. *Cant. 2. v. 13.*

EXEGESIS.

§. VIII.

SVrge, Philothea, absterge lacrymas, totúmque animæ sinum gaudiis sinceris explica. Audiit Diva voces supplicantis: quod optabas factum dedit, Filiique acceleravit adventum.

Gaude, & sine mora occurre Dilecto, ad te mira celeritate festinanti. Huc oculos flecte. Viden?

Festinat Deus animam solari. *Cant. 2. v 9*

Nónne *similis est Dilectus tuus capreæ hinnulóque cervorum*? agnoscis? quid hæres? quid admiraris? Rem utique magnam conspicis, sed divinæ solitam bonitati. Sic festinat, ut laboranti subveniat homini, ut solatio afflictum recreet, ut suppliciter invocatus se in tempore præsentem sistat. Sic properat, ut amanti animæ se videndum præbeat, ut divinum sitienti verbum, *loquatur ad cor*, ut se suáque omnia cum illa plenè communicet. Tanto scilicet humani generis beandi flagrat desiderio! Hic illi amor alas addit, hæ illius sunt voces: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* O miraculum amoris! *Ecce, venio velociter: Ecce, venio citò & merces mea mecum est.* O prodigium clementiæ! *Invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce, adsum.* O pignus æternum sum-

Osea. 2. v. 14. *Proverb. 8. v. 31.* *Apoc. 22. v. 7. & 12.* *Isa. 58. v. 9.*

summæ in miseros mortales commiserationis! Si quandoque videtur esse tardior; vel est increpantis animadversio, ut emendet mora culpam; vel amantis strategema, ut dilatio augeat remunerationem.

Ecce! quem nuper audire neglexisti, quémque stantem ad portam & pulsantem indecorè dimisisti, *iste venit*, iste præ gaudio exultans & giganteis incedens passibus ad te properat. Quem tu per res creatas anxiè quæsivisti, iste *venit saliens in montibus æternis*, descendendo per excelsos cælorum orbes: *transiliens colles* mundi, humiles elementorum tumulos percurrendo, cælestia simul & terrena humanæ posthabet saluti. Quem nulla mens capit, nulla exprimit lingua, nullum tempus locúsque complectitur, *iste venit saliens in montibus* divinitatis; dum celsitudinem inclinat, immensitatem contrahit, lucem attemperat, restringit potentiam, demittit majestatem, ut animæ penetralibus suo Numine replendis sese infundat: *transiliens colles* humanitatis; dum velut immemor suæ excellentiæ, singulares solíque Deo homini proprias dissimulat prærogativas: quíque non nescit, sibi supremam judicandi potestatem divinitus esse commissam, se omnis gratiæ auctorem ac dispensatorem, totius caput Ecclesiæ, salvandorum ideam, viventium mortuorúmque Dominum, mortis tartaríque domitorem, sempiternæ Regem gloriæ; neque tamen mortalium Frater, Dilectus, Sponsúsque fieri dicique dedignatur.

Saliens in montibus.

Transiliens colles.

§. IX.

ECce! *iste venit*, qui gaudet *montibus*, amat *colles*: non Taurum, Caucasum, Olympum; non tumidos fastu Reges & Principes; at *montes Dei*: præstantissimis virtutum exemplis insignes Apostolos, Martyres, Doctores: non oleiferaces Venafri colles, vitiferos Cretæ, vel Martios Romæ clivos;

Ferventia desideria accelerant adventum Dei.

Ps. 35. v. 7.

vos; non turgentes auri, meri, iræque cupiditate animos; sed *colles æternos* amœnis gratiæ floribus fructibúsque fecundos, Confessores, Virgines, Viduas. In his *salit* ludibundus, ab uno ad alium *transilit*, à Cælitibus ad terrigenas admirandis saltibus festinat: neutros deserit, omnibus se impertit. Vbicumque excelsa cælestium rerum desideria, velut Ætnæ & Vesuvii cacumina fervere conspicit, illuc properat, & ceu torrens igneus innocuis *saliens* flammis ad amantem animam delabitur: Mediocres verò amantium conatus *transiliens*, etsi vix tangit; non tamen negligit, sed clementer pro curriculi deproperatione viæque compendio admittit.

Deut. 33. v. 15.

Mirabiles divini amoris saltus.

Quid non audet, quid non potest Amor? quantacumque objeceris impedimenta, superat, perrumpit invia, muros transgreditur, *montes collésque transilit.* Sic & tibi, si amas, faciendum, cogita. Meministin', quibus olim saltibus ad humanam gentem cælo asserendam Dei Filius, Dilectus animarum Sponsus in terras properaverit? vix admirabilis Virgo cælesti nuntio Gabrieli, quid Superis renuntiaret, expressura dixerat: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum*; cùm mox *omnipotens* Dei *sermo à regalibus sedibus prosilivit.* Nónne tunc illicò per novem Angelorum choros, ò quàm excelsos *montes*! lætus alacérque *saliens*: dein quatuordecim Patriarcharum totidémque Regum, neque pauciores Ducum *colles transiliens*, in Virginis uterum descendit? annon inde in montana, in Ægyptum, in templum, in Thaborem, in Golgotham, in limbum, in Olivetum festinavit? plurésque alios *montes* ac *colles* miris saltibus *transiliens* per sidereos orbes ad Patrem rediit?

Luc, 1. v. 38
Sap. 18. v. 15.

§. X.

Etiam ad pœnitentem animam.

ANnon etiamnum sic ad peccatrices quoque animas, ut primùm peccâsse eas pænitet pudétque, ipse festinus advolat,

advolat,ut mentem dolore ſauciam perſanet? vah! quot, quámque aſperos immanium ſcelerum *montes*? quæ impiæ temeritatis juga? quos ſupremæ perfidiæ vertices? quos duræ conſuetudinis ſcopulos? quæ deploratæ inſaniæ acroceraunia ſaltu non transmittit? non diſſimulat? non obliviſcitur? non redigit in nihilum? Dicat pœnitudine contritus David; dicat pia criminum confeſſione compunctus latro: dicat ſalſis metaneæ lacrymis infuſus Petrus, aliíque ſine numero, quantâ velocitate hos omnes, veluti in gigantomachia coacervatos noxarum *montes* ſuperaverit Dilecti charitas, atque omnino diſiecerit; ut veniam impertiret, ſalutem gratiámque afferret.

Ad tepeſcentem.

Quid? annon etiam bonæ cæteroqui mentes venienti Dilecto quotidianis erratorum, etſi leviorum, noxis imprudenter aggeſtis quoſdam veluti *colles* accumulatos obiiciunt, itérque exaſperant? dum modò ignaviâ, incuriâ, oblivione; nunc imbecillitate, ignorantiâ, conſuetudine, à virtutum tramite aliquantum exerrant? At, quæ magna eſt cæleſtis Sponſi bonitas, hos quoque *colles* ſteriles & inamœnos, ſæpenumero *tranſiliens* ſuam amantibus præſentiam indulget. Tu verò, Philothea, hos cave *montes colléſque* opponas: quos etſi perfacile ſit Dilecto tranſilire, ſi velit; tibi tamen non ſemper erit integrum, per hos ad Dilectum pertingere, quando voles. Sat multos horridóſque tibi mundus, orcus, Caro ſcopulos, voragines atque anfractus obſtruunt: iſtos tu generoſo pede *ſaliens tranſiliénſque* ad Dilectum feſtinare totis viribus contende. Sed *ecce*, jam non *venit*, ſed coràm eſt: jam non ille, ſed tibi pectus *ſalit*. An te capis præ gaudio? ſaltem ergo tuum cape gaudium: ipſum ſtringe Dilectum.

Philothea INvéni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. *Cant. 3. v. 4.*

EXEGESIS.

§. XI.

Summa felicitas, invenire IESUM.

QVid hoc est spectaculi? quis fulgor? quæ pulchritudo? An *invéni quem diligit anima mea*, an potiùs ille, qui diligit animam meam, me invénit? O JESU, ò amor, ò salus, ò vita! quid video? Téne lucem solémque meum, gloriam decúsque meum, Dominum Deúmque meum præsentem habeo? mente conspicor? spiritu complector? corde teneo? amore stringo? Non fallor: sentio mirificam tui Numinis præsentiam. *Invéni* certè quem diligo; quem quæsivi, teneo. O misericordia! ò dulcedo! ò benignitas! Nónne illa scelesta ego sum, quæ te vocantem neglexi? pulsantem non admisi? præstolantem suspendi? Eheu! pœnitet, pudétque. *Vnde* ergo *hoc mihi, ut* cæli terræque Conditor *veniat ad me* sordidam terræ Filiam? Angelorum Dominus ad obscuram segnémque ancillam? siderum Rector ad miserum vilémque vermiculum? *Quid est homo? quia visitas eum?* nónne putredo, pulvis, umbra? Et tu tam clementer ad peccatricem animam invisis? tam suaviter illaberis? tam blandè eam consolaris? tam clarè illustras? tam potenter corroboras? tam prodigè delectas? tam abundanter reficis? atque ut omnino saties, tam mirabiliter teipsum impertis?

Luc. 1. v. 43

Ps. 8. v. 5.

Vera consolatio.

Salve ergo, mi JESV, salve millies, iterúmque millies salve. Ad sacratos pedes me prosterno, fatigata pro me genua constringo, beatas exosculor manus, serenissimam contemplor faciem, cor divinum veneror. Te adoro, te laudo, te totis animi medullis diligo. Verè, ò mi Dilecte, *visitâsti*

Ex presentia Dei,

sti terram animæ meæ, *& inebriâsti eam*: ostendisti tuam mihi faciem, & gaudio, dulcedine, felicitate summa vastissimam mentis capedinem replêsti. Nil illa jam sitit ampliùs, fastidit omnia; solo contenta JESV: hunc cogitat, amat, loquitur: hoc gaudet, exultat, triumphat.

Congratulamini mihi Cælites, *congratulamini* mortales! quia *invéni*, non *ovem quæ perierat*; sed pastorem, quem ovis ego perdita quæsiveram: *invéni* non *drachmam, quam perdideram*; sed thesaurum, quem desideraveram. Vultis nôsse qualem? mirabilem ajo, & mille mundis anteferendum: *thesaurum non deficientem, quem neque ærugo, neque tinea demolitur*: quem *fures non effodiunt, nec furantur.* Si hoc parùm est, addo, incomparabile thesaurorum pelagus, cælestium terrestriúmque bonorum omnium gazophylacium inexhaustum. *Invéni* sapientiam, sed infinitam: quid præstantius? *invéni* veritatem, sed æternam: quid potentius? Pacem, sed divinam: quid optabilius? vitam, sed cælestem: quid jucundius? *Invéni* misericordiam, cujus non est numerus; Bonitatem, cujus non est finis; Potentiam, quæ potest omnia; Providentiam, quæ gubernat universa. *Invéni panem*, sed *vivum, escam Angelorum*, quæ non consumitur: *vitem*, sed agricolæ divini, quæ non arescit: *stellam*, sed *matutinam* atque æternam, quæ non occumbit: *Paradisum*, sed Empyreum, qui perpetuas parit voluptates. *Invéni* magnum in rebus ambiguis consiliarium, certum in adversis præsidium, disertum ad impetrandam gratiam advocatum, Patronum ad obtinendam gloriam potentissimum. *Invéni quem diligit anima mea*, JESUM inquam meum, spem, coronam, beatitatem Deúmque meum: hunc indigna *tenui*, teneóque amoris & reverentiæ ulnis: hunc & tenebo dum vivo, *nec dimittam*, dum expiro: semper ille mihi erit in oculis & auribus, ut illi placeam: semper in linguâ & manibus, ut laudem: semper in corde & mente, ut adorem: *nec dimittam*, etsi cæ-

Luc. 15. *v.* 9.

Luc. 12. *v.* 33.

Math. 6. *v.* 20.
Io. 6. *v.* 41.
Sap. 16. *v.* 20.
Io. 15. *v.* 1.
Apoc. 22. *v.* 16.
Gen. 2. *v.* 8.

lum ruat. Sæviant tyranni, insurgat mundus, fremat orcus, caro insidietur, injuriæ premant, calamitates irruant, morborum agmina invadant, mors ipsa denique evellat animam; Dilectum non eripiet.

Quatuor gradus ad Deum.

Quid agitis, infelices Adæ Filii? quid moras nectitis? cur tantum cæli thesaurum non quæritis? *ascendite* quæso, pérque res creatas indagate Conditorem: *accedite* ad JESVM, & meditamini absolutissimam vitæ sanctitatem: imitamini virtutem: sícque castis moribus inventum *apprehendite* Dilectum: perpetua charitate stringite, tenete, non dimittite, atque ita summo bono quoad mortali concessum est, *adhærete*.

Quò quisque descendit profundiùs, hòc altiùs ascendit: quò longiùs à terrâ recedit, hòc accedit ad cælum propiùs.

Qui dimittit omnia, omnia apprehendit: qui se à seipso avellit, feliciter Dilecto adhæret.

Mihi credite; gloriosa res est ascendere; accedere, pia; jucunda, apprehendere: beatitas adhærere.

Et sint tam pauci, quos delectet tibi, ò Dilecte mi, adhærere? utinam *saperent* & *intelligerent* terrigenæ; utinam *gustarent & viderent*!

Deut. 32. v. 29.

Sed ò JESV! quò tui me rapit amor? quidquid alii desirent; *mihi* certè *Deo adhærere bonum est*.

Ps. 72. v. 28

Præsente Deo nihil deest.

Quærant alii jejuna terræ gaudia: illætabiles mundi consolationes, amaras carnis delicias: & inveniant, quas quærunt, nugas, ludibria, pestes; non invideo: Te ego unum *quæsivi*, gaudium meum, Dilecte mi: & tecum *invéni* omnia, sed defæcata, pura, sancta: *invéni* omnia, sed vera, æterna, divina: in summo summa, in maximo permagna, in optimo non nisi optima, in uno omnia: *invéni quem diligit anima mea*: hoc sufficit. Si desint omnia, unus es pro omnibus. O dulcis labor! ò felix quæsitio! ò magnum operæ pretium!

tium! Fuit equidem pœna, carere tamdiu Dilecto: quærere, labor fuit & afflictio: frustrari votis, dolor erat, & tormentum. Jam fessa tabescebat anima præ tui desiderio; jam fractæ cadebant vires, opprimebat languor, angebat metus, jamque imago mortis versari ob oculos videbatur. At quàm exiguum est, quod perpessa fui, malum! quàm insigne, quod obtinui, lucrum! Gaudeo certè nunc tantis animi suppliciis, quæ tantas peperêre mihi delicias; mox enim, ut te *inveni*, veluti ruptis aggeribus *secundùm multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* *Ps. 93. v. 19.*

Et quæ desit mihi consolatio, cui *Pater misericordiarum & Deus totius consolationis* Filium indulget? cui dulcissimum *præbet Fratrem, sugentem ubera matris meæ*? Deum hominem, gratiæ fontem, spem gloriæ, beatitatis auctorem? ut luctum abstergat, sitim extinguat, fuget tenebras, dolorem gaudio commutet! *2. Cor. 1. v. 3*

O *viscera misericordiæ Dei nostri*, Dilecti mei, *in quibus visitavit me oriens ex alto*! ò charitas immensa! ò bonitas divina! ò ineffabilis clementia IESV amatoris mei! Quænam lingua verbis exprimat? quæ mens cogitando exhauriat? quis sensus capiat, quid sit, JESVM *invenire*? quem diligit anima *tenere*? *sugere & repleri ab ubere consolationis eius*? Non sic aridam imber tellurem refrigerat: non roscida auroræ sparsio herbas florésque recreat: non verni soles mundum exhilarant, ut unicus JESV aspectus amantem animam oblectat: Sed neque Filius è bello redux parentem, nec Sponsus peregrè adventans Sponsam, neque Mater suavissimum filiolum tantis gaudiorum fluctibus inundat; quantis devotam sibi mentem verbo unico Dilectus. Non lucis colorúmque amœnitas ita blanditur oculis: non delicata fidium, vocúmque suavitas adeò demulcet aures; non mellea cibi potúsque voluptas sic linguam delectat, ut

Luc. 1. v. 78.

Divinæ consolationis dulcedo.

Isa. 66. v. 11.

castissimus JESV complexus animam rapit, occupat, totámque cælesti dulcedine implet humani cordis abyssum.

Quas ergo tibi grates referam, Christe mi? quid agam dicámve? an cum Davide? *Deus cordis mei, & pars mea in æternum*: aut cum Thoma? *Dominus meus & Deus meus*: an cum Petro? *Domine tu omnia nôsti; tu scis quia amo te*: sive cum Paulo? *Quis me separabit à charitate Christi*? seu denique cum Francisco? *Deus meus & omnia*: quidquid autem dixero, nihil est, si res intra verba steterit.

Ps.72.v.26

Io.20.v.28

Io.21.v.17

Rom.8.v.35.

Quid igitur, ut grata sim, donem, aut faciam? an omnes mundi divitias, voluptates, regna? sed flocci facis: an sudores, sanguinem, corpus animámque meam? at jam mille nominibus tua sum, mi JESV, quanta sum: an Seraphinorum ardores, Cherubinorum laudes, Angelicarum mentium concentus, Beatorum omnium perennes hymnos & obsequia? At enim hæc vovere licet, non mihi vendicare. Quidquid dedero, non dabo, sed reddam, quod dedisti. Dó ergo manus, méque tua liberalitate victam victori lubens voléńsque in manus trado.

Scena IV.

Filia, præbe cor tuum mihi. *Prov. 23. v. 26.* & sponsabo te mihi in fide, in misericordia & miserationibus. *Osea. 2. v. 19. 20.*

Christus.

Exegesis.

§. I.

Deus animam vult intimè sibi coniungi.

Vive, salve, gaude Philothea, *Filia* chara. Tandem fortunata tenes, quem diligis; & ego quam amo, lætus excipio. Sapienter agis, dum grata pro reditu, teipsam mihi consecras. Etsi enim nihil donas, quæ te tuáque omnia mihi debes; gratum tamen habeo, si reddas, quod, ut redderes, dedi. Te volo, & optimam tui partem, *cor tuum*: istud *præbe mihi* ex integro, & non erit, quod ultra à te requiram. Quidquid dederis, nisi temetipsam totúmque *cor* meas in manus integrè contradas, nihil dedisti: *cor* mihi da, & dedisti omnia. Rem fortè grandem peto, si *cor* pro corde postulo? pro meo tuum?

At non est sincera stabilísque dilectio, ubi non est intima atque æterna cordium conjunctio. Pleno igitur tui cordis dominio potiri cupio. Hæc prima mihi, cur vocarem, admitti peterem, teque præstolarer, causa fuit: hæc jam quoque facit, ut ad novum amoris vinculum, ad arcana cordis gaudia, ad intimæ familiaritatis consuetudinem ex animo te invitem.

Desiderat habere Sponsam.

Hucusque te quidem *columbam* dixi meam, *dilectam*, *amicam Sororémque* vocavi meam, atque ut esses feci: neque his contentus insuper charam præ multis *Filiam* te habui, tu me Patrem. Sed hoc non satis est immensæ, quâ te prosequor, charitati: nec acquiesco, donec arctissimâ, quæ inter Sponsos est, animorum conjunctione te mihi devinciam; atque adeò *cor* cordi integrè connectam. Nunc ergo adsum divinis ardens amoris ignibus, tuæ ut fiam animæ Sponsus; tu Sponsa, si vis, meæ. Si *cor* dederis, confecta res est. Quid tuas repentinus rubor genas occupat? an ad profanum Sponsæ nomen verecundaris? Nihil habent hæ nuptiæ, quod erubescas: non hîc impuræ quatiuntur faces; sed cælestes rutilant volántque flammæ: quæ nitorem mentis illustrant, corporis incendia restinguunt: non plaudit tripudiátque caro, sed spiritus gaudio exultat. Sponsalia tam casta tamque fausta non capit terra, miratur cælum, probat laudátque Pater, suadet pronubus urgétque Divinus Amor.

Nuptialia offert dona.

An inæqualem generis tui conditionem tecum tacita perpendis, ideóque te causaris indignam? Rectè! ego verò indignam eligo, quia quæ digna sit, non invenio: nisi quam ipse mihi facio non indignam; dum divinis gratiæ cimeliis cultúque cælico liberaliter exorno. Ecce paranymphos Cælites: Ecce mundum muliebrem, sed sacrum! Hæc nuptialia sunt dona, quæ Sponsis elargior, ut ad miraculum usque splendeant: hæc amoris pignora trado, ut illis comtæ meis placere queant oculis: non qualia procaces olim *Filiæ Sion*, adamabant luxûs irritamenta, *lunulas & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & Zonas, & fascias*; sed quæ Filiam Dei apprimè deceant, virtutum insignia, instrumenta gloriæ & sanctitatis.

Isai. 3. v. 18 & seq.

Sacra Sponsæ ornamenta.

Habeant illæ suum sibi mundum, ut mundi in se oculos con-

convertant; tu meum cor oculósque ut rapias, præclara, quæ offero, prudentiæ cælestis lumina tuas esse *lunulas* puta; *periscelidas* Christianæ justitiæ leges: quæ tuos regant custodiántque gressus. *Torques & monilia tibi sint*, libertas Spiritûs, veræ nobilitatis tessera, & candidæ sinceri pectoris margaritæ, rubicundis verecundiæ coralliis distinctæ: *pro annulis & armillis*, æstima æternæ Trinitatis fidem, spem, amorem eximium, & catenata gratiæ efficacis auxilia: quæ te ad sedulam virtutis exercitationem incitent juvéntque. Ecce *mitram*! perennem Dei memoriam, sapientiæ cælestis apicem, astrorum Dominam, æmulam beatitatis. *En gemmas in fronte pendentes*! gloriosa JESV & MARIÆ nomina, destinatæ in cælis gloriæ monimenta. O quàm sunt pulchræ mentis *inaures*, aviditas divinos audiendi susurros, atque in animum admittendi promptitudo! quàm jucunda *olfactoriola*, Redemptoris vulnera divino sanctitatis balsamo plena: quæ cælestem tibi fragrantiam inhalant, ut eam tu in alios exhales! quàm pretiosæ cæli *murenulæ* pium orandi studium, atque indefessa bene de omnibus merendi solicitudo! quàm decóra comæ *discriminalia*, spiritus scientiæ & intellectûs, incorrupti cogitationum arbitri! vis *Zonas & fascias*? in promptu sunt consciæ teneritudo mentis, atque arcta sensuum custodia, casti pectoris munimenta. Vis *acus & specula*? En! sanctus Dei Timor, & graphicus Sponsi iconismus animo impressus, optimi formæ judices, industrii vitæ morúmque magistri. Vis quoque *Sindones & vittas*? adsunt quibus te totam involvas, immensa meritorum, gratiæ, sanctitatísque volumina, innocentiæ involucra. Vis denique *cyclades & coronas*? non deest florida pacis toga, non *deauratus* serenæ mentis *vestitus*: non *pallium laudis* tot distinctum unionibus, quot victoriis inscriptum: non alia *lætitiæ vestimenta*: non gemmea gloriæ *corona*, nec pretiosum perseverantiæ *sertum*, regiæ ornamenta Sponsæ. An placent? an

an digna censes, quibus paupercula suam rependat pro dote egestatem? his tamen omnibus *sponsabo te mihi*, si tibi non displicet desponsari.

§. II.

Desponsatio admiranda.

Heb.11.v.1

ADhuc hæsitas atque ad magnitudinem Sponsi, munerúmque præstantiam obstupescis? Sunt enimverò hæc supra naturæ captum; at non supra *fidem*. Non fallit veritas. Si grandia spondet, grandi opus est *fide*. Hæc *sperandarum substantia rerum*: quantum credit, tantum accipit: promittit cælestia, expectat æterna: quæ etsi nondum *apparent*; ea tamen certo atque insuperabili stringit amplexu, jámque in tempore delibat: quæ quondam immensa dabit æternitas. Credis? nullus ambigo: quin & majora de meo amore potentiáque sentis: non nescia, me, quod volo, posse; quod bonum est, velle. Crede ergo, mihi nunc in animo esse, tecum facere sponsalia in præsenti; nuptias in futuro: te Sponsam in exilio, in patria Reginam.

Sponsæ integerrimæ

An ignoras quàm amanter omnibus retrò sæculis, ex quo humanâ me vestivi carne, innumeras mihi Sponsas conciliaverim? Taceo Luciam, Agatham, Catharinam, Barbaram, heroides invictas: prætereo Dorotheam, Cæciliam, Euphrasiam, Ursulam duplici beatas palmâ: non adduco Scholasticam, Claram, Gertrudem, Teresiam, candidiores nive animas: non integra Virginum mihi dicatarum agmina: quæ calcatis mundi opibus, fastu deliciisque grande illud Sponsæ nomen meo beneficio sunt adeptæ. Numquámne Agnetem, tredecim annorum virgunculam, audisti? *Induit me Dominus*, inquit, *vestimento salutis & indumento lætitiæ circumdedit me, & tamquam Sponsam decoravit me coronâ: Dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas: annulo fidei suæ*

in Breviario.

sub-

ſubarrhavit me, & circumdedit me vernantibus gemmis: mel & lac ex ore eius ſuſcepi, & ſanguis eius ornavit genas meas. Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſerviunt, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur: cuius Mater virgo eſt, cuius Pater feminam neſcit: quem cùm amavero caſta ſum, cùm tetigero munda ſum, cùm accepero Virgo ſum: ipſi ſum juncta in cælis, quem in terris poſita toto corde dilexi. Ecce, præclarum deſponſationis noſtræ compendium! Sic olim Genofevam numiſmate per Germanum, Balbinam cæleſti facula per Angelum, Coletam annulo per Joannem mihi deſpondi: ſic Adelgundem veſte, Abundantiam Cruce, Agnetem Politianam gemmis, velut arrhâ, donavi: ſic Claram de Montefalco admirandis tribus globulis, Catharinam Senenſem vulnerum meorum radiis, Ludgardem dulciſſimo corde meo, Sponſas cælo terrâque teſte delectas, inſperatis muneribus beavi. Nimirum *fidem* habuerunt ſpondenti, & quam ipſæ ſpoſponderant, *fidem* ſervaverunt.

Per fidem ſinceram.

Sic *ſponſabo* & te *mihi in fide*, ut credas: in fidelitate, ne fallas, aut rivali Mundo aures animúmque inclines: *in fide*, ut quò plura accipis, eò majora ſperes: in fidelitate, ut datæ ſemel fidei numquam obliviſcaris: *in fide*, ut ſpes amorem foveat; in fidelitate, ut amor finem neſciat, non conſeneſcat, non in res creatas diffluat, non pigro torpeſcat otio, ſed nec proſperis vel adverſis flectatur tua *fides*: quæ enim cerea eſt, fides non eſt; quæ verò fortior adamante, frangi nequit: quæ temporis edacitatem non ſentit, quæ non ignibus, non aquis cedit, non ipſam mortis ſicam formidat: ea demum ſinceræ nomen fidei meretur. Talem jure poſtulat & Sponſi æternitas, & Sponſæ dignitas; gratus Dilectæ animus, Zelus Dilecti. Quâ *fide*, quâ conſtantiâ, quo ardore ab omni retrò æternitate Deus, à primo vitæ momento tibi factus homo, etiam inter pœnas & opprobria, ad Crucem, ad mortem uſque te dilexerim, non ignoras: pati ut me

Mira Sponſi fidelitate

diligas *fide* à te non exigo, quia non potes; ſimili tamen fidelitate amari cupio; quia ut poſſis, ego facio: non tuo quidem merito ſolo, ſed meâ præſertim gratiâ; qui ad amandas animas *miſericordiâ & miſerationibus*; non debito, vel legibus æquitatis decoríque ſum adductus.

Et miſerationibus multis.

Quòd namque ex multis te millibus in Sponſam eligo, quòd tam pretioſâ te dote mihi vendico, *miſeratio eſt*: quòd cæleſtibus exorno elegantiis, æternis te dito theſauris, *miſeratio eſt*: quòd te velut animæ dimidium meæ potenti dexterâ defendo, quòd famæ, vitæ, ſaluti, gloriæque tuæ tam prolixè conſulo, *miſeratio eſt*: quòd inſuper divinis mentem ſolatiis gaudiíſque perfundo, arcana cœli tecum communico, tenerrimi tibi ſigna amoris largiter oſtendo, tandem quoque meipſum ſtupentibus Angelorum choris in Fratrem, ínque Sponſum trado, quid niſi immenſa, admiranda, ineffabilis *miſeratio eſt*? *miſericordia* æternùm cantanda? quòd denique pro his omnibus nil niſi *cor tuum*, quo non indigeo, acceptare gaudeo, an non *miſericordia eſt*, *miſeratio* non niſi divina? quæ ſola me impellit, ut te ex miſerâ faciam felicem, & pro nihilo dem univerſa.

§. III.

Pro ſolo corde quòd quãdiu non datur Deo, eſt miſerrimum.

Oſe. 7. v. 6. Zach. 7. v. 12. Iſa. 29. v. 15 Prov. 22. v. 15. Eccl. 7. v. 27

ET quid ego acquiram, ſi cor dederis? quid tu perdes? profectò nihil: tunc demum erit *tuum*, cùm mihi fuerit ſacratum: poſſidebiſque melius, cùm illius te uſurpatione abdicaveris. Non enim in rem meam peto, *ut cor tuum mihi prabeas*, ſed in tuam; ut magno te hoſte liberem. Quid namque eſt *cor*, quamdiu *tuum* eſt? nónne *clibanus* pernicioſis æſtuans flammis? *adamas* divinis flagellorum verborúmque ictibus impenetrabilis? *mare profundum* atque inſatiabile, perpetuis cupiditatum fluctibus inquietum? cavea, pueriliis *ſtultitia* referta nugis? *ſagena* per cœnoſas mundi lacunas

trahi

trahi solita? lararium innumeris plenum idolis? Nónne quamdiu *tuum* est, *grave* est, téque deorsum ad terræ fundum inclinat? *vanum* est, atque inanias te sectari compellit? *pravum* est, & à boni rectíque linea quàm longissimè deflectit? *inops est*, verísque cæli divitiis penitus destitutum? *cæcum est*, noxiisque ignorantiæ tenebris immersum? *immundum est*, sordidísque sensuum oblectamentis mancipatum? ò quàm facilè, quamdiu id *tuum* esse credis, tuóque úteris arbitratu, *subvertitur*, ut susque deque omnia habeas? quàm repentè *elevatur in superbiam*, ut te magnificè circumspicias? quàm fraudulenter *aufertur* violentis illecebrarum laqueis, ut á Deo sensim recedas? quàm citò *incrassatur*, ut ad cælestia hebescas? quàm frequenter *machinatur cogitationes pessimas*, ut Cælitibus odio fias? quàm infeliciter atque inopinatò tandem *moritur*, ut divino amore extincto cadaveris instar computrescas! Quid multa? quamdiu *cor tuum* est, tamdiu quoque proprii Sedes amoris est; infelix hospitium pessimi inquilini.

At verò, si *mihi* illud *præbeas*: si pleno, ut decet, jure possidendum relinquas: si nullam illius particulam furtivè tibi vendices; sed ex toto meum facias: mox erit splendida Divini amoris aula, felix optimi maximíque Numinis Thronus, secretus Sponsi thalamus, jucundissima regia Dilecti. Tunc enimverò videbis, te non jam perdidisse *cor* tuum, sed olim perditum *invenisse*: Quod tamen vix *tuum* esse nosces, dicésque: unde mihi cor ab eo, quod fuit, adeò diversum? *cor* scilicet *novum*, depositâ torporis rubigine instauratum? *cor intelligens*, justo æternarum caducarúmque rerum judicio instructum? *cor mundum*, excussis terræ sordibus cælesti nitore fulgidum? *cor ardens*, castis divinæ charitatis facibus succensum? *cor latum*, utroque mundi cardine capi vel impleri nescium? *cor* denique *perfectum*, ad ineffabilem summæ sanctitatis normam *secundum cor Dei* egregiè elaboratum.

Ezech. 14. *v.* 7. *Ps.* 4. *v.* 3. 5. *v.* 10. *Prov.* 11. *v.* 20. 10. *v.* 21. *Ephes.* 4. *v.* 18. *Ezech.* 14. *v.* 3. *Nu.* 32. *v.* 9. *Deut.* 17. *v.* 20. *Ose.* 4. *v.* 11. *Matth.* 13. *v.* 15. *Prov.* 6. *v.* 18. 1. *Reg.* 25. *v.* 37.

Si Deo detur, felicissimum.

2. *Reg.* 7. *v.* 27. *Ezech.* 18. *v.* 31. 3. *Reg.* 3. *v.* 12. *Ps.* 23. *v.* 4. *Luc.* 24. *v.* 32. 3. *Reg.* 4. *v.* 29. 3. *Reg.* 8. *v.* 61. *Actor.* 13. *v.* 23.

Tunc liquidò deprehendes proprii cordis experimento immaculatam Domini *legem*, *in corde* tenero, velut in tabula, divino signatam digito relucere: æterni Patris *Sapientiam in corde* simplici, tamquam in cathedra docendi munus suscepisse: illustrissimam primæ veritatis facem, in *corde recto*, sicut in animato cælo *illucescere*, atque ut *luciferum oriri*. Tunc senties *in corde* humili *charitatem*, ceu balsamum, pretiosâ pixide *diffusam*: in *corde* alacri, non secus ac in excelsa aureáque scala, *ascensiones* ad cæli atria *dispositas*: in corde piis pleno desideriis ipsummet Dilectum *positum esse*, ut *signaculum*, charo Sponsi gazophylacio impressum. Tunc denique *cor tuum vivet*; non tam tibi, quàm mihi; imò jam verè tibi, quia sincerè mihi: non vitâ ampliùs terrenâ, sed cælesti: non pauculis annorum spatiis, sed in *sæculum sæculi*: tunc *cor* tuum *vigilabit* perpetim amando; mens verò sopitis sensibus suaviter contemplando *dormiet*: tunc cor tuum inter furentes Tartari procellas *sperabit* in *Domino*; caro etiam inter acerbos corporis cruciatus *reflorescet*:

Ps.36.v.31. *Prov.2 v.10* *2. Pet.1.v.19.* *Rom.5.v.5* *Ps.83.v.6.* *Cant.8 v.6* *Ps.21 v.27* *Cant.5 v.2* *Ps.27.v.7.*

Tunc *cor* tuum *confortabitur*, ut, quidquid vult, possit; dextera tuos meósque hostes virili robore debellet: tunc cor tuum *eructabit verbum bonum*, ut nisi JESUM loqui nesciat, os divinas cantando laudes spiritu mentéque psallat: tunc *cor* tuum *exultabit in Deum vivum*, ut summo adhæreat bono; anima immensis absorbeatur gaudiis, totáque liquescendo in Deum transeat.

Judith. 15. v.11. *Ps.44.v.2.* *Ps.83.v.3.*

§. IV.

Amor proprius, maximus cordis tyrannus.

En Philothea, quàm fausta sit, hæc & lucrosa permutatio! An major in terris sperari fingíque potest felicitas, quàm ut *cor* in suo centro quiescat? beatitatis pelago immergatur? in corde manúque Dei, tamquam in proprio elemento degat? Quæ ergo dementia est? cor suum violento pro-

proprii amoris impulsu suâ sede movere? extra suam detinere sphæram? quæ crudelis impietas, tam præstantem sui partem infensissimo hosti permittere, amico negare? legitimo subtractam Domino, tyranni obsequio mancipare.

Quid namque est perversus suimet Amor, nisi perfidus hostis, mendax impostor, versutissimus insidiator? amicum se venditat; tu latronem crede: Tuam in omnibus faustitatem quæritare videri vult; interea extremam tibi perniciem machinatur: quò plus diligit, eò magis nocet: cùm blanditur atque os tibi oblinit; odium puta, non amorem. Quid ita? Terrenis te implicat; prohibet divinis: obtrudit fluxa; æterna intervertit: voluptatem, opes, famam ut secteris, summa vi te incautam abripit; sapientiam, virtutem, gratiam ne tibi compares, difficultatum umbris deterret. Non illi anima, non salus, non cælum curæ est; sed vitæ commoda, sanitas, libertas est in pretio: quidquid asperum arduúmque est, tam præfractè, quàm meticulosè refugit; quod molle blandúmque, obviis ulnis amplectitur. In mensa quærit lautitias, in lecto mollitudinem, in vestibus luxum, fastum amœnitatémque in ædibus: ubique propriam captat laudem, proprium adorat judicium, privatum curat bonum, liberum sibi vendicat vivendi arbitrium. Contrà, odit laborem, fugit pugnam, horret disciplinam, calcat leges, frænum excutit, atque ita spatiosâ ad interitum viâ currendo sua secum mancipia raptat.

Illius indoles & signa.

Quis Luciferum superbiâ inflavit, & de cælo in Orcum dedit præcipitem? nónne propriæ excellentiæ atque æstimationis amor? Quis Evam gulâ decepit, simúlque innocentiâ & Paradiso dejecit? nónne proprio palato quæsitæ voluptatis amor? quis Caino sordidam in sacrificando avaritiam, ac denique fraternam cædem persuasit? nónne propriæ servandæ rei amor? quis Pharaonem crudelitate efferavit, maríque rubro demersit? quis Saulem temeritate de-

Exempla luctuosa.

mentavit, vitâ regnóque exuit? nónne illum propriæ ditionis augendæ, hunc propriæ auctoritatis stabiliendæ amor? Quis umquam perversum hunc cordis inquilinum habuit, & tyrannidem evasit? quem umquam hic centimanus latro prehendit, & sine clade dimisit? quot sapientes, quot fortes, quot grandes, illustres subjugavit? quot etiam bonos justósque tandem oppressit? Quod vi non potest, dolo impetrat: tam durus dictator, quàm mimus versipellis: hòc timendus magis, quò plùs affinis & domesticus: cum infelici homine post Adæ lapsum genitus, omnium vitiorum sator, exitium virtutis.

Ideoque exscindendus.

Procul ergo proprium pelle Amorem, iniquum cordis tui invasorem, tyrannum animæ, sensuum lenonem, proditorem spiritûs, cæli hostem, terræ mancipium, carnis patronum, mentis carnificem, nocentissimam humani generis pestem, venenoso stygis habitu à serpente mortalibus afflatam. Nequeunt convenire, atque in una morari sede cælestis ille facularius, divinus Amor, & hic inferorum incendiarius. Si huic vel minimum in corde angulum concedis, funestas sensim excitat tragœdias: cæcus ipse rationem excæcat, pestiferis voluntatem ignibus accendit: nec antè grassandi finem facit, quàm cælestes in mente flammas phlegethontæi sulphuris fumo extinxerit. Polypum esse memento: cui si unum rescindis pedem, decem aliis te invadit: ut te extricare queas, uno simul omnes ictu præcide.

Cor totum Deo dandum.

Cor igitur *præbe mihi* totum, si me diligis: nihil illius tibi reserva, si vel teipsam amas. Quidquid subtraxeris, sacrilega est rapina: damnum tuum, injuria mea. Totum repeto, qui dedi totum. Me dilige, & te amabis; te amare noli, & me diliges.

Para-

PAratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *Psal. 107. v. 2.*

Philothea

EXEGESIS.

§. V.

Dignitas Sponsæ Christi.

O quàm bonus es, quàm dulcis, quàm misericors, Dilecte mi! Sponsam inter homines quæris Angelorum Dominus? Rex supremus infimam ex ancillis? sapientissimus infantem? ditissimus inopem? omnipotens imbecillem? sempiternus mortalem? sanctissimus peccatricem? Ignosce Domine, quòd pudore suffusa hæreo, quòd admiratione defixa tantùm non obmutesco, quòd tui majestate Numinis perculsa, in abyssum meæ vilitatis me recipio. Mirantur Cælites, non capit humana ratio, infelices in orco genii sugillant, invident, indignantur. Quis tam inæquales posse Sponsos conjungi crederet, nisi Divini persuaderet Amoris immensitas? quis perennes in cælo nuptias speraret, nisi fallere falli que nescia æterni Verbi sponderet veritas? quis tam grandia Sponsæ munera largiri queat, nisi prodiga infinitæ bonitatis munificentia?

Quando ergo ita vis, ô magne mundi Rector, ecce me! habes Philotheam *fide* Sponsam, amore Filiam, obsequio ancillam. Quidquid volueris, ero: quidquid fuero, tuâ solius *miseratione* me futuram, libens agnosco. Tu fac, ut quæcumque sim, factis impleam tanti nominis dignitatem. Hæc una me cura solicitam habet. De dote non sum anxia; quia alienis ditari bonis non potes, cuius sunt universa: nec meam nescis pauperiem, cui nota sunt omnia. Mihi, fateor, præter bonam voluntatem est nihil: hanc saltem si tibi restituo, quam tibi in acceptis refero, non aspernaberis. Quid enim

enim aliud dotis nomine ad te afferam, quàm quod ipſe de-
deris? Da quod petis; & pete, quod vis.

Cor, pro dote eſt.

Ierem.17. v. 9.
Gen 8.v.21
Proverb.4. v. 23.
Pſ.32.v.15
Prov.21. v. 2.

Cor, inquis, poſtulo, ò quàm piè, quàm ſapienter! quid tu poſtulare minus potes; ego majus dare? Quid corde levius? nónne *pravum eſt & inſcrutabile*? *ſenſus* quoque *& cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia*? quid verò apud mortales corde pretioſius? nónne *ex ipſo vita procedit?* quódque plus eſt, non niſi ſummus opifex Deus, id *fingit ſingillatim, & appendit*? Tu ergo *cor meum*, etſi viliſſimum, tanti facias amore mei, ut illud efflictim petas? & ego, quamquam mihi chariſſimum, amore tui id non evellam, ut lubens volénſque tibi impertiar?

Pſ.16.v.3.
Pſ.7.v.10.
In corde omnia.

Et quis tandem cor meum, qualecumque ſit, meliore ſibi jure vendicat, quàm qui *probat*, quíque *ſcrutatur corda & renes Deus*? Tu ergo, quod tuum eſt, repetis, quando cor, & cum corde, hoc eſt, vitæ principio, vitam: cum vita memoriam, rationem, voluntatémque exactor juſtiſſimus repoſcis; tuæ ſiquidem bonitati debetur voluntas, veritati ratio, memoria æternitati: omnis ſpiritus, facultas, vitáque omnis tuæ ſolius potentiæ & Majeſtati.

§. VI.

Oblatio cordis.

ODioſas itaque abrumpo moras ruſtica cunctatrix, atque ad tuos affuſa pedes, *cor meum tibi, ò Deus cordis mei*, toto mentis ardore in ſacroſanctas offero manus, tuóque cordi conſecro.

Exigua quidem eſt corporis terreni particula; ſed animi ſedes, fons vitæ, amoris officina: quam dum tibi dono, dico, dedico, tuis me totam obſequiis devoveo: do, quod debeo; quod poſſum, facio.

Accipe ò admirande Conditor, quod omnipotenti dextera formâſti cor: quod arcano, ut ad te feſtinet, pon-
dere

dere animâsti, útque te solum quærat, creatis fecisti rebus inexplebile. Posside, Servator Clementissime, cor quod tuo toties lavisti sanguine, tuis accendisti flammis, replêsti lumine, gratiâ cumulâsti. Si mille forent, mille darem. Satiùs est sine corde mori, quàm tibi cor negando, vivere; ò me nunc felicissimè excordem, imò numquam magis cordatam! Tuum habet, qui suum tibi dedit: qui dat non amittit; perdit, qui servat.

Non hoc ignorat *cor meum*, ideóque jam *paratum* est è præcordiis emicare. En, ut subsultat, gestit, eluctatur? ad te anhelat, te ambit, te ardet, ad te toto fertur impetu, tibi ex asse tradi, summam æstimat felicitatem.

Paratum est omnino *cor meum, Deus*, tuæ subesse dexteræ, ut huc illúcque verses, ceu levem palæstrita pilam: ut tuo fingas arbitratu, velut teneram iconoplastes ceram; ut subigas, conculces, ínque gyrum agas, sicut in rota figulus mollem argillam, ut lubet, domat. *Paratum cor meum*, imò jam, non meum, sed novo jure tuum, tuísque nutibus sacratum: animæ interpres meæ, fidei pignus, obses voluntatis. Si me jubes ferre fortia, feram: si agere laboriosa, agam: si vis ut latitem obscura, latebo: si ut in lucem prodeam, prodibo: si sospitem cupis, valebo: si morbis obsessam, patiar: si vivere concedis, tibi vivam: si mori imperas, tibi læta moriar. *Paratum cor meum* tuis ut solatiis affluam, cùm volueris; ariditate fatiscam, cùm rivos clauseris: *paratum*, ut secreta cæli, cùm reseraveris, inspiciam; cùm velum obduxeris, libens acquiescam: *paratum*, ut ad excelsum sanctimoniæ culmen, si admiseris, ascendam; si abnuas, ut infimo locata gradu tuâ frui gratiâ gaudeam, dilectione exultem, tuo contenta placito triumphem.

Ad omnia parati.

Suscipe quæso, ter optime maximéque Deus, hoc cordis sacrificium, quo me, & si quid porrò meum est, in holocaustum offero, divinæ charitatis igne consumendum. Nihil

Holocaustum Deo gratissimũ.

excipio, decerpo nihil, nihil clandestino furto mihi reservo: non corpus, charum animæ domicilium: non ullum corporis membrum; sed in victimam tibi cuncta macto: non proprii libertatem arbitrii, non ullam animi cupiditatem; sed tibi omnes immolo: non affectatam rationis judiciique anarchiam, non arcanissimos intelligentiæ cogitatus; sed universos, utique gratam tibi hostiam cædo: non ingenium, facultates, famam, commoda, res ac spes, ipsúmque sanguinem ac vitam; sed integrè toto mentis affectu tibi sacrifico. Aliam nec ego habeo, neque tu, puto, postulas â me hecatomben.

Bellum amori proprio indicit, quæ cor Deo donavit, anima.

Jam nunc ergo, Dilecte mi, amore tui, proprio Amori, hosti tuo meóque internecinum indico bellum: jam radicitus hanc pestiferam evellere taxum aggredior: jam omnes huic centipedæ fibras, quibus se obfirmat, incído: jam hunc ex animi penetralibus tyrannum eiicio, atque æternis dignum flammis perenni lege proscribo. Neque hoc mihi satis. Insequar fugientem, instabo repugnanti: cædam, urgebo, premam, donec opprimam: nullo patiar loco consistere: quocumque angulo latentem deprehendero, faciam ut in malam crucem actus perfidiam luat. Non ille deinceps suis me fallet sycophantiis: cavebo fraudes, insidias vitabo: suspectum habebo, quidquid molle, jucundum, blandúmque objecerit: despiciam, quidquid opimum, plausibile celsúmque ostentaverit: quidquid mundum, carnem terrámque sapit, nauseabo.

Ad Deum refert omnia.

Sic Dilecte mi, ero ipsamet inimica mihi, ut tibi sim Dilecta: apud te dulcissime JESV, ubi nempe est *cor* meum, posthac erit & amor meus: ad te tendet omne desiderium gaudiúmque meum, spes, gloria, felicitásque mea: ad te cogitatio, cura studiúmque meum, exercitatio, conatus, labórque meus: Ad te post hac collimabunt oculi, se aures erigent, lingua voces mittet, supplices insurgent manus, pectus,

pectus anhelabit, totum corpus animúsque summis migrare viribus connitentur. Tua erunt omnia, quamdiu mihi vita erit. Sic nempe jubet amor, ego firmiter decerno, gratulatur cælum; tu ratum habe; quique cor suscipis, totam simul Philotheam cape, & serva.

EGredimini Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate suo, quo coronavit eum Mater sua, in die desponsationis illius. *Cant.* 3 *v.* 11.

Amor divinus.

EXEGESIS.

§. VII.

ADeste fideles animæ; adeste non degeneres novæ *Sionis*, optimæque Christiadum Matris *Filiæ*: sive quæ noxarum memores *in cubilibus vestris* dolore *compungimini*: sive quæ ad Sponsi cælestis thalamum admissæ, toto corde *lætamini in cubilibus vestris*: *egredimini* quæso; & dulces solitudinis recessus tantisper linquite: prodite ad spectaculum vestris dignum oculis: ad quod non curiositas vocat, sed charitas invitat. Non pœnitebit in publicum venisse; spectâsse plurimùm juvabit: non tepescent divini amoris flammæ; sed magnis crescent incrementis: vobiscum etiam Beatæ in cælo mentes, *civitatis sanctæ, Ierusalem novæ*, felices *Filiæ* spectabunt, lætísque vocibus applaudent. Adestis? placet.

Iucundum superis spectaculum, *Ps.* 4. *v.* 5. *Ps.* 149 *v.* 5

Ecce *Regem Salomonem*! non mulierosum illum Bethsabeæ Filium, sapientem juvenem, delirum senem; quem pietas Deo charum sapientémque fecit; libido impium & amentem: ex Rege mancipium feminarum, desertorem

Christus, Sponsus, Salomon,

Numinis, dæmonum cultorem; sed illum Davidis Deíque Filium, verè pacificum, *qui fecit utraque unum, pacificans per sanguinem Crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*: verè magnum Solymæ Regem, sed cælestis cælestem atque immortalem: verè sapientem ipsámque æternam Patris sapientiam: Ecce Regem Salomonem! verè divitem, qui nullius indigus, ipse sibi sufficit, & simul *infinitus est thesaurus hominibus*: verè pulchrum, qui *speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparatus invenitur prior*: verè amabilem Deo, de quo Pater: *Hic est Filius meus Dilectus, in quo mihi bene complacui*: verè gloriosum, qui *cùm sit splendor gloriæ, sedet ad dexteram majestatis in excelsis*: verè potentem, *in cuius manu sunt omnes fines terræ, & potestas eius potestas æterna*: cui pro cedrina domo Libani, stellata est cæli regia: pro eburneo regni solio, aurea Solis rota: pro ferculo serena nubes: Angelorum myriades pro famulitio, castæ pro Sponsis animæ.

Ephes. 2. v. 14. Colos. 1. v. 20. Sap. 7. v. 14 v. 29. Matth. 17. v. 5. Hebr. 1. v. 3 Ps. 94. v. 4. Dan. 4. v. 31.

Nuptialis illius habitus.

Ecce JESVM cæli terráque Dominum! nónne *plusquam Salomon hic?* Cernitis quàm festivo majestatis cultu spectabilis fulgeat? quàm mirâ frontis hilaritate amabilis arrideat? quàm venusta totius oris specie admirandus incedat? Cernitis, ut semper gloriosissimus, nunc solito augustior: semper dulcissimus, nunc multò dulcior: semper pulcherrimus, nunc veluti seipso pulchrior, suam, quam augere non potest, saltem radiis abundantiùs diffusis, claritudinem manifestet? quasi novam aliquam felicitatis accessionem ipse sibi gratularetur, fons omnis ipsemet felicitatis.

Matth. 12. v. 42.

Diadema.

Nempe sic decebat Sponsum *in die desponsationis eius* comparere splendidè exornatum. Vt placet vobis diadema, quo sacratissimum caput redimitum coruscat? En, ut fulgurant pro gemmis stellæ? pro auro solares radii, lunæ candor, pro margaritis? ut micant nivei pudoris lilia, rosǽque purpureæ charitatis sparsim inter textæ? quàm splendet fas-

cia

cia ſuaviſſimæ amœnitatis fronti temporibúſque circumdata, ínque humeros diffuſa? Cernitis quid aureis in limbo litteris ſit expreſſum? Legite:

IESVS CHRISTVS.

Verus de Deo Deus, amore hominis homo factus:

Virginis Virgo Filius, & Virginum Sponſus.

Quid ad majeſtatem grandius, ad voluptatem pulchrius, mirabilius ad exemplum, potentius ad amorem? Non illi innumeræ deſunt coronæ, non vallaris, caſtrenſis, obſidionalis de mundo tartaróque expugnato: non civica, triumphalis, regia de peccato, carne dæmonéque ſubacto: *non corona gratulationis*, quam Angelicæ mentes victori offerunt: *non corona gloriæ*, quàm 24. Seniores, cæli proceres, ad *thronum* pedéſque venerabundi *mittunt*: non *corona juſtitiæ* tam glorioſis debita facinoribus: neque *corona vitæ* perſeverantibus promiſſa. *Habet* ſanè *in capite diademata multa*, imò tot inæſtimabiles coronas, quot divinæ prærogativas excellentiæ; At verò cumprimis hoc nuptiali ſerto coronari gaudet. Illæ majeſtatis ſunt indices; hoc ineffabilis inſigne charitatis: illis ſe Dominum Regémque oſtendit: iſto ſe Sponſum eſſe declarat: illas Pater æternus, quando *ante ſæcula genuit*, pleraſque impoſuit: iſto *coronavit eum Mater in die deſponſationis*, cùm ille humanam ſibi naturam junxit; ipſa, veluti cæleſtis coronaria, ſummæ pulchritudinis ſuavitatíſque gloriam adjecit, quâ ad miraculum uſque diadematus puras hominum mentes traheret ad amorem, ad ſolatium oblectaret.

Eccl.6.v.32.
Iſa.62.v.3.
Apoc. 4. v.10.
2.Tim.4. v.8.
Apoc. 2. v.10.
19.v.12.

§. VIII.

Philothea Christi Sponsa.

ET verò traxit hucuſque innumerabiles, atque has inter, quod felix fauſtúmque ſit, quam videtis Sponſam: non fuſcam Pharaonis Filiam, ſed candidam Philotheæ, Sororis veſtræ, animam: charam JESV amicam, magno ſanguinis divini pretio redemptam. Hanc æterno ſibi fœdere nunc deſpondet, *fide* obſtringit, *miſericordiâ & miſerationibus* donat, virginei conſortem thalami jubet; ut ſit, cum qua ſummâ fide amatus, amánſque ſuam largiùs communicare queat divinitatem.

Solemni ritu ornatur.

Spectate obſecro, quouſque ſe demittat celſiſſima divini Sponſi charitas: quâ comitate omnipotentem dexteram jungat fidei promiſſæ teſſeram: quâ hilaritate cæleſtem annulum æternitatis arrham Sponſæ digito inſerat: quâ dulcedine ſidereum collo torquem, amoris mnemoſynon injiciat: quâ concinnitate ſplendidum gemmis ſertum, gloriæ pignus, capiti imponat: quâ benevolentiâ ſtelligerum, quo ipſe veſtitur, pallium, perpetuæ protectionis ſignum, Sponſæ humeris inſternat.

Sponſæ demiſſio.

Quid verò adhæc Philothea? miratur Numinis clementiam, adorat celſitudinem, Sponſi excellentiam contemplatur. Ecce, ut in genua provolvitur? ut oculos demittit, ut decuſſatas pectori manus admovet? ſuſpirat, non capit tam prolixos cæli favores? Ergóne Deus, inquit, Philotheæ Sponſus? ergóne Philothea Dei Sponſa? ſic ait ſimúlque extra ſe poſita, tantæque impar felicitati, viribus defecta ad Sponſi pedes, non ſecus ac Eſthera quondam in terram defluit.

Sponſi charitas. *Eſth.* 15. *v.* 12.

Quid trepidatis? quid curritis? fruſtra eſtis: numquam feliciùs cecidit; multò robuſtior ex hoc deliquio ad ſe reditura. Non cernitis quòd jam ipſemet Sponſus *feſtinus exili-*

erit

erit de solio, & sustentans eam ulnis, blandiatur? *Quid habes* Philothea? *Ego sum Frater tuus, noli metuere.* Quis mortuus ad has voces non resurgat? vivit, valet, surgit Philothea, suavissimè arridet, Sponsique auxiliatricem manum submisso poplite deosculatur. Vos itaque congratulamini vestræ Sorori, laudate JESVM: utrique epithalamium canite. Dicite Sponso; *Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prosperè procede, & regna.* Dicite Sponsæ: *Audi Filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui.* Dicite Dilecto: *Benedictus es, qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim: Suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem.* Dicite Dilectæ: *Benedicta es tu à Domino Deo excelso, quia hodie nomen tuum ita magnificavit, & eris benedicta in æternum.* Dicite utrique: Vivite, gaudete, triumphate felices Sponsi, utriusque mundi prodigia, miracula charitatis, sed quotidiana! Bene vobis, qui in cor unum, unámque animam coaluistis! Bene Patri qui Sponsum dedit! bene Matri, quæ coronavit; bene paranympho Pneumati, qui conjunxit: bene bonis omnibus, qui applaudunt.

Epithalamium. *Ps. 44. v. 5. v. 11.*

Dan. 3 v. 55 *Ps. 112. v. 7* *Judith. 13. v. 23. 24. & 25*

Philothea

GAudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis: & indumento justitiæ circumdedit me. *Isa. 61. v. 10.*

EXEGESIS.

§. IX.

Ingens animæ Deo junctæ gaudium.

VAh! quid agitis charissimæ Sorores, Sionis Filiæ? quid igni oleum affunditis? cessate, obsecro, dulcisonis plectri motibus cantúque gaudia gaudiis accumulare. Non cer-

cernitis, quæ modò meam deliciæ mentem liquefaciant? quæ jucunditas, totum occupet spiritum? quæ gaudia per intimos animæ recessus se diffundant? vereor, ut par sit animus valeátque tantum dulcedinis affluxum ferre. Non sic *lux oculorum lætificat animam*: non sic *fama bona impinguat ossa*: ut meum lætitiâ pectus inundat: *Non sic musica & vinum lætificant cor*: Non *amicus & Sodalis in tempore convenientes*: non *Fratres in adjutorium in tempore tribulationis*: non *aurum & argentum*, non *facultates & virtutes sic exaltant cor*: ut cælestis affluentia suavitatis meam demulcet implétque animam. Omnis hæc voluptatis congeries cum gaudio meo composita, gutta est: non voluptas, sed umbra est voluptatis.

Et solidum *Prov 15. v. 30. Eccl. 40. v. 20. & seq.*

Gaudebat olim Jacob viso Joseph, adeò quidem, ut diceret, *nunc lætus moriar, quia vidi faciem tuam*: Gaudebat quoque Maria prophetissa demersis mari rubro Ægyptiis, idcóque *sumpsit tympanum in manu suâ, & præcinebat mulierum choris*: gaudebat David adductâ in suam civitatem arcâ & præ gaudio, quasi regiæ oblitus dignitatis, *saltabat totis viribus ante Dominum*. Gaudebat etiam Tobias & amici recepto Filio, *per septem dies gaudio magno epulantes*: gaudebat denique occiso Holoferne Iuditha, & *per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est*: Et erant hæc quidem sincera gaudia; at meo non suffectura pectori: non est tam arctis circumscripta limitibus jucunditas mea, non mensium dierúmque numero definita: non me tenues tantummodo gaudiorum rivuli allambunt, sed ipse *fluminis impetus, qui lætificat civitatem Dei*, sese in cor meum exonerat.

Gen. 46. v. 30. Exod. 15. v. 20. 2. Reg. 6. v. 14. Tob. 11. v. 21. Iudith. 16. v. 24.

Ps. 45. v. 5.

Amplissima gaudendi copia, Deus.

Non est mihi gaudendi causa, castus aliquis Josephus, Ægypti prorex *& Salvator*; sed fons puritatis, cæli terræque Rex, Conditor & conservator mundi: non Tobias charis Parentibus *lumen oculorum* & *baculus senectutis*; sed Dei Virginísque Filius, lux vera, Sol justitiæ, *qui renovat, ut aquilæ, lætificátque juventutem meam*: non debellato Pharaone Assyrióque

Gen. 41. v. 45. Tob. 15 v. 4 Ps. 102 v. 5 & 42. v. 4.

ſyrióque Duce parta libertas & victoria: ſed *Deo exercituum*, Erebi victore, humanæ gentis vindice & aſſertore recuperata ſalus, pax vera, perennis felicitas: non denique ſancta fœderis arca, aut legis tabulæ, vel præſentis propitiíque ſedes Numinis; ſed Sanctus Sanctorum, ſummus omnium legifer & dictator, ipſamet immenſa Dei clementia & majeſtas. Hæc meorum eſt ſeges gaudiorum; *Dominus* meus, *Deus* meus, JESUS meus meum eſt gaudium: ipſius æternitas, celſitudo, omnipotentia, mea eſt felicitas: ipſius ſapientia, magnitudo, bonitas, mea eſt voluptas: ipſius dulcedo, pulchritudo, abundantia infinita, mea eſt jucunditas eritque infinita. Ipſe vita lux & requies: ipſe principium, medium & finis, & non gaudeam? ipſe veritas & virtus, Dux & magiſter, Frater & Sponſus, & non exultem? Ipſe omnia, omnia in ipſo: ipſe in omnibus, ipſius omnia, ipſe verò meus, & non triumphem?

In adverſis æquè ac ſecundis.

Gaudeo ſanè atque omni deinceps æternitate *gaudebo in Domino*: voluptas erit illum cogitare, loqui, amare: jucunditas erit ſupplicibus orare votis, ornare præconiis, totis præcordiis adorare: gaudium erit pro illo ardua audacter aggredi, aſpera conſtanter pati: quod vult, velle: quò ducit, ſequi: felicitatis ſumma erit, ipſi adhærere, pro mancipio, pro jumento eſſe, ipſius causâ ſudorem, ſanguinem vitámque fundere.

Si proſpera aſpirent, ſi ſanitas, voluptas: ſi quies, fama, ſcientia, virtus: ſi orationis ſapor, lectionis amœnitas, meditationis ardor ſua propinent gaudia: non ego cortice, ſed nucleo læta *gaudebo in Domino*: Si irruant adverſa: ſi morborum agmina, calumniarūm imbres, hoſtium exercitus invadant: ſi offuſæ menti tenebræ, præpoſteræ religionis ſpinæ, ac deníque ipſo pumice ſiccior ſterilitas triſtitiæ nubem obtendant: non ego mœſtitiæ nebulis, ſed hilaritatis infuſa radiis *gaudebo in Domino*: Si feſſum corpus ingemiſcat, ſi

fracta membra doleant: si refractaria caro indignetur, fremátque sensuum delinimentis se prohiberi: si lacrymis pluant oculi, suspiriis pectus æstuet: si denique seu morbis, seu morti succumbat ossium compages; spiritus *gaudebit* in *Domino*, & *exultabit anima mea in Deo meo:* præ gaudio sursum sese librans gestiénsque exiliet, carceris sui angustias perosa ad JESVM meum evolabit: in pectore, in corde, in anima Dilecti, in gaudiorum oceano conquiescet.

§. X.

Magna gaudiorum seges, beneficia à Deo collata.

ILle, ille me in vitæ bivio hæsitantem rectis cæli semitis insistere jussit, deviantem corripuit, sustinuit impiè debacchantem: ille ut resipiscerem suâ me luce collustravit, pœnitenti injurias sibi illatas indulsit, condonavit pœnas, sanavit vulnera, sordes abstersit, in gratiam Filiarúmque numerum me recepit. Hæc quomodo mecum ipsa volvam, & non gaudeam ingenti perennique gaudio *in Domino*? quomodo gratus agnoscat animus, & non exultet in Deo? At ecce, ò inclytæ Sionis Filiæ: non hîc metam sibi fixit Dilecti charitas. Jacebam ego torpore frigoréque sopita; cùm adest ille, pulsat, excitat, vocat: dum ego moras necto; exspectat ille, urget, *amicam, columbam, dilectam*, suavissimè compellat: dum ego stulta *in lectulo*, in otio, in deliciis *quæro*, tardiúsque cordis *ostium aperio, declinavit* ille quidem; at non deseruit: ut quærerem, animos virésque dedit; ut invenirem, innumera passim, clarissimáque reliquit vestigia, multa etiam in his sanguine signavit: tandémque ne quærendo fessam anxiámque diutius frustraretur, sponte mihi occursans, divinissimam ostendit faciem, amplexum impertivit, mœrorémque omnem ac dolorem detersit. Quî ergo fieri queat, ut non *gaudeam in Domino*, & *exultet anima mea in Deo meo*? Quid porro? tot ego beneficiis obruta,

tot

tot cumulata deliciis, tantis affecta honoribus arbitrabar altiùs me non posse vel evehi, vel abundantiùs beari; at Dilectus, quâ est immensâ charitate, reperit, quò me proveheret: unde largissimè, atque ultrà, quàm sperare poteram, felicitaret.

§. XI.

Cernitis admirabilem hunc ornatum? cælestes has gemmas annulis, armillis, inauribúsque inclusas? hasce fascias, Zonas, stellísque fulgentiores murenulas? Videtis hanc cidarim, coronam, torquem? hanc cycladem, stolam, pallium: hæc nobilissima virtutum gratiæque ornamenta? An olim *polymitâ* indutus *tunicâ*, Josephus tam decorè incessit? an Salomon *in omni gloriâ suâ* ita *coopertus* splenduit? an sic Juditha *vestimento lætitiæ* ornata, oculos ad se rapuit? an Esthera *regalibus* decorata *vestimentis*, sic animos irati Regis ad clementiam flexit?

Præsertim desponsatio.

Gen. 37. v. 3
Matth. 6. v. 29.
Iud. 16. v. 9
Esth. 5. v. 1.

At unde mihi hæc omnia, nisi à Dilecto? Ille his *induit me vestimentis salutis*: ille *indumento justitiæ circumdedit me*: ille, ut simul omnia dicam, non contentus fecisse ex ancilla amicam, Sororem ac Filiam; etiam ex tot millibus electam castissimæ Sponsæ titulis me condecoravit, donavit jure ac societate divini thalami, æternis destinavit nuptiis: útque data fide muneribúsque sibimet obstringeret, hac cæli pompâ, *quasi Sponsam ornatam monilibus suis* excoluit.

Gaudeo sanè sempérque *gaudebo in Domino, quia induit me* salute, felicitate, gloriâ, tamquam *vestimento*; ut mihi essent tot certa salutis pignora, quot cæli munera: tot spiritûs vestimenta, quot decora virtutum. Exultabo *in Deo*, quia cooperuit me omni ex parte gratiâ, sanctitate, *justitiâ* velut *indumento*; ut undique hisce donis menti infusis culta, ex æquo pulchra essem ac secura. Gaudeo, & numquam non

Ps. 26. v. 1. *gaudebo* in *Domino*, quia ipsemet *Dominus, qui est illuminatio mea & Salus mea, Salvator meus*, factus est mihi pro *vestimento*, suâque sacri cruoris purpurâ ex cordis scrinio deprompta me exornavit: *Exultabit anima mea in Deo meo*; quia suá me *justitiâ*, meritísque adeò instruxit, ut *Dominum* *Rom. 13. v 14.* *IESVM Christum* non tantùm in Baptismo *induta*, divinis placeam oculis, sed *divinæ consors naturæ effecta*, mores quo- *2. Petr. 1. v. 4.* que, ac corporis animíque sensus imitando, totius vitæ compositione *auctorem causámque salutis æternæ* referam: atque ita quisquis Philotheam videt, Dilectum in ea expressum facilè advertat.

Quicumque ergo sincera affectat gaudia, mecum gaudeat: non effuso oris cachinno, sed tacitâ mentis exultatio- *Proverb. 14, v, 13.* ne: non instabili atque infido gaudio: *cuius extrema luctus occupet*; sed firma ac durabili serenitate: cui æternitas coronidem imponat. Gaudium ego magnum gaudeo; quia non de terra cælóve gaudeo, sed de *Deo* mundi opifice: jam non *Gal. 2, v. 20* mihi vivo, sed Dilecto; quin imò *vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*: ubi autem Christus, ibi verum summúmque est gaudium: quo qui caret, etiam, cùm gaudet, dolet; non gaudet, sed gaudere somniat: qui negligit, æternis exclusus gaudiis ad longam tristitiæ noctem meritò relegatur.

Christus: ECce, tu pulchra es. *Cant. 1. v. 14* *Philothea:* Ecce, tu pulcher es. *v. 15* Nigra sum, sed formosa, *ibid. v. 4.* quia decoloravit me Sol. *v. 5.*

EXEGESIS.

§. XII.

Christus. O quàm jucundum Superis spectaculum es, Philothea! quàm

quàm largiter illos tua delectat pulchritudo! Sic nempe animas mihi sacras exornat gratia; illustrat justitia, omnis virtutum apparatus, pulchras spectabilésque reddit: sic illis exquisita vitæ innocentia puritatem, sapientia Christiana lucem, colorem modestia, proportionem exacta morum conformatio impertit: salus, gloria, claritas pro indumento est.

Pulchritudo animæ Deo dicatæ.

O quàm divinum Cælitibus terrigenísque theatrum es; Dilecte mi! quàm effusè tua universos recreat ineffabilis venustas! Sic nimirum Virgineum animarum Sponsum humanitas Deo juncta mirificè commendat, sanctitas coronat, tota divinarum perfectionum immensitas *pulchrū* facit, atque admirandum: sic, tu fons ipse puritatis, lucísque lux, rebus omnibus colorem, formam, vitámque tribuis, ipsam pro vestimento habes divinitatem.

Philothea. Pulchritudo Christi.

Quid mirum Philothea, Dei & MARIÆ Filium esse animo corporéque *pulchrum*? *Ecce*, rem miram! Tu terrestris Adæ Filia, tu *pulchra* es. Non sic blandiuntur oculis flavæ agrorum segetes, viridésque sationes: non vernantes camporum hortorúmque flosculi: non vitreæ rivulorum fontiúmque lymphæ: non denique turrita urbium mœnia, non sacra templorum fastigia, non fornicata palatiorum atria, sic animos intuentium oblectant; ut tu oculos animúmque meum.

Christus.

Quid habet novi, Dilecte, si aurora aureos à Sole radios, argenteum luna lumen, purpureos viridésque iris colores, fragile vitrum speculi formosas à decoro vultu imagines trahat? ego à te splendorem? sim *pulchra*; at non sum ego pulchra ex me. Ecce, prodigium venustatis! Tu pulchritudo nova & antiqua, tu Dilecte *pulcher es*; elegantiâ non aliunde mutuatâ; sed propriâ. Non sic amœna veris serenitas: non purpureum nascentis Solis jubar: non meridianæ lucis claritas, neque elegantissima utriusque mundi facies splen-

Philothea.

dido ſuæ pulchritudinis ornatu perſtringit oculos, rapítque mentem, ut tu lumina mentémque meam.

Chriſtus. Tibi, ò mea Philothea, cedit columbæ candor, Phœnicis purpura, pſittaci viror, pavonis fulgor. Tu argento nitidior, auro purior, gemmis clarior, blandior es margaritis: tu aſtrorum æmula, Beatarum mentium ſodalis, Dei Sponſa: cui placuiſſe ultima eſt creatæ pulchritudinis linea, teſſera beatitatis.

Philothea Tibi ò mi Dilecte, palmam venuſtatis tribuit picta cæli regia: tuis ſe pedibus ſubſternit nivea galaxiæ ſemita, rutilantia ſtellarum agmina inclinant, lacteus perfectæ lunæ circulus, aureáque Solis quadriga ſervit. Tu Beatis cæli civibus formoſior, Angelis illuſtrior, Principatibus auguſtior, Thronis nitidior, clarior Seraphinis, Paternæ ſplendor gloriæ, pulcherrima æternitas, æterna pulchritudo: quæ dum placet, pulchrum facit, & beatum.

At quò me amor tui, Dilecte mi, abripuit? egóne tecum laudando certem? Et vincere, & vinci neceſſe eſt. Dum ego te laudo, vinco argumenti copiâ; verborum inopiâ ſuccumbo: dum tu me laudibus exornas, ſuccumbis materiæ ſiccitate; at encomiaſtæ dignitate gloriâque triumphas. Quidquid in me laudaveris, te ipſum laudas; quia tuum eſt, ſi quid mihi laude dignum vel pulchrum eſt.

§. XIII.

Humanæ pulchritudo animæ non eſt ſemper ſine nigredine.

SVnt certè, qui me non ſine ſupercilio *conſiderent*, *quòd fuſca ſim.* Ego plus illis concedo: etiam *nigra ſum*, ajo; quia nigra fuit, ex quâ originem traxi mater. Sive enim Evam (matrémne dicam, an novercam ambigo:) quæ me mundo genuit, ſpecto, heu densâ nimium fuligine ex orci fumariis fœdum in modum ipſamet infecta, non parùm nigredinis infauſtæ proli impreſſit! Sive Eccleſiam, veram viven-

ventium Parentem, quæ cælo me peperit, contemplor; & ipsa tot exercita malis, tantis jactata periculis, in arena, in pulvere, in acie, á Fidei hostibus oppugnata tormentis, cruore aspersa, opprobriis denigrata fuit; quia tamen formosa mansit, me quoque non deformem, sed *nigram* felici partu effudit.

Adhæc tamen, non diffiteor, ipsa ego, tametsi sacro abluta fonte nigrorem posui; paullò tamen pòst inter atros mundi carbonarios aliquanto tempore versata, in terrenæ voluptatis amorísque fuliginosa Lipara, malam mihi fortunam improvidè cudendo, plurimùm nigricare denuò cæpi, atque necdum lacrymis atrorem satis extersi; sed quod eluam, semper invenio. Atque, ut cætera desint, quantumcumque candoris mihi est, tuo, Dilecte, dono: id omne præ tui candoris puritate, veluti nox ad diem, ad nives sepia, umbra ad Solem utique nigrescit?

Tametsi ergo humanæ gentis fato *nigra* sum; sum tamen & *formosa* singulari Numinis beneficio: *nigra*, quia de tellure genita; sed *formosa*, quia cælo renata: *nigra* quidem mortali origine; sed *formosa* immortali divinitatis imagine: nigellam facit natura, speciosam gratia: fuscam labor atque egestas; at cæli favor dotésque oppidò venustam. Solatio mihi est, quòd non omne id, quod nigricat, mox etiam vilescit. Est suus ebeno honos, marmori laus, uvæ pretium, etsi nigricant. Non dedecorat nigredo, nec ornat, sed radix & causa fusci coloris vel pretium parit, vel contemptum. Feliciter *nigra* est, quam pœnitudo erratorum, malorum tolerantia, pius de Servatoris nece luctus nigredine infuscat: quia sat *formosa*, quam sincera pietas, invicta virtus, atque ardens charitas Dilecti moribus informat. Sic nigricare non inglorium mihi duco. Sed est adhuc, quod meam honestat nigredinem. Dicite: si quis vultũ diutius propiúsque fulgentibus æstivi Solis radiis exponat, an non uritur? nónne decolora-

Est & suæ nigredini laus.

coloratur? Sic & mihi accidiſſe credite. *Fuſca ſum*; ſed ita meus aduſſit, atque *decoloravit me Sol.* Scis, Dilecte, quem velim. Sat itaque *formoſa* ſum, quantumvis *nigra*: placet iſte mihi color, quia tibi ſic etiam decolorata placeo. Tuæ eſt clementiæ facinus, amare *nigram*; potentiæ tuæ, *candidam* facere *& rubicundam.*

Chriſtus. PEte à me quod vis; & dabo tibi. *Marc. 6. v. 22.* quoniam inveniſti gratiam coram me. *Judith. 12. v. 17.*

EXEGESIS.

§. XIV.

Deo placere velle, magna eſt ſapientia. Hominibus placere velle, ſtultitia.

LAudo tuum placendi mihi ſtudium, Philothea: magnum ſapientiæ Chriſtianæ argumentum. Placere volunt omnes, nemo poteſt omnibus: plurimum ergo refert, cui diſpliceas placeáſve, diſpicere. Primus hominum Parens, ut conjugi placeret, vetitum guſtavit pomum; at quàm perniciosè? nónne Paradiſo excidit? Samſon, ne ſuæ diſpliceret Dalilæ, caput illi ſuum permiſit; ſed quàm infeliciter? annon robur ſimul prodidit, vitámque perdidit? Heli, ne moroſus Filiis haberetur, juſto fuit indulgentior; verùm quàm triſti eventu? annon Filii gladio in caſtris, ipſe domi ſupino lapſu interiit? Achitophel, ut gratiam Abſalonis captaret, crudele conſilium contra jus fáſque dedit; atenim quo ſuo emolumento? nónne deſpectus à Rege, ſuimet carnifex ipſe ſibi gulam fregit? Iezabel, ut mortalium in ſe oculos converteret, ſtibio vultum pinxit; at quâ mercede? nónne equorum ungulis protrita canibus in prædam ceſſit? Sic ſcilicet, *qui hominibus placent, confuſi ſunt;* *Pſ. 52. v. 6.*

quo-

quoniam Deus sprevit eos. Quid aliud ab homine, cujus favor inanis, voluntas mutabilis, vires fluxæ, vita brevis, sperari queat, quàm confusio, clades, interitus?

Sapis ergo Philothea, quòd meam immortalis Sponsi, omnipotentis Domini, clementissimi Patris, Regis in cælo terráque maximi amorem, *gratiámque* tantopere ambis, támque studiosè quæris. Ne dubita: *invenisti.* Vis gratiæ inventæ pignus, atque illustre, quo sis apud me loco, documentum? En, inexhaustum clementiæ, potentiæque thesaurum tibi pando. *Pete quod vis, & dabo tibi.* quid amplius expectas? *Pete; dabo:* nihil enim petes, quod mihi non sit honorificum dare; tibi accipere fructuosum. Quod vis, volo: quia non vis, quod ego nolim. Non dico cum Herode, *si dimidium Regni mei petieris*; sed totum adeò *Regnum*, ídque sidereum, gloriosum, *æternum, dabo.* Si cum Jacobo petieris *benedictionem*, *dabo* amplissimam: si cum Davide *spiritum rectum*, dabo *sanctum* & *principalem*: si cum Salomone *sapientiam*, *dabo* cumulatissimam & cælestem: si cum Esthera *animam* tuam, *dabo* & meam. Non ignoras, quis dixerit: *Petite & accipietis*: & jam multò antè per os Davidis suam animæ charæ fidem obligaverit: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Viden' quantam *inveneris gratiam coram me*? Invenisti omnia, dum meam *invenisti gratiam*: quod lubet petes; ego, quod petieris, dabo.

Qui Deo placere studet, omnia quæ vult, impetrat.

Marc. 6. v. 23.
Gen. 32. v. 26.
Ps. 50. v. 12. 13. 14.
3. Reg. 3. v. 11.
Esth. 7. v.
Ioan. 16. v. 24.
Ps. 36. v. 4.

Philothea. VEni Dilecte mi: egrediamur in agrum, commoremur in villis. Manè ſurgamus ad vineas: videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica. *Cant. 7. v. 12.* omnia poma nova & vetera, Dilecte mi, ſervavi tibi. *v. 13.*

EXEGESIS.

§. XV.

Sponſa Christi amat ſolitudinem.

Quam & Sponſus amat.

Oſea. 2. v. 14

Deut. 1. v. 31

QVando ergo tua mihi clementia, mi JESV, tam liberaliter ſe totam effundere parata, quidquid velim petendi facit optionem, id volo, quod te vel maximè velle perſuaſum habeo. Te peto, te da, & ſufficit; quia tecum dabis omnia. Sine te cupio nihil; te ſolum ſine omnibus: dabis, ſi perfectam dederis charitatem: At iſta non amat turbas: ſeceſſum quærit. Vt ergo tutiùs divinis tui amoris ignibus cor animúmque explicare queam, ſolitudinem deſidero. Da obſecro, ut ſola ſoli vivam: procul ſcilicet omnibus, quæ amorem tui obturbant. Sim ſola, ſed tu mecum, ego tecum. Nónne ad mentem tuam? nónne ſemper & tibi odioſus fuit mundi tumultus; chara verò ſolitudinis quies? nónne ſolus cum ſolâ morari animâ gaudes? nónne tua ſunt apud Vatem promiſſa Sponſæ olim facta? *Ecce, ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*: nónne in ſolitudine dediſti Hebræis legem charitatis igneam? in ſolitudine dulcorâſti aquas, de cælo manna pluiſti, tabernaculum tuum fixiſti? in ſolitudine per columnam nubis & ignis ductor tuo fuiſti populo, eúmque *portâſti, ut ſolet homo portare parvulum Filium ſuum*? Scio, mi Do-

Domine, tibi quoque familiarem fuisse morem, ut *ascenderes in montem solus orare*: Nimirum solitudo procul arcet interpellatores, curas ablegat, turbas proscribit, luxum nescit, incîdit mundi laqueos. Solitudo parit quietem, serenat animum, pascit mentem, sensus domat, orationes inflammat, mysteria revelat: Solitudo cælum pandit, Angelos facit familiares, Deum habet magistrum, pro libro mundum, Dei providentiam pro ærario, pro præsidio præsentiam, pro gubernaculo voluntatem. Denique solitudo piis mentibus est peccatorum balneum, virtutum palæstra, sanctitatis schola, meritorum palmarúmque mercatus, mundi ludibrium, cæli contubernium, odiosa orco cavea, secretum sancti amoris conclave.

Matth. 14. v. 23.

Solitudinis utilitas

Probè hoc nôrat jam dudum Isaacus, *egressus* foras *ad meditandum in agro*. Nec ignoravit hoc Rex ad cor Dei factus, qui diu frustra luctatus cum mundi laqueis suspiravit: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Tandem Deo juvante extricatus, honestissimam sæculi fugam ingenuè fateri non erubuit. Ecce! *elongavi fugiens, & mansi in solitudine*. Hoc experti fatentur tot eremi incolæ, Paulus, Antonius, Paphnutius, Macarius, Onuphrius, ac mille Anachoretarum agmina: quibus horrida Ægypti tesqua, montes, antra, pro Paradiso fuerunt. Hoc hodiéque sibi gratulantur passim toto, quâ fidei Christianæ patet, orbe innumera virorum, feminarúmque dispersa claustra, gaudéntque cælestem in terris vivendi rationem se invenisse: terram in terra nescire, in mundo extra mundum esse, corpore terram tangere, mente cælos penetrare: omnia nihil, Deum sibi esse omnia: numquam se minùs solos, quàm cùm soli: quibus nempe adest Deus; nisi essent soli, non adfuturus.

Solitudinis amatores Sancti.

Gen. 24. v. 63.

Psal. 54. v. 7. & 8.

Si ergo tibi, *Dilecte mi*, mea non displicet supplicatio, *Veni* mecum: secedamus à turba, quæramus opportunum

Sed sanctæ solitudinis

quieti locum, eamus in ſolitudinem : non illam ruſticam myſanthroporum latebram, neque illum otii amantem, fugitantémque laboris ſeceſſum, ſegnitiæ & vitiorum cubile; ſed in ſuaviſſimam Beatorum ſolitudinem, negotioſam ſapientiæ officinam, ſecurum liberúmque pietatis perfugium: non tam corporis, quàm animi ſejunctione nobis adeundum.

§. XVI.

Sæculi tumultus.

EGrediamur ex urbium frequentia *in agrum*: ex populi foríque ſtrepitu ad villarum camporúmque ſilentia. Vides quot jurgiis, cachinnis ſibiliſque forum perſtrepat? quà concurſatione hominum ferarúmque compita, viæ, plateæque ferveant? quo malleorum tinnitu, quo ſecurium fragore, ſerratúmque ſtridore officinæ reſonent? Hîc tormenta tonant; illic æris campani metalla reboant. Hîc multo cum ploratu efferuntur mortui; illic feſtivis gaudiis celebrantur nuptiæ. Iam triſtibus fama nunciis percellit: jam curioſis lætiſque aures atque oculos paſcendo, à ſeriis divinarum rerum ſtudiis avocat: Modò amici ſodaliúmque greges tempus ſuffurantur; modò publicæ privatæque rei procuratio totos dies, menſes atque annos, maximam vitæ partem ſibi vendicant.

Exempla peſſima.

Vides, ô *mi Dilecte*, contentiones, perjuria fraudéſque in tabernis? luxum, crapulam rixáſque in popinis? faſtum, livorem, ſimulationes in aulis? in curiis nundinationes? in ſcholis inanem plauſum? corruptelas licentiámque in theatris? Vbique viſcoſos avaritia caſſes explicat, laqueos voluptas, atque ambitio tendunt: paſſim crudelitas ſævit, dominatur protervia: jacet religio, impietas caput erigit; jus fáſque exulant; cædes, rapinæ, calumniæ tyrannidem exercent. Quàm rarus eſt, quem non hamatæ divitiarum ſpinæ eò graviùs, quò blandiùs vulnerent? aut venenatum ſordidæ vo-

dæ voluptatis poculum, dum inebriat, non dementet? vel certè mordax evanidæ gloriolæ fumus dum inficit, non excæcet, adurat ac tandem suffocet?

Nónne ergo mundum his moribus imbutum, rectè dixerim stultorum ergastulum, reorum catastam? incurabilium nosocomium, mimorum theatrum? pugilum arenam, ferarum caveam? nequitiæ scholam, vitiorum sentinam? Quæ omnia, cùm mecum seriò perpendo, *exire de Ægypto* gestio, *de medio Babylonis fugere* festino, horreo *servitutis domum*: in votis habeo procul esse mundo, eò propior futura Deo.

Exod. 12. v. 40. *Ier. 51. v. 6.* *Exod. 13. v. 3.*

§. XVII.

Ager Christo amœnissimus est Ecclesia.

VEni itaque, *egrediamur* simul; secedamus *in agrum*, lustremus Ecclesiam, in cujus frugifero solo *seminâsti* cæleste verbi divini *semen*: In hac, velut *in agro* contempto *absconditus* latet gratiæ *Thesaurus*: in hac, vitæ sanctimonia usque ad sidera, *sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*, jucundissimè fragrat: in hac, dulcedinis supernæ abundantia, *sicut in saltu, mel super faciem agri* diffunditur: in hac tot millia robustorum fidei Heroum in hanc usque diem *steterunt*, tamquam *in medio agri*, & contra barbaros Hæresis & Idolomaniæ Philisthæos *defenderunt eum*, atque etiamnum laureati, suóque purpurati sanguine, fortissimè propugnant.

Matth. 13. v. 24. v. 44. *Gen. 27. v. 27.* *1. Reg. 14. v. 25.* *1. Paral. 11. v. 14.*

Quæ illius opes.

Est in hoc agro *frumentum electorum, bonum & pulchrum*: sunt justi, quos invicta rerum adversarum tolerantia reddit, ut *palma*, floridos: sunt mansueti, quos placidi mores & clementia facit, *ut oliva fructifera*, blandos ac beneficos: sunt qui *quasi terebinthus extendunt ramos suos*, ut egenos vagosque suâ recreent umbrâ, & protegant: sunt qui *quasi cypressus in altitudinem*, contemplando cælestia *se extollunt*. Sunt qui *quasi cedri prope aquas*, integritate mentis & corporis incorrupti perennant.

Zach. 9. v. 17. *Ps. 91. v. 13* *Ps. 51. v. 10.* *Eccl. 24. v. 22.* *Eccl. 50. v. 11.* *Num. 24. v. 6.*

Iof.15.v.19 Habet enim hic ager *irriguum superius & inferius* : de cælo fecundum gratiæ rorem, de petra melleos consolationis fontes, salutiferos mysteriorum rivos, placidos divini verbi imbres. Vbique patent *fontes in ablutionem peccatoris*, occurrunt putei, doctrinæ salutiferæ, quos meritò vocaverim, *Viventis & videntis me* : passim præcipites ruunt *aurei* meritorum *torrentes*, tranquillissimi optatæ *pacis fluvii*.

Zach. 13. v. 1. *Gen. 16. v. 14.* *Iob. 12, v. 24.* *Isa. 66. v. 12.*

Videtur equidem hic tuus, mi Dilecte, ager delicatulis tumidísque perversi mundi thrasonibus rus olére: nihil habere urbanitatis, laboris plurimum, generosis esse indignus animis, ut in eo lubeat rusticari. At non est ille tam vilis æterno Patri, ut ejus dedignetur esse dicíque *agricola*, vocétque bene subactas fidelium mentes, charam nimiúmque pretiosam sibi *agriculturam*. Ego certè hunc agrum rectiùs *terram melle & lacte manantem* dixerim: nec à vero latum unguem discessero, si *paradisum Dei*, si *regionem desiderabilem*, si deníque cælum terrenum appellare audeam.

Io. 15. v. 1. *1. Cor. 3 v. 9* *Ezech. 31. v. 8.* *Isa. 62. v. 12*

Religiones, villæ.

O quàm amœnas in hoc agro *villas* est reperire? quàm fertiles floridásque *vineas* ? Quot scilicet sacrorum hominum utriusque sexûs asceteria numero: tot censeo villas regiis quibusque urbibus anteferendas. Hîc quidem arma nulla, nullæ opes, sceptra facésque nulli; est tamen paupertas pro muro, sunt leges pro sepimento, pro armamentario religiosa vitæ disciplina. Hîc magistratus sine fastu, subjectio sine violentia, concors sine turbis vita; quia scilicet imperantis modestia clavum tenet, subjectos obedientia manu ducit, omnibus charitas pro anima est. Hîc vestitus æqualis: ut minimè mollis, ita nec sordidus, ut decet prudentes: victus non quidem lautus; sed neque præparcus, ut sobriis cónvenit: mores compositi, non tamen aulici; sed nec agrestes, ut par est habere bene moratos Dei Filios. Hîc denique aura perquam pura, divinis Spiritûs sancti favoniis blandè aspirantibus: hîc liberrimus cæli aspectus cælestiúm-

Mirè felices.

que

que rerum contemplatio: hîc labor jucundus, lætáque divinarum laudum modulatio: hîc alta quies, securitas magna, ampla æternorum bonorum seges, spes firma beatitatis.

Sodalitates, vineæ.

Quot denique sunt cœtus fraterno congregati amore: quot studio pietatis incensæ familiæ: quot sub tuo tuæque Matris ac Divorum patrocinio sodalitates toto censentur orbe; tot passim *vineæ* floribus vernantes, fructibus fecundæ, Cælitúmque dignæ oculis spectantur.

His itaque *commoremur* Religionum *in villis: manè surgamus ad has* Sodalitiorum *vineas*: inspiciamus, non cursim, sed diutulè varietatem, culturam, ordinem: perlustremus flores, fructus, ubertatem. O quæ se nobis offeret ingens eorum multitudo, qui depositâ vitæ prioris senectâ *sicut modò geniti infantes* ab ingressu haustam, velut à baptismate acceptam tuentur innocentiam? qui piâ in seipsos severitate longis cruciatibus Martyrum æmulantur fortitudinem? qui plusquam heroica animi magnitudine infelices mundi laqueos uno ictu truncando de indomitâ honorum, auri, carnísque tyrannide triumphant? ô quantus eorum occurret numerus, qui in amplissimas dignitates, spes opésque nati, maluerunt *in his villis* inopes latére, quàm inter delicias opulenti splendescere? qui fasces & sceptra, aulas & regna, purpuras & diademata cum rudi tunica atque etiam ligone commutârunt? quíque flagrantissimo virtutum studio ad eximiæ sanctitatis culmen evecti, prodigiosis facinoribus inter homines Cælitésque inclaruerunt? qui doctrinâ, sapientiâ, integritate admitras summósque Ecclesiæ magistratus, quamvis obnixè repugnantes, pertrahi promeruerunt.

Religiosorum Ordinum décora.

1. *Pet.* 2, v. 2.

O quàm jucundum nobis erit, mi dulcissime Dilecte, commorari *in* his *villis*! versari inter tot terrestres Angelos, qui in corpore supra corpus degunt, Dei contemplatione Beati: quàm gratum erit, tot cernere Patriarchas, quos longæ Filiorum nepotúmque sanctissimorum catervæ, per

spiri-

ſpiritum Deo genitæ, ſuo quæque veſtitu, geſtu, moribúſque diſtinctæ proſequuntur? quàm acceptum, tot numerareVates, abſentium futurarúmque rerum præſagitione claros! tot ſpectare Apoſtolico fervore inflammatos, novarum gentium, terrarúmque phoſphoros, fidei præcones; tot generoſi Sanguinis vitǽque ſuæ pro Chriſto prodigos heroas! tot illibatæ Virginitatis cuſtodes, teneras puellas, tibi immaculato Sponſo nuptas! Hîc ergo, niſi aliud imperas, moram aliquamdiu facere: hîc virtutum *flores*, meritorum *fructus*, votorúmque *mala punica* diligenter inſpicere mens eſt: cum iſtis cæleſtia meditari, divinos volutare codices: ſacram verſare hiſtoriam, pulcherrima Divorum exempla perluſtrare, diurnas nocturnáſque Deo cantare laudes vehementer deſidero; ut inde tu gloriam ac voluptatem haurias; ego velut apicula mel colligam, aliorum meritis diteſcam, uberiora gratiæ dona conſequar, ampliore Dei providentiâ fruar, magnæ Cælitum Reginæ præſidio firmiùs communita, tibíque JESV Sponſe mi, arctiùs perennibus obſtricta vinculis, firmiùs adhæreſcam.

§. XVIII.

Anima quoque, charus eſt ager Chriſto.

AVt, ſi mavis, eſt & mihi modicus in quem *egrediamur* fundus, à te fidei meæ commiſſus: ſi non *ager*, ſaltem agellus; non quidem ſatis undique cultus & ſubactus: animum intelligo meum, oſſeâ luteáque carnis macerie circumſeptum. Habet & ille ſuas *villas*: tres ſcilicet præcipuas reminiſcendi, intelligendi, volendíque aut nolendi facultates: habet quoque vineas, quas vel natura, vel gratia aut denique induſtria plantavit, virtutum habituúmque arbuſtis nobiles. Quæſo te igitur, iſtum etiam luſtremus ſive agrum ſive agellum: Operæ facturi pretium ſumus, ſi *in his* aliquamdiu *villis* degamus: ſi *vineas* ſummo *manè* obeamus,

ſi

si *flores, fructus, poma* sedulò consideremus. Ad quid enim *vinea* mentis; si non *floreat* sanctis desideriis? quid verò quantumvis florida animi decreta, fervida proposita, pulchræ cogitationes juvant; si tam belli *flores*, maturos operum *fructus* non *parturiant*? quid spei dabit ver adolescentiæ, de frugifero senectæ auctumno; si *mala punica* fidei, spei, charitatísque non efflorescant.

At quàm facilè silvescit *ager* animi, nisi assiduum solertémque coloni curam frequens heri oculus exacuat? quàm callidè in *villas* irrepunt incendiarii, fures, latrones, aliæque pestes, ni sedula Prætoris excubet vigilantia? quàm citò *vulpes parvulæ demoliuntur vineas*, nisi indefessi custodis sagax investigatio omnes occludat aditus, cubilia lustret, captas illiso fuste trucidet? quàm celeriter vites nimio prosperorum affluxu luxuriant? adversis ceu tempestate flagellantur? humilitatis destitutæ fimo sterilescunt? Quoties per jactantiam præmaturè deiiciuntur vix nati *flores*? per invidiam pereunt caduci *fructus*? per socordiam pulcherrima quæque *mala punica* marcescunt? atque ita tota *vineæ* gloria, *villarum* gaudium, *agríque* fertilitas sensim evanescit?

Diligenter excolendus. *Cant.* 2. *v.* 15.

Gratissimus ergo tibi, mihi utilissimus erit hic secessus: quem te auctore suis Divus Ignatius alumnis annuum esse voluit; aliis semel iterúmve saltem quærendum suasit: quo orbis Christiani emolumento, tu nôsti, res loquitur, summi infimíque suâ docti experientiâ testantur. Te scilicet hortatore, te duce, dum mundi negotiis se subducunt; *egrediuntur in agrum*: dum angusto se cubiculo per ipsos octo, decem, pluresve dies continent; *commorantur in villis*: dum diurnas nocturnásque partim horas orando, commentando, legendo, ac suspirando transigunt; *manè surgunt ad vineas*: dum prioris vitæ qualescumque noxas, jejuniis, flagellis, hispidóque cinctu castigant; profectò sarculo & falce vitem putant, strenuéque terram exercent: dum suam singuli naturam

Ascesi etiam Ignatiana.

confiderant, ut emendent; passiones, ut frangant; habitus vitiosos, ut evellant; dæmonis insidias investigant, ut evitent; pericula detegunt, ut caveant: dum vocationis gratiam, quâ cælo vivunt; beneficiorum divinorum multitudinem, quâ velut dulci pluvia fecundantur; cælestia lumina flammásque, per quas foventur, secum ponderant, simúlque expendunt, quid quantúmque ad Dei gloriam, animarum salutem, propriámque perfectionem bene gesserint, dixerint, cogitaverint: quid verò secus; quæ desideria sectentur, quos fines præfixos habeant, quos in omni virtute progressus fecerint, quósve adhibuerint conatus; quomodo sacrarum legum vireat observantia: an exactissima votis Deo nuncupatis constet integritas: quæ in officiis vigeat sedulitas, in sacris mysteriis religio, in precibus solicitudo: quis charitatis ardor, modestiæ decor, pacis fraternæ cultus, crucis pro Deo ferendæ amor: quàm longè sint à terra, quàm propè Deo; quantùm in sanctitate & justitia excreverint, sive, quod absit, defecerint: tam accuratâ sui discussione idem sanè faciunt, quod illi qui vident, *si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.*

Non est hoc animi causâ rus ire; sed cum Moyse ad interiora deserti Madian, *ad rubum* ardentem depositis calceamentis accedere, calorem lucémque haurire: aut cum eodem *in montem Sinai fumantem* ascendere, ibíque vivendi normam, judicia, leges, ritus, formámque tabernaculi Deo parandi accipere. Non est hoc otiosè tempus perdere; sed (si rusticatio displicet) obtusa longo usu arma polire: obscuratum alicubi aurum recoquere: attritas instaurare vires: morbos vel antidotis cavere, vel pharmacis depellere: novam in menses plurimos annonam suppellectilémque comparare: atque sic ad pristinos labores ac prælia, non tam ex agro, quàm ex armamentario, officina, fornace, pharmacopolio, nundinísque feliciter prodire.

Exod. 3. v. 1. & seq.
Exod. 19. v. 3. & seq.

Ego

Ego rusticula, aliarum ignara artium, aliud non possum, quàm vites, arbores, terrámque colere, segetes falce prosternere, uvas legere, *poma* carpere: satísque mihi erit, si ex agello meo *flores*, *fructus*, ac *poma* tibi copiosè offerenda colligam: quæ *omnia*, tam *nova* gratiæ, conversionis atque amoris; quàm *vetera* naturæ, prioris vitæ ac timoris opera: totam adeò qualemcumque meam rusticanam opulentiam tibi, Dilecte mi, ex debito dicavi, atque ex integro fruendam in hunc usque diem *servavi*: tenue quidem apophoretum, sed ut spero non ingratum; quia ex tuo fundo, quem insuper tua plantavit dextera, tuus irrigavit sanguis, tui fecundaverunt radii: *tibi* natum, *tibi* debitum, *tibi* consecratum.

Christus.

Veni, egrediamur in agrum: placet postulatio, laudo consilium, amo hanc solitudinem. I, comes ero: secedamus.

Hic nobis agellus præ vasta placet regia: sat magnum
tu mihi theatrum eris; ego tibi.

CHORUS

Angeli. QVæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum? *Cant. 8. v. 5.*

EXEGESIS.

NOVA ASCENSIO.

Cælitum admiratio. QVid hoc novæ rei? quod inuſitatum, jucundum tamen ſuperis ſpectaculum? quàm rara, ſed glorioſa profectio? è campo in hortum, è pulvere in umbram, è mundi procellis ad portum, è turbis in aſylum, è *deſerto* in paradiſum? è terris ad ſidera? Quomodo *aſcendit* anima, quam gravat caro, corpus deprimit, naturæ præpedit infirmitas? unde illi hoc, ut generoſo pede terrenas calcet opes, voluptates proterat, honorum culmina deſpiciendo tranſcendat? res & ſpes quas offert Mundus cum faſtidio reiiciat, præſentia dimittat, futuris inhiet? ſeipſam deſerat, Dilectum per maria terráſque, per ſpinas & ſaxa, per tela, pérque ignes anxiè quærat: ubique inclamet, ſuſpiret, atque ipſius langueat amore? Quomodo *de deſerto* prodit tam florida? *ex loco horroris* & vaſtæ ſolitudinis tam læta? ex *terra invia & inaquoſa* tantis affluens deliciis?

Deut. 32. v. 10. Pſ. 62. v. 3.

MIRA METAMORPHOSIS.

Anima ad DEUM. HÆcne illa eſt Philothea, non ita pridem Mundi delicium, carnis mancipium, Orci præda? vix extorta inferis, operoſè

operosè ad frugem revocata, ínque gratiam cum Deo reducta? tam subitò *columba*, quæ modò corvis adhærebat? tam citò *speciosa, amica, Soror, Sponsa*; quæ nuper infecta stygis fuligine, scelerum fœdata maculis amicum fidelissimum, optimum fratrem, vitæ auctorem sanctissimum infando sacrilegio neci dedit? Quomodo, quæ paullò antè *lectulum* Crucis *floridum* adeò aversata est, nunc in deliciis habet? quæ dulcissimis Christi labiis vocibúsque amaram Mundi blandientis *aloën* antetulit; nunc ex Dilecti ore tota pendet? quæ *vino pretioso & unguentis impleri* studuit; nunc Domini sui felle & aceto largiter potari cupiens, jejunas amat mensas, lautitias nauseat, lacrymis & cinere epulari gaudet? quæ *rosis coronata* in omnem fluxæ voluptatis, lætitiǽque umbram sese effundere gestiebat; modò funes & catenas, spinas & flagella, dolores pœnásque sui Servatoris, assiduè versat animo: paria pro Dilecto pati ambit: sanguinem, vitámque dare in votis habet?

conversa, à seipsâ multum diversa.

O quàm nitida nunc est mente, ne displiceat! quàm timida, ne maculam incurrat! ut sit *columba*: quàm sincera & procul hypocrisi! quàm cauta & longè à temeritate! ut sit *amica*: quàm patienter fert adversa, quàm ferventia fundit suspiria! ut sit *dilecta*: quàm acutè propriam agnoscit vilitatem! quàm promptè ad alienum se arbitrium componit! quàm denique ardenter Dilecto adhærescit? ut sit *Soror & Sponsa*. Non nascuntur hi pretiosi virtutum surculi in mundi deserto: ubi fœda grassantur monstrorum agmina, squalent inculti animorum campi, terra cælestibus gratiæ aquis destituta, stygiísque caloribus adusta hiat: ubi steriles arenæ nil nisi pestiferas vitiorum stirpes protrudunt: ubi cauteriatæ laxitas conscientiæ, legum Numinísque contemptus, dolosa mentis palliatio, stulta prævaricandi temeritas, effrænes indignationis impetus, blasphemæ in cælum voces, indomi-

Mundus, desertum.

ta dominandi libido, aliique id genus taxo nocentiores stipites in horridas silvas excrescunt.

STVPENDVS ARTIFEX.

Deus, thaumaturgus. *Ps. 76. v. 11* *2. Cor. 4. v. 6.* *Ps. 113. v. 8.*

HÆc ergo *mutatio dexteræ Excelsi* est, non humanis patrata viribus. *Qui dixit de tenebris lucem splendescere*, is olim & Magdalenam è tartari carbone lucidam cæli stellam fecit: *qui convertit petram in stagna aquarum*, is & Petri quondam oculos in lacrymarum fontes, cereum ad mulierculæ verba animum in firmissimam fidei petram, ad verbera, Crucisque pœnas invictam, desertorem in summum Ecclesiæ caput, formavit: *qui immutat cor Principum*, ut è Nabuchodonosore Numinis contemptore coronatus divinitatis præco: è Saulo Paulus, è persecutore vas electionis prodeat: ut Landelini, Mutiique, latrones sanguinarii mutentur in sanctissimos Anachoretas. Is scilicet nunc & Philotheam oculis suæ pietatis respexit, illustravit radio, instinctu vocavit, excitavit exemplo, roboravit auxilio, solatio traxit: ipse quærenti adfuit, currenti stimulos admovit, languenti suggessit vires, injecit flammas, donisque gratiæ cumulatè impensis arduum virtutis iter complanavit.

Iob. 12. v. 24. *Dan. 3. v. 95.* Vt emendationis, ita & perfectionis auctor.

2. Cor. 6. v. 1.

Quid verò illa? Quod potuit, fecit: *in vacuum gratiam Dei non recepit*; audiit vocantem, secuta est ducentem, dilexit unum, omnia contempsit: sibi suisque diffisa viribus, divinis autem auxiliis freta, à quærendo Dilecti vultu, donec inveniret, non cessavit. Quid ergo mirum, quòd semper altiùs altiùsque *ascendat*, quæ *innixa super Dilectum suum* ambulat? quòd *deliciis divinis affluens* ingrediatur, quæ terrenis gaudiis solatiisque à se abdicatis, perennem deliciarum scaturiginem invénit?

MIRÆ

MIRÆ DELICIÆ.

ADeste voluptatum pulli, carnis mancipia, inanitatum aucupes, qui ex putrescente corporis cœno delicias quæritis, in salso mundi pelago mellita gaudia captatis, fugaces in obscura noctis caligine prensatis umbras: adeste & veras animi delicias à Philothea nôsse, venaríque discite. *Deliciis affluit:* at quibus? Mentem inspicite. Quid cernitis? Nónne claram veritatis lucem in intellectu? illustrem fidei facem, notitiam de cælo infusam, veram *Sanctorum scientiam*? quâ magnam divinarum rerum excellentiam, humanarum vilitatem ponderat, ex immenso increati luminis oceano, quantum capit, haurit? an aliquid jucundius esse queat? Quid in voluntate spectatis? nónne castissimum summi boni amorem? laudatissima Deo placendi desideria? amplissimam æternæ gloriæ spem? suavissimam veræ felicitatis possessionem modò inchoatam? an optabilius quidquam cogitari potest? Quid in memoriâ legitis? nónne liquidissimam ex divinarum perfectionum recordatione voluptatem? ex cælestium beneficiorum repetitione lætitiam? ex impressâ dulcissimi Dilecti imagine jucunditatem? an quid melius desiderare, aut fingere sibi mens humana valet?

Veræ deliciæ in mente, ex Deo, de cælo.

Sap. 10. v. 10.

Quales arbitramini *delicias* in Philotheæ pectus confluere ex miranda Numinis, quam mente intuetur, pulchritudine? quæ gaudia ex divini susurri, quem animo haurit, melodiâ? quam dulcedinem ex solatiorum perennium, quæ largiter degustat, melle & ambrosia? quam fragrantiam ex virtutum pulcherrimarum, quas colligit, aromatibus, myrrhâ balsamóque? Quid vestræ deliciæ ad has felicis animæ voluptates? quid vestræ epulæ ad *secura mentis convivium*? quid vestrarum pompa vestium, ad *deauratum* gratiæ *vestitum*? quid auri gemmarúmque copia ad *non deficientem* meritorum Christi *thesaurum*? Omnium deliciarum summa est amare

Proverb. 15. v. 15. Luc. 12. v. 33. Col. 2. v 3

1\. Ioan. 16. v. 24. & 22. amare Deum, à Deo amari: hoc enimverò est *gaudium plenum*, quod *nemo tollit* nisi volenti; Nihil velle, in Dilecto Isa. 12. v. 3. omnia habere, hoc est, *haurire aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*: fide & gratia, spe & fiducia, dilectione totáque Iob. 22. v. 26. animâ *inniti super Dilectum*, hoc sanè Dilectam Christo Sponsam facit *super Omnipotente deliciis affluere*: gaudiorum pelago perfundi, inque ipsam ingredi beatitatem.

ADMIRABILE FVLCRVM.

Dilectus, fidum animæ sustentaculum.

EVge: Philothea! secura stabis, quamdiu hoc fueris innixa fulcro: quæ magnam mundi machînam sustentat basis, illa te firmam stabilémque reddit: feliciter ascendes, Deut. 5. v. 15. quamdiu hâc *manu forti & brachio extenso* fulcieris: Nemo regum nobiliorem umquam habuit scipionem, fideliorem Apoc. 3. v. 11. nemo ductorem, nulla tam præclarum Sponsa paranymphũ. Tantùm stringe fortiter, firmiter inhære: *tene quod habes, ut* Isa. 51. v. 3. *nemo tollat coronam tuam*. De te tuíque similibus quondam Vates cecinit: *Consolabitur Deus Sion, & ponet desertum ejus, quasi delicias. Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Quisquis autem è Babylonis calice profanas Apoc. 18. v. 7. haurit delicias, quondam infelix audiet: *quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

Tu verò Philothea, agnosce Numinis clementiam, adora mirabilem Dei charitatem: non te jam provinciarum Rex, Esth. 15. v. 11. sed cæli terræque moderator *sustentat ulnis suis*: non beatus è cælo Genius te portat, sed qui *portat omnia verbo virtutis suæ*: Heb. 1. v. 3. Ps. 36. v. 24. *Dominus supponit manum suam.* Viden', quàm gloriosum sit ascendere, quàm necessarium accedere, quàm utile apprehendere IESVM? quàm jucundum adhærere, atque inniti Deo? Quid tandem erit summo uniri immergíque bono? in illud, quoad creatæ menti fas est, penitus transformari, unum idémque participando fieri? nónne beatitas ipsis meritò Angelis obstupescenda?

PARS IV.

AMOR DEI IN ANIMAM VIRTVTIBVS EXCVLTAM.

SIVE

CRVCIFIXAM,

DILECTO CONFORMATAM.

SCENA I.

Philothea INdica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie: ne vagari incipiam poſt greges Sodalium tuorum. *Cant.* 1. *v.* 6.

EXEGESIS.

§. I.

Redeundum è ſeceſſu, ad labores.

ERgo linquenda rurſum eſt chara ſolitudo? dulciſſima quies? ſacrum illud otium, quo ad tuos ſedendo pedes, mi JESV, divinis ſapientiæ gratiæque rivulis irriganda, totum animi ſinum tibi explicabam? prodeundum ergo iterum in hujus mundi theatrum, ut vel ridiculas mimorum comœdias, vel cruenta pugilum certamina, tragicóſque ſpectem aliorum caſus? & meam ego quoque perſonam, *Columbæ* ſcilicet Deo *Dilectæ, Sororis & Sponſæ*, Superis ſpectatoribus aptè decentérque ſuſtineam? O quàm mihi bene beatéque tecum fuit, ò Dilecte! Tu unus pro mille mihi mundis eras. In te habebam cælum, Solem, ſidera: in te lucem, virtutem, gloriam: in te ſapientiam, opes, gaudia. Jam mundi oblita in cæli veſtibulo ſedebam, & quidquid eſt creatæ rei faſtidiens ſoli inhiabam Conditori: illius guſtu ex æquo ſatura & famelica: ebria & ſiticuloſa. Quia verò non tam cordi mihi eſt meum ex jucundiſſima quiete ſolatium, quàm major ex labore meo nominis tui honor & gloria; prodibo in ſcenam, & ſi vis, etiam

Deſerenda ſolitudinis dulcedo.

tiam in arenam atque aciem ; sed non nisi tecum, tuóque ductu sive in campum, sive in forum itura. Quam corpore relinquo solitudinem, tenebo mente ; omnia in te, te in omnibus spectare certa : Sic in quibuscumque turbis sola ero : quidquid enim Deus non est, nihil est.

§. II.

Non sine periculo, si sine Deo.

NOn nescio tamen, mi Dilecte, quanta meæ sit mentis instabilitas : quanta seu blandientis, seu sævientis mundi violentia : quot laquei, præcipitia, fossæ : quot insidiæ, hostes & monstra. Jam magno meo experta damno novi, *quoniam dies mali sunt*, quos Mundus, Caro, Orcus sibi vendicant : quorum auroram superbia, diem gula, meridiem luxuria, vesperam avaritia incestat : quos suggestio manè turbat, interdiu raptat impetus, meridie concupiscentia inflammat. Scio quàm sit infensum bonis animis, quàm audax, quàm crudele *dæmonium* illud *meridianum*, adeóque quàm facilè tot impugnata machinis Sororis Sponsǽque charitas labefactari possit ; ut, quæ antè firmiter tibi adhærebat anima, quantùm agglutinatur terræ, tantùm à te, dum nescit, avellatur. Itaque non sum sine metu. Quis pugnat & non quandoque plagam accipit ? quis per lutosas ambulat vias, & non tandem aspergitur ? Quid igne violentius ? & tamen dum aquæ certat, vires sibi sentit infringi : & nisi pabulo instauratus magis magisque crescere laboret, denique evanescit. Quid ergo me fiet ? quæ vix tenuem Sancti amoris flammulam concepi ; nisi ad te, qui totus es ignis, me totam, quantùm per te licebit, applicem ? nisi semper arctiùs me tibi ardentissimæ charitatis amplexibus innectam ? nisi tota tibi penitissimè, ut cera ceræ, ignis igni perfectè intiméque uniar ? nisi magis ac magis, ut aquæ spongia, tibi immergar ? ut ferrum ab igne rubens, in te transformer ? imò, quod

Ephes. 5. v. 16.

Ps. 90. v. 6.

1. Cor. 6. v. 17. pace tuâ dixerim, *unus tecum* idémque *spiritus* efficiar?

Adhæc non me fugit, Dilecte mi, quòd nonnumquam charissimas quoque tibi animas, arcano tuæ sapientiæ consilio, veluti deserendo examines: serenissimos tui vultûs radios illis subducas, dulcedinem neges, ardorémque subtrahas. Quod si contingat mihi, quò me vertam? ubi te inveniam? quid agam? quomodo te flectam? quâ arte efficiam, ut etiam sic affecta tibi placeam? in amore crescam? & licèt talibus oppressa tenebris, *in lumine* tamen *vultûs tui ambulem*? & *diem, quam fecit Dominus* semper aspiciam? Tua enim dies, est verè *dies salutis*, quam quærit fidelis anima: *dies virtutis*, quâ roboratur ad pugnam: *dies victoriæ*, quâ de hostibus triumphat: *dies lætitiæ cordis*, quâ cælestes degustat voluptates. Hujus tuæ diei auroram viderunt Patriarchæ, Vatésque legis antiquæ: plenam diem spectavêre novæ legis Duodecemviri, & *gavisi sunt*.

Ps. 88. v. 16
Ps. 117. v 24
Vbi Deus, ibi securitas, dies clara.
2. Cor. 6. v. 2.

Jam equidem & ego in aurora nascentis diei, quam mihi naturæ lux aperuit, te quærere, atque in rebus omnibus latitantem invenire didici: jam quoque in clara diei crescentis luce, quam gratia fidésque attulit, te solem meum, vitæ suæ *viam* gigantis instar à *summo cælo, ad summum eius currentem* investigare, ex pulcherrimis dictis factísque deprehendere, gressúque licet impari saltem eminus sequi, utcumque docta sum. *Concaluit* etiam in hâc tua aurora *cor meum intra me*: insuper hoc manè tuo ad plenam lucis copiam *in meditatione mea exarsit ignis*: atque æstuare cœpit anima mea. Non tamen hæc antemeridiana charitatis flamma mihi sufficit: *Meridiem* tuam suspiro, perfectam expecto diem: incendia charitatis desidero: Sanctissimis amoris tui radiis uri, excoqui, liquefieri, consumi exopto. Sic, sic, mi Dilecte, quantumcumque efferuescat *dies afflictionis, & calamitatis*, strideant voléntque *ignea tela nequissimi*,

Ps. 109. v. 3
Iud. 16. v. 31. Cant. 3. v. 11.
Io. 8. v. 56.
Ps. 18. v. 7.
Ps. 38. v. 4.
Iob 30. v. 16
Soph. 1. v. 15.

mi: non *timebo à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano; quia tu ſcapulis tuis obumbrabis* mihi: *& in tuis* ego *pennis ſperabo*; nemo à te ſeparabit. Sic hoſtiles quaſcumque acies ſecura penetrabo: ſic denique veram tibi Sororem, fidámque me Sponſam exhibebo.

Epheſ. 6. v. 16.
Pſ. 90. v. 6.

§. III.

SVpplicibus ergo votis hoc unum te obſecro: *indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie*: Non quæro, ubi degas jam glorioſus; id modò magiſtra fide ſat ſcio: nimirum in *ſplendoribus Sanctorum*, in auge gloriæ, in perfecta lucis æternæ claritate, in meridianis immenſæ charitatis ardoribus, *ad dexteram Patris*. At quis ad te ſic accedet? *ad lucem inacceſſibilem*? *ad thronum*, de quo procedunt *fulgura & voces & tonitrua*, quis poterit penetrare? Hinc, cùm ſis altiſſimus & inviſibilis Deus, homo fieri, viſibili carne indutus, divinos celare radios; non tam *Deus ignis*, *quàm paſtor bonus* comparere, atque inter homines, veluti charas tibi oviculas, *omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* perſtare decrevisti. *Ecce! ego ipſe*, ajebas olim, *requiram oves meas, & viſitabo eas. Sicut viſitat paſtor gregem ſuum.* In *paſcuis uberrimis paſcam eas, & accubare faciam*: *Quod perierat, requiram, & quod infirmum fuerat, conſolidabo, & quod pingue & forte, cuſtodiam: Vos autem greges mei, greges paſcuæ meæ, homines eſtis.*

Quærendus in meridie.
Pſ. 109. v. 3
1. Timoth. 6. v. 16.
Apoc. 4. v. 5.
Deut. 4. v. 24.
Ioan. 10. v. 11. & 14.
Ezech. 34. v. 11. 12. v. 14. 15. 16. & 17.

Quæro autem, velut ex oviculis tuis una, *ubi paſcas in meridie* charitatis: quando in hâc lacrymarum valle dilectas tibi animas ſereniſſimis ſine umbra radiis illuſtras; ut ſciam quò me conferam, quò confugiam; ut à te famelica reficiar, infirma ſaner, atque à luporum dentibus ſecura degam: *ubi cubes in meridie*; ut aduſta pungentibus tentationum radiis, ſub tua reſpirem umbra, quieſcam feſſa, vires languida

Excelſis perfectæ vitæ deſideriis.

 inſtau-

inſtaurem: ubi *paſcas in meridie* dilectionis; ut tuam læta vocem audiam, contempler faciem, manúmque blandientis exoſculer: *ubi cubes in meridie*; ut tuo lateri ſemper adhæream, atque, ut quondam illa, *de pane tuo comedens, & de calice tuo bibens, ſim tibi ſicut filia*: *anima* mea tuæ non modò *conglutinetur*, ut Davidis ac Jonathæ; ſed tota in te tranſeat Philothea; ut ſit utriuſque ſicut eſt *cor unum*, ita *& anima una*.

2. Reg. 12. v. 3.
1. Reg. 18. v. 1.
Act. 4 v. 32

Non erraticâ, ſed ſtabili pietate,

Sum equidem audax, dulciſſime Dilecte. Sed hinc ardens in corde meo, tibi atque in te vivendi amor impellit; illinc, ne errore ſeducta *vagari incipiam poſt greges Sodalium tuorum*, non vanus timor, periculum non leve audentem facit. Turpe eſt atque indecorum, *vagari*; varios ſequi *greges*, etiam inutile & periculoſum. Multùm à vero tramite metáque aberrat, qui certo ſtare loco neſcius omnia loca pererrat: quò *vagatur* magis, eo minùs progreditur; dum enim multas inſiſtit vias, nullam abſolvit. Quid juvat turbidos lambendo rivulos ſectari, & fontem negligere? obvios è trivio agyrtas ægro corpori medelam rogitare, & archiatrum præterire. Non bene quærit ſanitatem, qui ſemper mutat medicos: nec ſcientiam, qui magiſtros: nec virtutem, qui ſuæ animæ moderatores. Puerilem ſapit inconſtantis animi levitatem, incerto curſu per varia mentis virtutiſque exercitia *vagari*, nulli inhærere; omnia experiri, tenere nihil: jam hoc, jam illud delibare, faſtidire omnia; aliud ex alio vitæ inſtitutum ambire, nullum prehendere: nunc his, nunc illis ſe adjungere, neutris adhærere. Mihi fixum eſt cavere, *ne vagari incipiam*. Si cœpero vel parùm, idque ſemel, difficulter pedem referam.

Non obviis quibuſque, ſed probatis vitæ magiſtris.

Eccl. 6. v. 10.

Sed neque poſt obvios quoſque *greges Sodalium tuorum* curſitare conſultum mihi videtur. Nôſti meliùs mi ſapientiſſime JESV, quàm ego dicere queam: quòd plurimus ubiq; ſit *amicus & ſocius menſæ*, qui *non permanebit in die neceſſi-*

tatis:

tatis: non ſine indignatione vides, quanta ſit eorum multitudo, qui tuos ſe *Sodales* jactant, atq; etiam vulgò habentur, non ſunt: qui tuam quidem colunt amicitiam, ſed quamdiu ſerenitas affulget; cùm tempeſtas ingruit, elabuntur: quos delectat tecum ad Canæ nuptias itare, in Thaboræi montis verticem tuæ gloriæ ſpectatores aſcendere, *vocari* tecum *Rabbi*, mira patrare, fauſtas audire acclamationes, ad regnum quæri; at non perinde habebis comites & *ſodales* in deſertum ad jejunia, in montem ad vigiles in oratione noctes, in Olivetum ad cruentam animi luctam & ſudorem, in prætorium & Golgotham ad flagella, ad ſpinas, ad Crucem, ad clavos, fel, acetum, lanceam.

Matth.23. v.7.

Eſto tamen, non habeas *ſodales* niſi bonos: alii tamen ex illis propiùs; longiùs à te alii ſuos paſcere *greges* ſolent; quò nimirum preſſiùs ipſi vel laxiùs tuis veſtigiis inhærent. Sunt, quibus major ſui, quàm ovium cura: nec deſunt, quibus paſcuæ cura, non animi. His numquam virga, quâ pavidas caſtigent oves, non eſt in manu: illi baculum quo terreant fugéntque lupos numquam prehendunt, ſibilo fiſtulâque contenti. Quotus quiſque eſt, qui infeſtos ovibus morbos, morbíſque curationem adhibere ſatis noverit? Si nôrit, etiam velit? ſi vult, effectum dare poſſit: quin oves medelæ impatientes balatu, fugâ, reniſúque impediant?

Vides, mi amabiliſſime Sponſe! non de nihilo me eſſe, non curioſam, ſed ſolicitam: dum *ubi paſcas, ubi cubes*, inquiro? dum *vagari poſt greges ſodalium tuorum* metuo. Non tamen vel *ſodales* vel *greges* reprehendo; aut, ſi quem eorum mihi deſignes, refugio: modò tuo me ductu, quiſquis ille ſit, velut Moyſes aliquis *minet ad interiora deſerti*, *ad montem Dei Horeb*, ad deſideratum cæleſtis ſapientiæ perfectíque amoris verticem: ubi *rubus ardet, & non comburitur*: ubi *Deus* meus in *flamma ignis* loquitur ad cor, lucet oculis, mentes inflammat; ut poſſim cum regia, quam nôſti, ovicula ſecura & hila-

Exod. 3. v. 1. & 2.

&hilaris cantare: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco* *Ps. 22. v. 2.* *pascua ibi me collocavit.* Et quid mihi desit, ubi *aqua refectionis*, *v. 3.* gratiâ? ubi Sol *justitiæ*, nomen tuum? ubi *virga tua di-* *v. 4.* *rectionis, & baculus tuus* auxilii divini? ubi *mensa*, quæ corro- *v. 5.* borat; *oleum*, quod impinguat; *calix*, qui inebriat; *misericordia*, quæ sustentat? Iterum ergo iterúmque rogo; ut, si me amas, indices amanti, *ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Vbi, ubi fueris, & ego, si tecum fuero, ero *in meridie:* occasum non patiar, non timebo noctem: lucebo, non extinguar: ardebo, non comburar: quia tu mihi, ego tibi, ignis in rubo, rubus in igne.

Christus. VEni in hortum meum, Soror mea Sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite & bibite & inebriamini charissimi, *Cant. 5. v. 1.*

EXEGESIS.

§. IV.

SApienter, ò mea Philothea, ex me quæris id, quod te scire tuâ multùm interest. Sic Sponsam addecet: nimirum non ignorare, ubi Dilectus ego Sponsus jucundiùs firmiúsque habitem: quomodo jam cælo receptus ab amante anima inveniri, teneri, intimísque stringi amplexibus queam: quid à Sorore & Sponsa; ut mihi abundè placeat, amorísque ardentissimi inflammata facibus perfectè uniatur, Frater

ter ego & Sponſus exigam. Libenter itaque tuis acquieſco precibus, meorúmque te facio ſecretorum participem.

Meminiſtin' cùm me per omnia terræ, maris, aëris, ignis cælíque ſpatia ſolicitè indagares, occurriſſe tibi duos cæleſti quadam vultûs amœnitate ſimillimos ſibi adoleſcentes? tenéſne adhuc, quid eorum alter, in quo non ex vano ſuſpicabaris Dilectum latitare, prolixa oratione tibi expoſuerit? Quomodo nempe olim ego deſcenderim *in hortum nucum*, ut viderem *poma convallium*, de cælo in terras? à Regno ad Synagogam? è Paradiſo in nucetum? quàm indignis fuerim modis exceptus? quàm cruda mihi *poma convalles*, quàm acerbas *vinea labruſcas*, quàm cruentam mihi purpuram *mala punica* acervatim germinârint? Hunc tu non *hortum* dices, ſed dumetum; ego verò *deliciarum* appello *hortum*. Miraris? *meum* aio *hortum*; quia præ cæteris mihi charum habeo: non minùs gloriæ gaudiorúmque feracem, quàm dolorum atque injuriarum copiâ refertum.

In horto paſſionis paſcit Dilectus animas.

Veni, ſi placet, & tu in hunc *hortum meum*. En, ut undíque ſeptus eſt ſpinis! viden' in medio colliculum Cruce inſignem? cernis areolas, omnes mearum pœnarum ſignis diſtinctas? hinc argentum, quo ſum venditus? catenas & funes, quibus ligatus? fuſtes & ſtipites, haſtas & gladios, faces & laternas, quibus quæſitus, captus, pulſatus fui? illinc ferream, quæ genas ſauciavit, manicam? velum, quod ſidereos obnupſit oculos? flagella, virgas, lora, quæ totum corpus lacerârunt? ſpineum, quod tempora frontémque crebro vulnere perforavit, ſertum? iſthinc arundineum pro ſceptro ſtipitem? pro purpurâ centonem? pro throno infamem infelicis columnæ baſin? probroſa ludibrii inſtrumenta? hinc plenam aceto ſpongiam? detracta corpore indumenta? duros è ferro clavos manibus pedibúſque infixos? crudelem lanceæ cuſpidem in latus adactam? ſpectas denique omni ex parte rubentes ſanguinis guttas? pallidas ſudoris ſtillas?

Dolorum feraciſſimo.

evulſos capitis barbæque crines? Veronicæ linteum? Matris afflictæ gladium? Lunæ Soliſque commiſereſcentis deliquia? Quid niſi uberrimam dolorum ſegetem undique contemplaris?

§. V.

Sed & gaudiorum.

HIc tamen tu, ſi me inventum velis, quære: hîc me *paſcere*, hîc me *cubare*, hîc me *in meridie* verſari cogita: certa hîc eſſe *meridiem*, ſed charitatis; hîc delicias, ſed cæleſtes: quibus & ego paſcor, & *paſco* charas mihi animas: hîc torulos & culcitras, ſed ſacras: quibus ipſe ſuaviter *cubo*, dilectóſque accubare amicos facio. Hîc *meſſui myrrham meam*, plenis cruciatuum, injuriarum, calamitatúmque manipulis collectam; at *cum aromatibus meis*, ampliſſima meritorum præmiorúmque copiâ mirabiliter conjunctam. Amara quidem fuit *myrrha* corpori; ſed menti ſalutifera: mordebant *aromata*; ſed & mirificè fragrabant: laborioſa erat meſſis; at, non minùs inclyta & pretioſa: quantò ſeges acerbior, tantò jucundior fructuum præſtantia: dulcedo conſolationis, mercedis amplitudo. Hac enim ego peracta dolorum meſſe mirificè lætus, ut corpus animúmque curarem, *comedi favum meum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo.*

Ex fructibus paſſionis.

Quem *favum* & *mel*? ais: quod *vinum* & *lac*? interrogas? Non *favum* intelligo, quem ingenioſa apum induſtria hexagonis in cera cellulis miro opere ſolet elaborare: non *mel*, quod ex floſculis rore conſperſis apicula rapaci unguiculo decerptum colligit: non *vinum*, quod ex turgidis uvarum acinis flaveſcente rivulo torcularia fundunt: non *lac*, quale candido velatum flore paſtoritia miniſtrat mulctra; nimis hæ ſunt agreſtes viléſque ſerpentium humi animorum deliciæ. Mihi pro *favo* & *melle* fuit, ingens tot inter

oppro-

opprobria ſolatium: pro *vino* & *lacte*, mira tot inter cruciatus lætitia.

Crede mihi, Philothea, incomparabili ſolatio mihi fuiſſe innocentiam, ipſiuſmet Pilati, proditoris Judæ, & pendentis in Cruce latronis ore conteſtatam: cæli terræque prodigioſo luctu, veli ſciſſurâ, ſepulchrorum hiatu, piorúmque manium teſtimonio patefactam. Super omnes, quos habet mundus, ſtipatos *melle favos* fuiſſe mihi illuſtriſſima fortitudinis, demiſſionis, aliarúmque virtutum, quæ meis relinquebam, exempla: ineffabilem, quâ pro mortalibus animam poſui, charitatem: exactiſſimam atque abundantem, quâ læſæ Numinis majeſtati ſatisfeci, juſtitiam. Quantum putas, *vini lactiſque*, lætitiæ inquam, Oceanum meo exundâſſe pectore ex amantiſſimi voluntate Patris impleta? ex parta toti humano generi ſalute? ex triumphato Mundo, Carne atque inferorum Tyranno? Quantum cenſes me liquidiſſimi hauſiſſe gaudii, quod mihi peperit ampliſſima nominis mei toto cælo, omnibúſque terris exaltatio? quódque æterna corporis mei beatitudo his comparata doloribus plenis alveis affudit? quod deníque divinæ majeſtatis honos & gloria, latiſſimè ſudore meo propagata mihi cumulatiſſimè impertivit? Si ergo his tu quoque, Philothea, cæleſtibus *paſci* cupediis affectas, in horto paſſionis mecum *myrrham* atque *aromata mete*. *Meridies* charitatis eſt, amando pati, patiendo amare: in Cruce *paſci*, in Cruce *cubare*, amanti animæ eſt triumphare.

Innocentiâ.

Charitate.

Obedientiâ.

Gloriâ.

Hic eſt meridies charitatis.

Animadverto, Soror mea, quòd hic tibi hortus meus ſummopere placeat: ſiquidem tam religiosè cunctas illius areolas circumeundo contemplaris: frutices, floréſque lacrymantibus ſpectas oculis, pio veneraris oſculo, utróque brachio amplexaris. Laudo; ſic meæ ſcilicet Sponſæ aſſolent: ſic olim factitabant Catharinæ, Claræ, Lutgardes, Tereſiæ: ſic in more poſitum habebant Franciſci, Bernardi, Bona-

In hoc paſſionis horto paſci gaudent animæ Sanctæ.

Bonaventuræ, Bernardini, aliæque magno numero grandes animæ: quas delectabat *Christo in carne passo eadem cogitatione* armari; ut, *si compaterentur, etiam conglorificarentur*: quæ nimirum, ut mihi suam probarent fidem, meámque ambirent gratiam, multa grandiáque gaudebant meâ causâ perpeti. Neque enim solummodo meis *pascebantur* aromatibus, mea *cubabant* in Cruce, meis ardebant flammis: otiosè tantùm meas contemplando pœnas; sed adversa quæque obviis amplectebantur ulnis: dolores corporis, animi angores, injurias temporum, hostium insidias, mundi ludibria, paupertatis incommoda, obedientiæ jugum: atque si hæc deessent, spontaneas carnis afflictationes avidè excipiebant, ferebant hilariter: atque ita veluti mecum constrictæ vinculis, ligatæ ad columnam funibus, Cruci affixæ clavis adhærebant mihi, intiméque unitæ, in me cogitatione immersæ, amore conflatæ, ac moribus transformatæ, *unus spiritus* mecum effici merebantur.

1. Pet. 4. v. 1. Rom. 8. v. 17.

Non tantùm contemplando sed etiam patiendo.

§. VI.

SEd enim alium tibi hortum locúmque amœniorem, *ubi pascam, ubi cubem*, ubi *in meridie* summæ charitatis agam, ostendo. Annon cælestium deliciarum Paradisus est Ecclesia? meo plantata labore, exculta studio, irrigata sudore, sanguine fecundata? nónne in illa septem inclyti sanctitatis gratiæque fontes scaturiunt? nónne *justi, ut palma florent*? liberales & charitate præditi, *quasi terebinthus extendunt ramos* suos? patientes fortésque, ut *cedrus in Libano, exaltantur*? pacifici mitésque, ut *oliva speciosa in campis*, blandiuntur? prudentes ac magnanimi, *quasi cypressus*, terram despiciunt, atque ad cælestia se attollunt? nónne hinc *cinnamomum & balsamum* castitatis fragrat? violæ calthæque demissionis serpunt? lilia rosæque candoris & verecundiæ vernant? illinc

Ecclesia quoque est hortus Dilecti.

Ps 91. v. 13
Eccl. 24. v. 22.
v. 17. 19.
v. 18.
v. 21.

linc *myrrha electa* temperantiæ? *ſtorax & galbanus* orationis? ungula & gutta pœnitentiæ *dant odorem ſuavitatis*? nónne in illa *turris* eſt *fortiſſima, nomen Domini*? cella vinaria myſteriorum? ſacrorum voluminum apothecæ? jucundi terreſtrium Angelorum concentus? perpetua meritorum meſſis? menſa Euchariſtica ſemper parata?

v. 21.

Proverb. 18. v. 10.

Hîc ego fideles animas, veluti generoſos aquilæ pullos propria carne, & cruore *paſco*: tamquam Angelos terrena mole circumdatos, Angelico corporis animæque meæ cibo nutrio: ceu Filios meos *divinæ conſortes naturæ* factos, eſcâ divinitatis educandos ſuſcipio. Hîc *cubo*, hîc dies noctéſque promptus adſum; ut mortales ad me accedentes amanter excipiam, vota precéſque audiam, conſilia dubiis in rebus, in aſperis ſolatia, auxilia in periculis ſuggeram. Hîc dulcia cum illis miſcere colloquia in votis habeo: hîc recreare feſſos, perditas illis inſtaurare vires, famem pellere, levare ſitim, vitam ſervare, inque meis brachiis, ſinu, corde lectulum parare gaudeo. Hîc divinus ego ſympoſiarchus chariſſimas mihi Sponſas *de torrente voluptatis* meæ potare ſoleo; *ut ab ubertate domûs* meæ inebrientur; ſobria tamen ebrietate, quâ humanarum oblitæ rerum cæleſtibus tantùm atque æternis inſatiabili cupiditate inhiando, velut extra ſe poſitæ, ſenſuum miniſterio vix, aut ne vix quidem utantur: ſapienter ebriæ, quia Deo plenæ.

Et hîc paſcit cubátque in meridie.

2. Pet. 1. v. 4.

Pſ. 35. v. 9.

§. VII.

HIc mea, etiam me tacente, liberaliſſima charitatis bonitas altis vocibus exclamat, atque omnes quidem mortales; meos tamen præcipuè ſequaces hortatur & invitat: *Comedite amici, & bibite: & inebriamini chariſſimi*. Adeſte fideles animæ: quid moras nectitis? En, paratum vobis *grande convivium*: in quo nihil parvum, nihil mediocre;

Huc, ad Euchariſticũ epulum invitat.

Eſth. 1. v. 3

magna omnia & miranda. Qui instruit, non *centum & viginti septem Provinciarũ* Rex est, sed totius mundi Imperator: qui accumbunt, non *Persarum Medórumq; inclyti*, ac *populus, qui inventus est in Susan*; sed Imperatores, Reges, totiúsque terrarum orbis incolæ à maximo usque ad minimum: locus convivii, non *vestibulum horti, regio cultu & manu consiti*; sed atrium Domini, *locus tabernaculi admirabilis*, vestibulum paradisi: *lectuli*, non *aurei & argentei, super pavimentum smaragdino stratum lapide dispositi*; sed siderei Beatarum mentium sinus expansi, pennæ manúsque substratæ: non *aurea*, quibus bibatur, *pocula*: vel gemmea, quibus cibi inferantur, vasa; sed dulcissimum Dilecti pectus, pretiosa vulnera Salvatoris.

Adeste chara capita, *comedite & bibite*; non ego vos ad *tauros & altilia* voco: non ad regias Salomonis dapes, *venationes cervorum, caprearum, atque bubalorum* vos accerso: *non omnia bona Ægypti, & medullam terræ* vobis polliceor; *Comedite*, inquam, *panem vivum*: quid mirabilius? *panem supersubstantialem*: quid rarius? *panem de cælo, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem*: quid dulcius? *favum mellis ex ore leonis*: quid jucundius? *mel*, quo *illuminantur oculi*: quid utilius? *fructum ligni vitæ*, quem *qui comedit, vivit in æternum*: quid optabilius? *agnum Dei, qui tollit peccatum mundi*; quid sanctius?

Bibite, ajo, *aquam sapientiæ salutaris*, quæ vitiorum æstum refrigerat: *aquam in gaudio de fontibus Salvatoris*, quæ mentem gratiâ meritísque fecundat: *aquam vivam*, ex qua *qui biberit, non sitiet in æternum*: bibite lac ex mamilla divinitatis, quod exundat *ab uberibus consolationis*: nutrit, non enervat: dum recreat, impinguat: *bibite* vinum, *quod miscuit vobis sapientia*, quódque mentem accendit, non corpus; dum cor lætificat, vires instaurat: bibite *sanguinem agni, stantis in medio throni*, & *seniorum & animalium*, qui animas pascit, non creat nauseam: ornat Beatorum *stolas*, non inquinat; dum

v. 1. *v. 3.* *v. 5.* *v. 5.* *Ps. 41. 5.* *v. 6.* *Matth. 22. v. 4.* *3. Reg. 4. v. 23.* *Gen. 45. v. 18.* *Io. 6. v. 52.* *Matth. 6. v. 11.* *Sap. 16. v. 20.* *Iud. 14. v. 8* *1. Reg. 14. v. 27.* *Gen. 3. v. 22* *Io. 1. v. 29.* *Eccl. 15. v. 3* *Isa. 12. v. 3* *Io. 3. v. 13.* *Isa. 66. v. 11* *Prov. 9. v. 2* *Apoc. 7. v. 17.*

dum tingit, dealbat. *Comedite* Angelorum escam, manna absconditum, mirabilium synopsin, *Verbum caro factum*, peregrinationis viaticum, futuræ gloriæ pignus, apophoretum beatitatis. *Bibite* philtrum divini amoris, benedictionis calicem, pharmacum immortalitatis, multitudinem dulcedinis, divinæ affluentiam bonitatis, fluvium paradisi, mare gratiarum.

Io. 1. *v.* 14.

Comedite & bibite, si meos inter amicos & esse & permanere: si me habere amicum vobis cordi est. Amicus est, qui invitat, hortatur, urget, & tantùm non cogit: Pastor est, Pater est, Dominus, imò & Deus est. *Comedite* & *bibite* nullo vestro sumptu; sed *gratis, sine argento, & absque ulla commutatione.* Fidem, famem, religionem, munditiem, demissionem, inflammatum divini amoris ignibus, gratúmque animum afferte: & symbolam solvistis. Gratis datur, quod nullo potest pretio æquari. *Comedite & bibite*, quanta potestis aviditate: vestra replete viscera, mentes *inebriate*, sine fastidio saturi, sine scelere pœnáque insatiabiles: numquam absumetis cibum, qui finem non habet: nec poculum exhaurietis, quod fundo caret. Nemo me in se convertet, sed ego unus in me omnes; ut sint omnes in me, ego in omnibus, felicissima animorum communicatione: ego quidem Deus homo: vos homines divini.

Imò urget.

Isa. 55. *v.* 1.

Sentis, ut video, sentis, Philothea, *meridiem* charitatis; tota jam æstuas amore, ad me anhelas, me solum sitis, me esuris: in ara *pasci*, in Cruce *cubare*, sícque intimè mihi conjungi summis à me votis exoptas. Bene habet. Vtrumque dabitur: *pascam* te priùs ex sacra gratiarum penu, quàm in dura dolorum sponda *cubes*; quò enim religiosiùs altaris mensæ frequentiúsque accubueris, eò suaviùs in Crucis lectulo molliúsque *cubabis.*

Etiam ex sacro suo látere dilectas sibi animas Iesus pascit.

Propiùs ergo te admove: *meam* ex manu mea *carnem*, ex pretiosa cæli patina, ex quadra charitatis *comede*; *sangui-*

rem

nem ex aperti lateris hiante plaga, ex fonte cordis, ex cella Divinitatis *bibe*: *epulare amica* : *inebriare chariſſima* : famem ſitímque ſic accende, ut pellas; ſic pelle, ut accendas; ſine tædio ſatura, ſine dolore cupida, ſemper beata; quia Beatorum *cibo potúque* ampliſſimè refecta. *Guſta*, *& vide*, Filia, *quoniam ſuavis eſt Dominus*, amabilis eſt Dilectus, gratiſſimus eſt tuus Sponſus: quantùm credis, tantùm *vides*: quantùm amaveris, tantùm *guſtabis.* Panem *vides*: carnem crede. Vinum *guſtas*: ſanguinem eſſe tibi perſuade. Non fallere, non falli queo. *Carnem* manducas, *ſanguinem* hauris meum. Quidquid terra eſculenti habet, vel poculenti, id omne fungus eſt, vappa eſt.

Pſ. 33. v. 9.

CAro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus, *Ioan. 6. v. 56.*

EXEGESIS.

§. VIII.

Caro & ſanguis Chriſti excellens.

UT tibi ſapit hic *cibus*? ut placet *potus*? *cibus* mirabilis? *potus* ſtupendus! caro viva! panis vivus! *Sanguis* humanus, calix divinus! *Caro* Virginea, ex Virgine nata: *Sanguis* puriſſimus, omnia purificans! *caro* culpæ neſcia, gratiæ plena: *Sanguis* præſtantiſſimus mille mundorum, ſi forent, pretium futurus! *caro* ſacroſancta, cæleſti unita animæ: *Sanguis* dulciſſimus, mentes inebrians! *caro* hominis ſimul & Dei? ſemel ſcilicet in eandem hypoſtaſin aſſumpta, numquam dimiſſa: *Sanguis* agni immaculati, ſed Dei: pro peccatis olim ſparſus; nunc in venis æterni Filii diffuſus. *Caro mea, ſanguis meus*: hoc ſatis eſt; ampliùs grandiùsque nihil dici poteſt. *Verè tamen* illa *eſt cibus*: ille *verè eſt potus*; at non tam oris,

quàm

quàm mentis: *cibus invisibilis, potus spiritalis*, quem qui sumit, Deum accipit: qui dum extrà pascere videtur corpus, intus animam nutrit, ut *cibus*: vires suggerit, incrementum ministrat, ut *cibus*: salutem affert, servat vitam, ut *potus*: parit voluptatem, formam conciliat, calorem auget, ut *potus*; at vero, quod nullus *cibus potúsve* potest, etiam donat immortalitatem, sensímque in Deum felicissima metamorphosi hominem convertit.

Tob.12.11 *1.Cor.10. v. 4.*

Nimirum *mea* est *caro*, quâ te *pasco*, Philothea: *meus sanguis*, quo te lacto. Scio: fidem habes Veritati sic affirmanti, quæ, quod ait, facit; quod vult, potest: & quia amat, etiam tibi *cibus potúsque* fieri gaudet. An fortè omnipotens Dei Verbum, quod uno nutu quondam ex nihilo fecit omnia: & nunc quoque ex semine arborem, ex arbore florem, è flore fructum, humanam è fructu carnem producit: nequeat panis extinguere substantiam, suúmque corpus substituere? An, qui *cælos palmo ponderavit, atque omnia portat verbo virtutis suæ*, is panis viníque accidentia sine subjecto conservare non possit, & si potest, nolit?

Verissimè tamen cibus & potus.

Isa.40.v.12 *Heb.1.v.3.*

Aquam ego *in vinum* ad nuptialem aliorum hilaritatem converti; & vinum in sanguinem meum ad exhilarandam Sponsæ meæ animam, quoties lubet, non convertam? *quinque panes hordeaceos*, ut in multa famelicorum millia sufficerent, imperio solùm meo multiplicavi; & innumeris ubique fidelium turbis cælestem panem esurientibus corpus meum non multiplicem? Si *venti & mare* mihi *obediunt*, mea mihi *caro*, æternæ gloriæ dotibus ornata, non obtemperet? Si mea facit Omnipotens sapientia, ut anima omnes humani corporis partes tota, simúlque tota totum occupet corpus; sapientissima charitatis meæ omnipotentia non faciat, ut sic gloriosum corpus meum in tota hostia, partibúsque simul omnibus præsto sit? unum idémque pluribus in locis contentum, non inclusum?

Annon agnoſcunt veram *meæ carnis ſanguiniſque* præſentiam ipſa mundi elementa, &, cùm volo, adorant? Annon expertes rationis animantes, tetræ inferorum larvæ, Beati è cælo Genii in ſacro ferculo me præſentem ſentiunt, ſupplicéſque mundi Dominum confitentur?

Quoties pepercit ignis, ut non uſtularet? quoties reveritæ ſunt undæ, ne mergerent? nónne jumenta flexis prona genibus ſe mihi ſub Euchariſtico pane latenti ſubmiſerunt? nónne apiculæ ceream in alveari ædiculam arámque miro artificio poſuêre? nónne tartarei humanorum corporum inſeſſores ad meum in ara conſpectum paveſcunt, ſtrident, excruciantur? Cælites contrà ſemper obſequioſi aſſiſtunt, laudant, proſtratíque ſumma colunt veneratione?

Habes itaque Philothea, certum amoris mei pignus, *cibum* divinum, cæleſtem potum: *carnem meam, meúmque ſanguinem*: non jam vitæ expertem, ſed corporis mei participem; verbo, me totum, hominem vivum, vivúmque Deum. An hoc ſatis? an *páſceris in meridie*? an ſatis arctè conjuncta es Dilecto, quem intra viſcera abſcondiſti? vivum Sponſi conditorium, divinitatis ſacrarium, ſummæ Trinitatis triclinium effecta? an non ſic *ego in te, tu in me* tranſiiſti, itáque Deo immerſa es, ut nemo nolentem queat ſeparare? Sic *paſco*, quos amo; ſic amo, qui me diligunt. Vt ergo ſemper *paſcaris*, ſemper ama.

Io.17.v.23

Intro-

INtroduxit me Rex in cellam vinariam: ordinavit in me charitatem. *Cant. 2. v. 4.*

Philothea

EXEGESIS.

§. IX.

Ecstasis animæ divino epulo refectæ.

VBi sum? ò JESV! quò feror? ô Dilecte! ubi globosa terræ marísque moles? ubi cæruleum fluctuantis aëris æquor? ubi micantia cæli sidera? quàm citò ex oculis abierunt universa? an ergo extra spectabilem hujus mundi machinam forsan abii? certè extra lutosum corporis tuguriolum abrepta, ínque amœnissimam beatitatis regiam translata mihi videor. An ergo in paradiso versor? ita mihi, quo vescor, *vitæ fructus*, quámque bibo, aqua *fluvii paradisum irrigantis* facilè persuadet. An in ipsis cæli adytis consisto? sic *torrens voluptatis* quem haurio; atque *ubertas domûs* Dei, quam cumulatissimè manduco, credere me cogit. Vndique se mihi clarissimi novæ lucis radii circumfundunt: ex omni parte mira affluit jucunditas: nihil jam animus contemplatur nisi Dilectum: nihil aliud cor amat, nihil memoria volvit, nihil suspirat mens, nisi JESVM. Nempe ipse est lux mea, gaudium meum, amor meus, gloria mea: ipse thesaurus meus, salus mea, cibus meus, vita mea: ipse Pater & Dux meus, Frater & Sponsus meus, Servator & *Rex meus: ipse Deus meus & omnia*: cum ipso esse summæ culmen est felicitatis.

Jam scio, ubi degam, quis me mihi eripuerit, quò tam celeriter dulcitérque transtulerit. In *cella* versor; non autem subterranea; sed cælesti: quam fornicato opere confecit æternitas. In promptuario sum; minimè tamen vulgari, sed plusquam regio: quod immensa Dei liberalitas instruxit. In

latére dulcissimi Dilecti vivo: *cellâ* scilicet amplissimâ, quam Longini lancea excídit in *petra*. In corde Salvatoris mei dego: gratiæ nimirum & virtutis apothecâ divite, quam charitas divinitate replevit.

O quibus in hac *domo vini pascor* deliciis! quàm splendido excepta epulo admirandâ fruor dulcedine! Hîc mensa, hîc vindemia: hîc *panis* & *caro*, hîc *potus* & *sanguis*: sed *panis* Angelorum, *potus* Beatorum, totus Dilectus. O bonitas amabilis: ò charitas mirabilis! ò potus salutaris! ò esca singularis! ò *caro* Conditoris! ò Servatoris cruor! ò lac, ò mel, ò nectar, ò ambrosia! ò felicitas! ò voluptas! ò gaudium, ò satietas! ò JESV! ò salus, ò vita! ò ardor, ò *meridies* immensæ dilectionis!

In ponderatione tanti beneficii absorptæ.

Audite mortales, atque mecum obstupescite! Hanc mihi *cellam* eminus ostendisse, annon multum omnino fuisset? annon plus nimio foret, copiam fecisse per rimulam aut fenestellam introspiciendi, trahendíque apertis faucibus prædulcem vitalis musti fragrantiam? annon cogitationem spémque omnem superaret, qui patefactâ etiam portâ è poculo præstantis vini, quod in *regno Dei bibitur*, haustum liberaliter propinaret? At ecce! non eam ministrorum aliquis à longè mihi monstravit: non pocillator Angelus è cyatho potum obtulit: sed *introduxit me* ipse *Rex*, in hanc secretissimam sanctitatis *cellam vinariam*: in sanctissima sui cordis penetralia, JESVS me repentè amantérque transtulit; ut hauriam, quantùm capio: tótque generosa cæli vina abundè bibam, quot in Dilecto humanas divináſque perfectiones degusto. In hac *cella* paravit mihi epulum, posuit mensam, stravit lectulum, aperuit dulcedinis abyssum, bonitatis thesaurum protulit, effudit oceanum divinitatis.

Matth. 26 v. 29.

Latus Christi, cella.

§. X. In

§. X.

IN hac *cella* jam mihi propinat dulce absynthiacum *compunctionis*: modò pretiosas Christi lacrymas offert: nunc vino *lætitiæ salutaris* me potat, mulso solatiorum, sapientiæ succo poculum miscet, *vinóque condito & musto malorum granatorum*: cælestium, ajo, mysteriorum gustu me recreat: nunc divino beatitatis nectare craterem implet. Hinc equidem ego sum sanctè ebria; sed non vacillo: bene pota; sed non cæcutio: lautè pasta; sed non fastidio: extra me posita; non tamen rationis usu destituta; quia dum Dilectus meus in corpus meum est ingressus, mox animam meam in cor suum, sacram divinitatis *cellam introduxit*: dúmque me cælestibus implevit deliciis, simul *charitatem in me ordinavit*, atque, ut planè sentio, *coacervavit*; ut jam Deum in omnibus, omnia in Deo amem: Deum propter se, proximum propter Deum diligam: meam antè; deinde aliorum salutem quæram: priùs animas, pòst & corpora curem; quæ æterna sunt in primis æstimem, quæ caduca sunt in postremis: antè certare patíque velim, quàm coronari palmámque ferre cupiam: Dilectum, quia immensus est atque æternus, sine modo, sine fine, sine fuco, purissimo prosequar amore. O me beatam, quæ in hac charitatis *cella* veram didici legitimámque diligendi artem! quæ charitate, ceu *vexillo super me* erecto, & communita sum, & cælo auctorata! *charitate* veluti syphone in os animæ directo totam hausi divinitatem!

Divina illius vina. *Ps. 59. v. 5.* *Ps. 50. v. 14.* *Cant. 8. v. 2.*

Ordinata charitas.

O prodigium! Ergóne nova quadam unione est in me Deus, ego in Deo? annon multum erat esse per naturam essentiâ, potentiâ, scientiâ? per gratiam, amore, spiritu, participatione? etiámne placuit per Sacramentum corpore, animáque intimè conjungi? siccine majestatem tuam, Dilecte

Intima & nova divinitatis præsentia.

JESV deprimis; ut me pulverem cinerémque amantissimè complectaris? an fortè non derogat excellentiæ tuæ hæc novitas; ut supremus rerum omnium Dominus dignetur infimam visitare ancillam? *Rex* Regum pauperculam, & rusticellam? Deus Deorum animam miserabilem & peccatricem? Quomodo autem convenient æternitas, & umbra? immensitas, & punctum? lux lucis, & atra noctis caligo? itáne in unum coalescant beatitudo summa, & extrema mendiculi infelicitas? omnipotentia æterna, atque miseranda vermiculi infirmitas? sapientia infinita, & ridicula infantis ruditas? O mira vis charitatis! ò clementiæ excessus! sic misericordia persuasit; hæc Dilectum incomprehensa adegit bonitas: quæ semper amat, sempérque amari desiderat.

§. XI.

Felix animæ in latus Dilecti immersio.

TEneo ergo, & toto corde amplector tuas, mi JESV divinissimas plantas, eásque lacrymis cordis rigare concupio: deosculor sacra vulnera: saluto purissima Virginei corporis membra: deveneror gloriosi capitis majestatem: adoro suavissimum cor, eique os animæ meæ iterum iterúmque applico, & quicquid est in eo virtutis, perfectionis, sanctitatis exugere gestio: glorifico beatissimam animam, divinitatis regiam admiror. In hoc látere, in hoc corde meipsa vivam sepelio: in hoc clibano divini amoris ardere, cúmque tribus pueris in fornace hymnum cantare gaudeo. *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* O quàm *mihi adhærere Deo bonum est!* ò *quam suavis est Domine spiritus tuus!* ò *ignis* semper *ardens*, & numquam deficiens! quando me totam liquefacies? ò *ignis* omnia summa infimáque *conflans*! quando in unum tecum me conflabis? ò *ignis* terrenæ concretionis scoriam *consumens*! quando me totam veluti paleam stipulámque consumes? sic manebo in

Ps. 131. v. 14.
Ps. 72 v. 28
Sap. 12. v. 1
Exod. 24. v. 17.
Malach. 3. v. 2.
Deut. 4. v. 24.

te, túque in me, ò dulcedo cordis mei ! ò vita animæ meæ ! ò unum, verum, ſummum bonum meum !

Heu me ! quis ſenſim meas mihi intercipit delicias ? quò infelicitatis miſera devolvor ? an me proprii pondus corporis ad ſe deorſum trahit ? ò infidum amantis animæ jumentum ! Væ mihi eſt, ò JESV ! neque minùs meam lacrymis calamitatem defleo, quàm depulſus à lacte infans, quàm dejectus regno David, quàm profligatus è paradiſo infelix protoplaſtus. Ah Dilecte ! jam equidem ſcio, ubi *paſcas in meridie* ; ſed, ut video, ad antiquam famem ſitímque me relégas.

Reditus animæ ad ſeipſam ex raptu.

Non eſt tamen cur conquerar : agnoſco me ream : cur tam parcè amavi tam liberaliter amantem. Sic plectenda eſt, quæ in *meridie* torpet, in igne friget, in flammis non liqueſcit. Non eſt juſtior pœna, quàm ab ingrato gratiam auferre. Ignoſce, clementiſſime Domine : da veniam precanti : atque iſtud infauſtæ ſolatium indulge ; ut, cui non licet manere extra ſe ; ſaltem in te numquam non permanere liceat.

SCE-

SCENA II.

Christus.

ASCendam in palmam & apprehendam fructus eius. *Cant. 7. v. 8.*

EXEGESIS.

§. I.

Anima cælestibus pascitur deliciis, ut ad Crucem ferendam fiat aptior. *Io. 6. v. 58.*

QVid ambigis, Filia? *manebis in me; quia ego in te*: ut autem ad te redires, necesse erat: quomodo enim, quod tantopere exoptas, in Cruce *cubabis*, si in immensa dulcedinis abysso semper absorpta lateas? quid patiere, si extra te rapta sensu careas? lacerari quidem poterit corpus, sed animâ peregrinante non magìs dolebit, quàm frigidum cadaver, durúmve marmor scalpro malleóque sauciatum. Qui pati mecum affectat; vulnera sentiat, oportet. Qui non dolet; quomodo amat? Nimis delicatus est, qui semper deliciis pasci gaudet. Ideo te, Philothea, ad sacram corporis sanguinísque mei mensam adhibui; ut in *meridie* charitatis meæ inter summas animi voluptates, ex faucibus *Leonis de tribu Iuda* favo mellis pastâ, tamquam Leonina soboles, ignem spirans recederes: hoc volui, cùm te *in cellam vinariam introduxi*; ut divino inebriata spiritu animosè ardua quæque invaderes, fortia faceres, aspera ferres, sícque in Cruce mecum viveres, atque in *meridie* charitatis tuæ, in maximo dolorum æstu læta *cubares*.

Apoc. 5. v. 5.

§. II.

CRede mihi, olim cum ingenti gaudio me *sustinuisse* pro te

te *Crucem, confusione contempta: præque amoris magnitudine*, ascendisse in funestam trabem: non secus, ac Sponsus in lectulum rosis liliísque fartum: in thronum gemmis radiantem Cæsar, in *ferculum charitate constratum Salomon*, in currum triumphalem victor aliquis lætus, alacérque insiliret: pro indubitato habeas velim, jucundissimum mihi fuisse ab usque primo vitæ momento, ad extremum oris halitum in Cruce vivere: infantem in Cruce cubare, adolescentem crescere, virum pugnare, pati, mori, vincere, triumphare. Nunc, quoniam me beati corporis animǽque gloria pati prohibet, saltem in charissimis mihi Sponsis, atque amicis, meis nimirum membris, Crucem conscendere vehementer gaudeo.

Heb. 12 v 2
Gen. 29. v. 20.
Cant. 3. v. 10.

Hæc mihi palma perplacet: in qua tamquam divinus phœnix nidulum meum composui, atque amoris igne concrematus vitam pro mortalibus gloriosa coronide absolvi. Palma quidem est foliis aculeata, cortice aspera, surculis in gladii formam horrida; sed materie incorrupta, ponderibus infracta, procera stipite, decora flore, erecta statu, fructu suavis, mortalium commodis idonea, quanta quanta est, à medulla usque ad folia in trecentos sexaginta usus facta. Sic præclara Crucis arbor, tametsi lippis intuenti oculis scabra, inamœna, gravísque videatur; est tamen pretiosa, victrix, honorifica: imò & amanti jucunda, celsior cælo, splendidior astris: quia æternitati sacra, Deum hominem incubantem sustinuit, divino rubet sanguine: gratiâ, meritis gloriáque semper fecunda, innumeras Cælitibus terrigenísque parit utilitates.

Palma cælestis.

§. III.

Crucis amatores, æmuli Servatoris.

HAnc quoque Crucis palmam meo ducti exemplo hilares ascenderunt ex Apostolis Petrus, Andreas, Philip-

pus: ex Episcopis Simeon, Nestor, & Petrus: ex militibus Cleonicus, Theodorus, Achatius, cum decem sociorum millibus. Nec defuêre, qui sibi gloriæ ducerent in dura Crucis trabe, velut in molli nidulo mortem oppetere floridi adolescentes, Claudius, Asterius, Neon: teneræ Virgines Eulalia, Julia, Wilgefortis: beati conjuges Timotheus & Maura, ipsos novem dies in Cruce penduli, divinisque laudibus intenti. Et quot ejusmodi illustres sanctæ Crucis Equites sub Francisci & Ignatii, clarissimorum Ducum signis nuper Japonia vidit & obstupuit? quibus Crux pro arbore vitæ, pro Noëti arca, pro Jacobi baculo, pro virga Aaronis, pro tabernaculi candelabro, pro arca testamenti, pro Josue scuto, pro Gedeonis gladio, pro cithara Davidis, pro clave regni, ac denique pro ignivomo Eliæ curru, próque dulcifluo Elisæi ligno fuit. Non ignorabant scilicet, quòd in sola Cruce esset quies, in Cruce securitas, in Cruce salus, in Cruce vita: in Cruce robur & victoria, abundantia & gloria: in Cruce virtus & gratia, sanctitas & beatitudo: an non præstantissimi *palma* divinæ *fructus*? suos ergo cruciatus pœnásque generosè amplectebantur; ut sic meam conscendentes Crucem, velut in palma triumpharent. Non aliter & tibi faciendum puta, Philothea. Quicquid corpori animóque grave accidit, Crux est: quicquid dolorum à morbo, acerbitatis à luctu, pœnarum ab elementis venit, Crux est: quicquid calamitatis ab hostibus, injuriarum ab æmulis, damnorum à sinistris casibus infertur: quicquid ex astris inferísque meo permissu durum, ingratum, incommodum asperúmque te invaserit, Crux est: hanc amplectere; & *cubabis in meridie*: tuam sustine Crucem, & meam ascendisti.

Crucis Christi encomia.

Suam rectè ferre Crucem, est cum Christo in Cruce pendére.

§. IV.

Atque ut videas Crucem, & mihi etiamnum in deliciis esse, nunc quoque *ascendam* in cælestem hanc *palmam*:

Non

non equidem mortali corpore; ſed jucunda mentis repræſentatione: non ut iterum pro te ſatisfaciam, quod non eſt opus; ſed ut meo te exemplo inflammem, quod magno tibi erit emolumento: non ut denuo cruciatus perferam, quod jam beatitudo non ſinit; ſed ut *apprehendam fructus ejus*, quod gloriam gaudiúmque mirificè auget. Tendam ſcilicet amoris brachia, ut animas amore captas ad me felici aucupio pertraham.

Viden? ſic laxata extendebam brachia; ut te amplecterer: ſic rigidos è ferro clavos, ceu ſtylos, contractis tenebam manibus; ut meo te cruore in vitæ libro ſcriberem: ſic laſſos, ſpaſmóque contortos pedes configendos præbui; ut tuos, quibus malè ambulaveras, greſſus emendarem, *pedéſque in viam pacis* dirigerem: ſic protuberans diſtractis artubus oſſibúſque pectus crudeli feriendum haſtæ expoſui; ut meum tibi cor panderem, tuúmque amoris telo ſaucium mihi aperirem: ſic coronatum pungentibus ſpinis caput inclinavi, ad oſculum ori tuo imprimendum: ſic ardentes ex imo pectore gemitus emiſi, ad iratum tibi Patris animum faciliùs placandum: ſic areſcentia ſiti labra hiabant, ſic laceri ſparsíque pendebant capilli: ſic attrita tremebant viſcera: ſic lethalis pallor deformavit genas: ſic fractos caligo clauſit oculos: ſic denique tuâ causâ, tuo bono, tui amore in mortuum obrigeſcens beatiſſimum *in manus Patris ſpiritum* exhalavi.

Chriſti crucifixi effigies.

Luc. 1. *v.* 79.

Luc. 23. *v.* 46.

Philothea SVb umbra illius, quem desideraveram, sedi : & fructus ejus dulcis gutturi meo. *Cant. 2. v. 3.*

EXEGESIS.

§. V.

Sanctæ Crucis umbra animæ jucunda.

Exod. 31. v. 18.
Cant. 1. v. 13.
Deut. 33. v. 15.

O Spectaculum triste! ò sacrati pedes! ò beata brachia! ò caput gloriosum! ò cor divinum! ò Crux, arbor decóra & fulgida! ò JESV cæli decus & gloria! ò qualis hæc est palma, qualis fructus! an dactylum dicam, *Deique digitum*? an *botrum ex vineis Engaddi*? an verò vitale paradisi pomum? *de pomis cæli, & collium æternorum*? Conabatur quidem Hebræorum vesania hanc exscindere arborem, deformare pulchritudinem, fructum abolere; at ecce! ut in altum, atque ultra sidera se extollit! ut totam mundi machinam fulgore perstringit! ut inter omnia ligna silvarum admirabili virtute pretióque primas tenet! ut Cælites terrigenásque divina fructûs suavitate & præstantia reficit, delectat, exsatiat!

3. Reg. 19. v. 5.
Ion. 4. v. 5.
Isa. 30. v. 2.

Sedeat Elias atque *obdormiat in umbra juniperi*; non invideo: habeat suam sibi Jonas hederam, *ut sit umbra super caput ejus*; gratulor: quærant infelices Solymæ cives perfugium, habeántque *fiduciam in umbra Ægypti*; non impedio, non angor, non sequor: Hæc mihi palma, hæc umbra placet: hæc mœstam lætificat mentem, recreat fessam, æstuantem refrigerat, esurientem pascit, infirmam roborat, protegit in discrimine, insidiásque alicubi metuentem armat. O quàm suaviter sedeo ad sacratissimos hosce pedes, tamquam geminas cælestis templi columnas! quàm secura quiesco

Et utilis.

esco ad has plantas, velut ad perennes gratiæ scaturigines! quàm felix & læta dego ad hæc crura, salutis signa, victoriæ trophæa, humani generis fulcimenta! Si pœnas in mentem revoco, dolore crucior; si *fructum* degusto, solatio perfundor: Dilecti labor & ærumna lacrymas ciet; amor & gloria cælestibus flammis mentem succendit: quot pendentis in Cruce verba audio, tot spicula excipio: quot virtutum exempla specto, tot fructus carpo: quot meritorum thesauros numero, tot gaudiorum pignora, cùm volo, invado. Si hoc Dilecti potest *umbra*, quid poterit Dilectus? si tantus est in Cruce, quantus in cælo fore existimandus est?

§. VI.

Ac præstans.

O *Vmbra* sidereis quoque corporibus solidior! *umbra*, quæ non nigricat, sed nigredinem abstergit: non obscurat, sed illustrat: non evanescit, sed perdurat: non otiosa torpet, sed adjuvat: Et in *hac umbra alarum tuarum*, mi JESV, non sperem? in auxilio, protectione, benevolentia tua non exultem? In hac lucidissima vitæ *umbra non timebo* tenebrosam *mortis umbram*: neque enim Caro, Mundus, Orcus, Mors ad hanc umbram plus mihi sunt, quàm umbræ.

Ps. 16. v. 8.

Ps. 22. v. 4.

Crux Christi parit Crucis desiderium.

O ergo millies iterúmque millies me beatam! quæ *sub umbra illius quem desideraveram*, tamdiu Numinis favore *sedi*, atque etiamnum sedeo. Sed, an semper sedebo? non tandem altiùs insurgo? nondum in Cruce pendeo? quando dabitur, ut & ego *ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus*? imò fructum, qui instar omnium est, Dilectum? non cupio plures; hic unus sufficit. Quamdiu sub spinis redimito capite membrum ero delicatum? quousque laudabo *Crucem*, & Crucem non feram? amabo Crucifixum, & non ero ipsa quoque Cruci trabalibus clavis suffixa? quando Sponsa Sponso sanguinem pro sanguine rependam? quando

do Soror cum patiente Fratre patiar? quando Filia cum moriente Patre moriar? aut illi, qui pro me in pœnis mortuus est, inter pœnas, dum spiro, vivam? Cur hi mei pedes ad malum tam celeres, quàm segnes ad bonum, ferro non terebrantur? cur manus juris legúmque violatrices clavis non compunguntur? cur caput pervicax, inverecunda frons, tempora inertiæ mancipata hispidâ spinis coronâ non confodiuntur? cur gelidum torpore pectus, cur indocile atque ingratum cor militari lanceâ non traiicitur? cur membra, nervi, venæ, quæ toties non leves contraxêre noxas, in Crucis æquuleo pro meritis non distrahuntur?

Habes, ò Dilecte, si vis æmulam, certè ream: quæ mille dignam crucibus se agnoscit; tuâ tamen se Cruce fatetur indignam: ad tuam sedere amat; quia ascendere non audet: quacumque aliam parata ferre, imò percupida; quia meruit: sine Cruce enim Crucifixi ancilla vivere non vult. Quid ergo postulat? corroborari gratiâ, charitate ignescere: quid ampliùs? *aut pati, aut mori*. *S. Teresia.*

Christus. EXaltatus à terra, omnia traham ad meipsum. *Ioan. 12. v. 32.*

EXEGESIS.

§. VII.

Crucifixi potentia, omnia ad se trahentis. *Io. 12. v. 32.*

SIc perge, Philothea. Proximus est ad transformationem gradus, Crucem ardentibus votis exoptare. Ita places, ita ex animi sententia mei sentis. Quod olim dixi, méque facturum spopondi. *Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*: id quidem semper factitavi; maximè tamen in Cruce factum dedi: & nunc facere non desisto. Tanta

ta mihi eſt, fuitque ſemper humani generis cura, tantus amor! Me homo, ego hominem *traho*; non violentiâ, ſed charitate.

Cùm ſederem altiſſimus in cælis, in throno gloriæ, in ſinu Patris, annon eò me extrema hominum calamitas commovit, atque ad ſe *traxit*, in terram; ut jacére in ſtabuli fœno non erubeſcerem? At, ne terra de me triumpharet, annon illam ego mox ad me, ínque mei amorem *trahere* cæpi? Obſtupuit Eliſabetha Joannem in utero exilientem, ut mihi gaudens occurreret: at ego *traxi*. Vidit Bethlemi tugurium paſtores, relictis gregibus ad obſequium accurrentes: at ego *traxi*. Mirata eſt Jeroſolyma peregrinos ex Oriente Reges, cum muneribus advolantes: at ego *traxi*. Spectavit Solymæ populus Simeonem decrepitum, vacillanti greſſu ad templum properantem, ut Salvatorem mundi cerneret: at ego *traxi*. Quis porrò Petrum & Andream ex navigio, Jacobum & Joannem à Patre, Matthæum & Zachæum à nummaria menſa evocavit? nónne ego *traxi*? Quis Magdalenam, ut meos lacrymis pedes lavaret? quis Nicodemum, ut concubia nocte ad me ventitaret? Quis integras turmas, pagos, oppida, ut ad me in Synagogas, in campos, ínque deſerta loca concurſum facerent, excivit? nónne ego *traxi*? Quis etiam gentiles è remotis regionibus, ut me videre, audire, venerari percuperent, adduxit? nónne ego *traxi*!

In cunis.

In vita.

In morte.

Hoc equidem depreſſus in terra potui; Quid verò *exaltatus à terra*? quando cælum inter & terram medius pependi? *mediator Dei & hominum* factus, *ut facerem utraque unum*? annon *omnia traxi ad meipſum*, ut ima ſummis conjungerem? *Traxi* profectò Patrem ad clementiam; reum hominem ad ſcelerum deteſtationem: *traxi* cælum ad patrocinium, terram ad obſequium: *Miſericordiam & Veritatem* ad amplexum, *Juſtitiam Pacémque* ad *oſculum*: *traxi* Solem

1. *Tim.* 2. 5. *Epheſ.* 2. v. 14.

Pſ. 84. v. 11

lem Lunámque ad commiſerationem, ſtellas ad luctum, petras ad indignationem, ipſos ad teſtimonium manes è monumentis.

O quàm chara mihi fuit præda Latro in Cruce pœnitens! Centurio ſub Cruce morti meæ ingemiſcens! turba à Cruce reverſa, pugnis pectora ſua percutiens, quam *ad me traxi*! quàm felix mihi captura fuit, quando integras animarum legiones è limbo, novem Angelicarum mentium ordines ex aſtris, innumeros ex quatuor orbis partibus mortales: ut in homine nudo, deſpecto, damnato, vulnerato, Crucifixo Deum agnoſcerent: me Dominum Regémque ſuum Romani, Græci, Scythæ, Barbari faterentur: mea vulnera, Sanguinem, Crucémque adorarent, pertraxi! Non ergo fruſtra in funeſta trabe pendulus brachia diduxi; ſed ſine laqueo auceps, ſine naſſa piſcator, venator ſine retibus *omnia*, quæ volui, *traxi ad meipſum*, ad lucem, ad vitam, ad ſalutem.

§. VIII.

Poſt mortem.
Pſ.8.v 2.

QVod ſi modicè tantùm *elevatus à terra* tantam in Cruce prædam cepi; quantam immenſus in homines amor ceperit, poſtquam *magnificentia* mea *elevata eſt ſuper cælos*? *Traxi* enimvero, atque adhuc nullo non tempore *traho* alios per miracula ad fidem: alios per pœnitentiam ad gratiam: hos ad amorem per beneficia; illos per exempla ad imitationem: plurimos quoque in paucis dilectos, per Crucem ad intimam cum Deo familiaritatem, ſumámque mecum unionem: per integram ſuimet victoriam, contemptum, & expoliationem ad excelſum veræ ſanctitatis apicem: per heroicam ardentiſſimæ charitatis patientiam ad inſignem æternæ felicitatis gloriam.

Quot Principes, Reges, Regináſque *traxi*; ut coronis, opibus

opibus deliciisque postpositis, divino se obsequio manciparent? quot teneros adolescentulos Virginésque; ut illibatam corporis animíque integritatem mihi consecrarent? quot opulentos delicatósque viros; ut erogatis in pauperes divitiis, me in fame, siti, nuditate, sexcentísque aliis vitæ incommodis læti sequerentur? quot ingenio atque indole præstantes animos; ut abdicata penitus libertate, sub suavi obedientiæ jugo, non secus ac trochus aliquis, ad alienum arbitrium se gyrarent? quot denique quantósque mortalium exercitus ex omni hominum consortio ad desertos Ægypti montes, specus, silvásque: ex charissimorum parentum sinu, amicorúmque complexu ad religiosa sacrorum mihi Ordinum claustra: ex omni sexu, ætate, conditione ad gloriosa pro fide certamina, ipsámque mortem, per immanes cruciatus, omniáque tormentorum genera audacter quærendam, lapsis retrò sæculis *traxi*?

Neque verò in hunc modum, adusque mundi finem omnia eorum, quos ab æterno elegi, corda *ad meipsum* pertrahere desistam; non quidem violenta usurus necessitate, sed casta mentes voluptate inescando; non ut contumaces viléſque servulos, ferreis minarum pœnarúmque catenis; sed ut ingenuos charósque Filios, honestis cælestium donorum blandimentis. *In funiculis Adam traham eos*: beneficiis, quibus Adamigenæ capi solent, irretiam; *vinculis* nimirum *charitatis*. Habet sua hostis humanæ gentis retia: habet funes & catenas; suggestionem, delectationem, consensum: habet infandas, quas obsipet, delicias: habet, quibus in casum impellat, artes, dolos, furorem. Et mihi fortè desint *funiculi*, armillæ, monilia: quæ bonis mentibus iniiciam? illustrationes sole clariores? dulciora melle solatia? ingentes totóque majores mundo spiritus? In mea fortè manu non sit præveniens ad excitandum gratia? comitans ad adjuvandum? ad confirmandum subsequens? quæ veluti splendida

Semper vinculis charitatis.

Osea. 11. *v.* 4.

cælestis armamentarii lorica à fronte, lateribus tergóque & communiat, & exornet? Non sit fortè mihi pro mille artibus infinita sapientia? pro potentia omnipotens voluntas? pro violento robore, divini impetus amoris? Et quis est tam ferreus: quem mea, si paululùm degustetur, non trahat dulcedo? quem mea, si vel in speculo videatur, non capiat pulchritudo? quem mea, si, quâ mortali fas est, seriò expendatur, non rapiat clementissima bonitas, providentissima æternitas, sublimissima denique majestas & beatitudo? Facilè ergo mihi est mortales *ad me trahere*, sed & jucundum. Tametsi enim nullius indigeo; mihi tamen innumerabiles attraho: quia solus esse beatus nolo. Felix est anima, quæ trahentem sequitur; infelix, quæ repugnat: felix, quæ beneficiis inescatur; miseranda, quæ escam devorat, hamum non deglutit: miserrima, quæ, ne à me capiatur, neque cibum degustat; felicissima, quæ, ut præda fiat, etiam Cruce pro hamo *trahi* desiderat: cui mecum pendére, volare est: pro me pati, epulatio; mecum mori, vita.

Philothea. TRahe me post te. *Cant. 1. v. 4.*

EXEGESIS.

§. IX.

Pendére cum Christo in Cruce fervens petit anima.

ECce me! Dilecte JESV. Ego sic pendendo volitare volo: ego patiendo epulari, ego moriendo vivere percupio: ego tibi præda fieri gestio. Ego, ego Crucem pro hamo in corde habeo. Hinc ad divinos provoluta pedes tuæ supplico charitati, clementiam rogo, misericordiam obsecro atque obtestor: animam humi serpentem erige, ad te anhelantem corrobora, ad te tuámque palmam ascendere co-

nantem Philotheam adjuva. Non sufficit Sponsæ sub Cruce Sponsi sessitando tuas contemplari pœnas; sed experiri avet, in Crucem agi exoptat, pati in votis habet. Tecum ergo ut pendeam, mi Crucifixe amor, *trahe me post te.* Ita per clausos in mortem oculos, per purpuratam sanguine frontem, per laceras pugnis unguibúsque genas, per arentia siti labia, per obsessas vepribus spinísque aures, per dulcissimum cor, dolore luctúque plenum, oro quæsóque, ut tuarum particeps pœnarum esse queam. *Trahe me post te.* Non opus est vi; volentem facilémque sequi *trahes.* Si rudi ferro sum gravior; tu mihi magnes esto: si ego vilior pilo; tu succinum: si levior sum atomo, tu mihi solem te exhibe. Tibi præire non datur: æquis comitari te passibus non licet; sequi verò fas est, salus exigit, amor imperat; sed nisi *me* potenti brachio *post te traxeris*, naturæ prohibet infirmitas.

Quam ergo *trahis* exemplo, *trahe* & auxilio: cui desiderium impertis, dona & gratiam sustinendi.

§. X.

NOn vides, quantis viribus, quâ pertinaciâ, quanto studio hinc mundus me splendidis inanitatum laqueis irretire; illinc scelestus Satanæ emissarius dolosis cupiditatum cassibus catenísque abripere; isthinc malesuada caro blandis lenociniorum funibus à Crucis amore, à tuis vestigiis, à beatissimo tuo consortio abstrahere connitantur? Quid ergo me fiet, nisi *me* tu *post te* potenter trahere digneris? Nolo alius quisquam me trahat, sibíque vendicet. Tua sum: à te solo me *trahi* patiar. Quomodocumque *traxeris*, modò ad te *trahas*, gaudebo. Non peto, ut ad Matthæi, Zachæique convivia, ad Marthæ Lazaríque officiosas ædes, ad cælestes Thaboræi montis delicias, ad jucunda miraculorum spectacula me trahas; sed ad te patientem, afflictum, dolentem: Crucifixum.

à Christo trahi postulat, ne abstratur à mundo.

Quodsi necesse fuerit uri, secari, torqueri, pungi, enervari; tu tamen *trahe me post te*. Si per Oliveti fustes hastásque, per Cedronis aquas & saxa, per urbis compita vicósque *traxeris*, sequar: si per Pontificum atria, sputa, colaphos: per Herodianæ aulæ scommata, sannas, verbera: per prætorii virgas, flagella, spinásque *traxeris*, sequar. Si me ad infamem Golgothæ clivum, per compedes & catastas, per faces atque ungulas, per clavos & lanceas, per enses & rotas *post te traxeris*, sequar. *Gloria magna* erit ancillæ *sequi Dominum*: summa Sponsæ felicitas in eodem Crucis throno cum Sponso triumphare.

Eccl. 23. v. 38.

Sic transformatur anima in Crucifixũ.

Bene habet: sentio me trahi tuâ, Dilecte, dexterâ: adverto altiùs à terra me sensim attolli. Invadunt catervatim morbi omnia corporis membra: injuriæ, ludibria, pœnæ densis imbribus famam obruunt: paupertas urget, infortunia premunt, animum curæ exagitant. Rectè est. Vndique dolor, luctus, angustiæ: omni ex parte insidiæ, hostes, pugnæ: quo mecumque verto, nil nisi strages, damna calamitas. Euge, euge! scando *palmam*, prehendo Crucem. Jò triumphe! jam sentio spinas in capite, fel atque acetum in ore, in naribus fœtorem: jam languent oculi sanguine suffusi, sauciantur calumniis aures, sitientia pallescunt labra: jam torquentur brachia atque humeri, distrahuntur venæ & nervi, lacerantur artus & articuli: jam venter & ilià tabescunt, genua pedésque obstupescunt, pectus & cor luctu an dolore? gaudio an amore? oppressum an dilatatum? nescio, certè palpitat atque exilire properat; anima tamen; quia centro proxima, in Cruce, in Dilecto, in Deo suaviter conquiescit.

Absit

Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi. *Galat. 6. v. 14.*

Philothea

EXEGESIS.

§. XI.

Gaudium animæ pro Christo patientis.

SPectate Cælites, & triumphum canite: cernite mortales & gratulamini. Ecce, Philothea, felicissima Crucis appendix, pulcherrima Dilecti umbra, gloriosa Crucifixi ancilla! Quid miramini? fortè patibulariam gaudio exultantem? Pendeo quidem; sed quò longiùs à terra, hòc cælo propiùs: nunc tandem non ampliùs humi jaceo; sed illuc evecta sum, ut altiùs non cupiam. Pendeo; non tamen infame spectaculum, sed gloriosum charitatis trophæum: non corvorum pabulum, sed Angelorum delicium: confixa non tam clavis, quàm jaculo amoris: dierecta, sed electa: numquam magis libera, quàm sic ligata; quia Dilecto proximè conjuncta. Pendeo, non sine dolore; at dolorem absorbet amor: non est supplicium sic pati, sed grande Numinis beneficium: non dedecus sic crucifigi, sed gloria cum Domino ancillam eadem sede collocari.

Gloria in cruce.

Absit hoc à me nefas, ut me Crucis pudeat, quam honoris causâ Heroës Christiani gestant in palliis, sacri Mystæ in consecratis vestibus, Reges Cæsaréſque in coronis, ipsi denique summi Hierarchæ in mitris & pectoribus. *Absit* à me, ut non maximo semper in pretio ponam, non dico minimam sacrosanctæ Crucis particulam; sed & solam illius effigiem, sive ex ligno sculptam, sive æri incisam, sive in fronte, ore, pectore expressam, aut in aëre formatam. Quid enim? annon in illa salus mundi pependit? vita *spiritum emisit*? mortéque mortem debellavit? clausit oculos, aperuit

 cælos?

cælos? annon Redemptor orbis in hac argentaria mensa lytrum humani generis in libertatem asserendi repræsentavit? annon in hac ara agnus Dei immolatus, atque amoris igne crematus, justam Numinis iram placavit? numquid hoc triumphale vexillum tartareos hostes in fugam vertit? hoc cæleste signum feras domat? venena exarmat? ignes, aquas, fulmina retundit? hoc vitale theta contra corporis morbos, animíque ægritudines præsentaneum fidelibus est antidotum, in periculis præsidium, felix auspicium in rebus agendis? fidei tessera, anchora spei, charitatis incentivum? omnia mundat, sanat, consecrat? Et ego Crucis esse dicíque ancilla erubescam? *absit.* Religioni potiùs mihi ducerem, *non gloriari* cruciariam me esse, Crucem Domini mei IESV Christi adorare; meam ferre: in ista vivere; in illa mori.

§. XII.

Vera & summa.

AVdite mortales! quomodocumque de vera hominis gloria sentiatis, non laboro; sentietis autem facilè mecum, si rectè sapitis: Ego non famâ vel honore, non opibus aut genere, non formâ sive robore, non sapientiâ seu artibus, non potentiâ vel amicis, non auctoritate aut armis, non omnibus, quæ spatiosus hic orbis complectitur bonis, si mea forent omnia, gloriandum mihi arbitrarer. Quid? ergo nulla mihi gloriandi causa est? Enimverò est vel maxima. Vultin' scire? Ego Cruce Dilecti mei glorior, quia vitæ arbor est: meâ verò lætor, quia pretiosum illius segmentum est: illam adoro, quam ipse pro me tulit; hanc amo, quam mihi pro se ferendam imposuit: in utraque meam ego felicitatem gloriámque colloco: aliam non ambigo excellentiæ prærogativam: alios, quàm qui à Cruce, veniunt, nolo honorum titulos. Num nam rectè? ánne non summa dignitas est, similem esse Dilecto, etiam Crucifixo? summus animæ honos,

honos, eodem triumphali curru cum Rege gloriæ cæleste capitolium intrare? nónne Crux Dilecti, mea est; quia illius mihi pretium ipse donavit? meam verò Dilectus jure sibi vendicat; quia illam ego Dilecto consecravi; ipse pretium illi de sua adjecit?

Glorietur Nabuchodonosor celsis firmatâ Babylono mœnibus, quam ædificavit *in gloria decoris sui*: ostendat Assuerus *divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ suæ*: jactet suam Salomon præ cunctis Regibus sapientiam, Samson admirandam in tenera capillorum acie fortitudinem, Absolon præstantem formæ elegantiam. Gaudeat David frequentibus è debellata Palæstina triumphis, Josue calcatis triginta Regum jugulis, Moyses stupendis prodigiosæ virgæ signis: Blandiatur sibi, plausúmque captet Esthera regalis thori consortio, Juditha opimis Assyriorum spoliis, Thecuitis blandâ sapientiæque plenâ sermonis suada.

Inanis verò mundi est gloria. *Dan.* 4. *v.* 27. *Esth.* 1. *v.* 4.

Omnem hanc laudis gloriæque segetem illis non invideo: Gloria mea, Crux est Christi. In hac, sapientia mea, sequi Dominum: potentia mea, vincere mundum, carnem, dæmonem: robur meum, à cælestis mei Atlantis tergore: pulchritudo mea, à candidi & rubicundi Sponsi genis: divitiæ meæ, infinitus meritorum thesaurus: decus meum, pretiosa sanguinis divini purpura: arma mea, clavi, & lancea: nobilitatis meæ insignia, quina Christi vulnera: amicus unus instar omnium, Dilectus.

In Cruce Christi radix gloriæ.

Gloria mea, ut simul omnia dicam, hæc est: quòd tanti me fecit æternus Dei Filius; ut in Cruce mori pro me parvi fecerit: quòdque non minùs mirum est, me quoque non indignam censuerit; ut pro se Crucem pati discerem. Sic gloriabor, dum spiro in terris, dum vivam in cælis. Cui hæc non est gloria, is demum extremè est inglorius. Neque enim falli potuit, qui dixit: *Omnis caro fænum, & omnis gloria ejus quasi flos agri*, qui flaccescit, & cadit: *sicut fumus, qui à vento diffun-*

Isa. 40. *v.* 6. *Sap.* 5. *v.* 15.

2.Machab. 2. v. 62. *diffunditur*, atque evanescit: sicut *stercus*, quod contemptui atque horrori est: & *vermis*, qui viscera animamque corrodit.

Quisquis ergo hanc quærit amátque gloriam, meliore non est dignus: in ipsamet sua gloria inferis ridiculus, Cælitibus miserabilis & contemptus.

Philothea

PEr quem mundus mihi Crucifixus est, & ego mundo. *Galat. 6. v. 14.* Christo confixa sum Cruci. *Galat. 2. v. 19.*

EXEGESIS.

§. XIII.

Mundus, Carnifex.

O miseranda mundi mancipia! quam vobis aliam conferre gloriam potest Mundus: ipsemet infelix, despicabilis, atque execrandus malorum carnifex, bonorum patibularius? Quid indignamini? quid spumanti ore dentes stringitis? Carnificem dixi mundum; negate, si potestis. Quot ille vobis candentes admovet curarum forcipes? quot infames incutit cupiditatum virgas? quoties vos, ceu reos neci destinatos, bonis famáque malè mulctatos, etiam capite, fide inquam, gratiáqe plectit? quoties vana spe, veluti laqueo suspensos, miserè suffocat? quoties inani fractos labore crudelibus nefandorum scelerum rotis lacerat, atque innectit? quot millia millium eorum, quos sibi devotos habuit sectatores, æternis tandem flammis injecit? Patibularium dixi: nemo certè reorum fuit umquam malâ pessimâ cruce dignior.

Et patibularius. 1. Io. 2 v. 16

Dicite: annon *omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*? quis ergò damna

damna enumeret, quæ tribus hiſce facibus, velut furioſus tartari incendiarius, humanæ genti afferat? Annon ubique ponit offendicula, & incautos mortales in Syrtes ſcopulóſque peſſimis exempli, sceu callidus latro pertrahit? Vnde ergo vox illa comminantis? *Væ mundo à ſcandalis*? Annon divinas humanáſque leges, ceu infamis falſarius pervertit? ſplendidis pollicitationum fraudúmque præſtigiis mendaciſſimus impoſtor cupidos mortales decipit? mordaces fumos, fugaces umbras, fucatum nihil ingenti pretio vendit? *præterit enim figura hujus mundi*; ut pleno ore teſtantur *omnes viri divitiarum*, qui ſuas mirabantur opes; tandem verò *nihil invenerunt in manibus ſuis*: magno ſuo experti malo, nihil prodeſſe *homini, ſi univerſum mundum lucretur*; *animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*. Et tam ſceleſtus orbis everſor non agatur in crucem?

Adhæc, quanta Mundi eſt perverſitas, cujus *amicitia inimica eſt Deo*? cujus impulſor & violentus princeps eſt *rector tenebrarum*? cujus mores, vita, leges, ſunt *coinquinationes*? cujus ſapientia, quâ tumidus ſe jactat, *ſtultitia eſt apud Deum*? Quanta illius impietas? qui præfractè cæcus nec *Patrem*, nec *Filium cæleſtem novit*, malitiosè ignorat, ſolem lucémque ſuam excludit? qui Servatorem ſuum medicúmque *odio habet*? atque eò infelicitatis prolapſus eſt, ut *Spiritum veritatis* ſanctum *non poſſit accipere*: quódque auditu terrificum eſt, ipſe mitiſſimus JESVS ſe *de hoc mundo non eſſe*, atque *pro hoc mundo non rogare*, palàm omnibus teſtatum voluerit? qui denique *totus*, tamquam putridus in terra fungus, bibula in ſalſo mari ſpongia, peſtifera in igne ſalamandra: *totus*, ajo, *in maligno*, in fæcibus malitiæ atque impietatis *poſitus eſt*? Et non mereatur patibulum pro domicilio?

Matt. 18. *v.* 7.
1. Cor. 7. *v.* 31.
Pſ. 75. *v.* 6.
Matth. 16. *v.* 26.
Præfractè malus.
Iaco. 4. *v.* 4
Epheſ. 6. *v.* 12.
2. *Pet.* 2. *v.* 20.
1. *Cor.* 3. *v.* 19.
Io. 17. *v.* 25
Io. 15. *v.* 19
Io. 14. *v.* 17
Io. 8. *v.* 23
17. *v.* 9.
1. *Ioan.* 5. *v.* 19.

§. XIV.

Damnatus *Io.12.v.31*

AT non impune tulit. Deprehensus, accusatus, convictus pœnas tandem, quas meruit, dedit. Capitis illi sententiam denunciavit, qui dixit: *Nunc judicium est mundi: nunc*, quamprimùm scilicet *exaltatus fuero à terra, princeps hujus mundi eiicietur foras.* Noë quidem jam olim *aptavit arcam in salutem domûs suæ, per quam damnavit mundum*: sed, quia resipiscere noluit: Christus, Dominus meus, sacravit suo cruore Crucem, *in salutem* humani generis, atque per illam denuo *damnavit mundum*, ejúsque arguit avaritiam paupertate, superbiam demissione, continentiâ luxum atque voluptates: damnavit mollitiem tolerantiâ, obedientiâ libertatem, odia dulcedine & charitate: *damnavit* sævitiam mansuetudine, segnitiem labore: religione impietatem, veritate dolos, constantiâ levitatem, potentiam infirmitate, gloriam contemptu.

Hebr. 11. v. 7.

Stabat equidem JESVS innocens ad Romani Præsidis tribunal, quando per impia Judæorum ora impius clamavit mundus ad Pilatum: *Crucifige, Crucifige eum.* Stabat autem eodem momento mundus, Barabba sceleratior, ad divinæ justitiæ forum; cùm illico totus cælestis curiæ Senatus sententiæ Christi subscripsit, talionis pœnam mundo decrevit, atque ab universis subselliis conclamavit: *Crucifige, crucifige eum.* Nec mora: in Crucem actus est mundus, quando charam sibi palmam conscendit Christus: hîc, quia suam demissè contraxerat magnitudinem, parvâ atque angustâ suffixus est Cruce: ille, quia fastu immensum quantum sese inflaverat, præmagnâ opus habuit. Non suffectura erat illa damnati latronis furca: nimis honorifica; quia Domino vicina. *Contra solem* itaque *suspensus est*, è regione Servatoris; ut quem oderat viventem, mortuum timeat, atque aspiciat triumphantem: pro cruce totus illi terrarum factus est orbis:

Luc. 23. v. 21.

Crucifixus

Num. 25. v. 4.

bis: clavi; luctus, dolor, infamia: carnifex, dæmon. Sic ergo in quatuor distrahitur partes, qui magnam orbis partem à Conditore suo abstraxit: stat inverso confixus corpore, qui divina humanáque omnia susdéque habuit: stygio infernè fumo involvitur, qui fumos vendidit: duos utrinque appensos habet molossos: discordiam, atque invidiam, qui æternas cum cælo inimicitias exercuit. Sic pendet infelix impietatis anathema, terræ probrum, cæli nausea, sanctarum mentium & horror & ludibrium: ut adeò jam pueri puellæque, à Christo saniora docti, mundum tamquam furciferum execrandum fugiant: ut solam tam scelesti capitis appellationem fastidiant: *mundum diligere*, vel *ea, quæ in mundo sunt*, crimini ducant, ídque unum totis viribus satagant; ut in mundo extra mundum degant.

1. Ioan. 2. v. 15.

Et mihi sanè hic *mundus* pro patibulario est: *ille mihi crucifixus, ego* illi: Illius adulatores, sunt mihi rapaces corvi: illius promissa, infames laquei: illius dona, verminosa penduli cadaveris frusta. Nauseo illius delicias, honores despicio, minas rideo: horreo conspectum, leges moresque conspuo & conculco. Non nescio me illi quoque despicatui, & veluti cruciariam horrori esse; at hæc mea est gloria, meam illi Crucem tormento esse. Ab impio sugillari, virtutis est argumentum. Crucem ferre auream gemmisque distinctam, non facit despicabilem; sed gloriosum reddit: non Crux, sed crucis causa modúsque dedecorat, aut exornat: infamis est illa, quæ decretum sceleribus est supplicium; quæ verò spontaneâ virtutis exercitatione assumitur, ea mirum quantum illustris est, terræ cælóque admiranda.

Ideóque contemnendus.

Felix ille, qui mundo crucifixus.

Habeat ergo me mundus inter Crucifixos; non indignor: gaudeo, exulto, triumpho: quia *Christo confixa sum Cruci*: an aliquid accidere mihi possit honorificentius? *confixit* amor: quid expectem pulchrius? pro clavis adhibuit religionis vota, vitæque Christianæ præcepta: quid decentius?

Iterúmque Felix, qui Christo confixus.

pro cruce voluit ipsam mihi esse religiosam castigatámque vivendi disciplinam: quid nobilius? Hinc ego non jam, quò volo, vado: quod lubet, ago; sed quò ducit obedientia, quod charitas jubet; quia *Christo confixa sum Cruci*: hinc *cum* depressis cautè *oculis pepigi fœdus*, ne curiosè evagentur: *sepivi aures spinis*, ne pernitiosis pateant sermonibus: posui *custodiam ori, labiisque meis*, ne verba tacenda egerant, vel gulæ serviant; quia *Christo confixa sum Cruci*. Sic judicium meum alieno lubens subiicio: voluntatis amores, desideria, gaudia, spes & timores non meo, sed majorum nutu tempero: quidquid ago, quidquid molior, ad imperantis normam dirigo: sic totum corpus jejuniis, votis, planctu, vigiliis, labore, virgis, setis aliisque afflictationibus excrucio; *quia Christo confixa sum Cruci*. Sic *mortificationem IESV*, sic *stigmata Domini mei in corpore meo porto*: sic, sic *vivo ego jam non ego: vivit verò in me Christus*: sic, sic sum transformata in Christum; quia *mundo Crucifixa sum*: læta, beata, gloriosa; quia *Christo confixa*.

Iob 31.v.1. *Eccl.* 28.v. 28. *Ps.*38.v.2. 2.*Cor.* 4.v. 10. *Gal.* 5.v.17 2.v.20.

SCE-

SCENA III.

Christus.

VEni Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. *Cant.2.v.13.14.*

EXEGESIS.

§. I.

PRæclarè fortitérque tuam egisti, Philothea, personam, Sponsum secuta usque ad Crucem: mihi *confixa Cruci*, atque in Cruce mundo mortua. Nunc meam in te formam video expressam: nunc pulcherrimum fidelis Sponsæ nomen tibi confirmo: nunc verè *Columbam* te meam agnosco; non modò mecum gemere, sed etiam passis in Cruce alis volare doctam. Quid si autem ex *Columba faciam* Phœnicem? cúmque modò niveum ab innocentia candorem acceperis, à Cruce purpuram; ego etiam ex cineribus, in quos te charitas redegit, novam, integram, vitáque meliore donatam te tibi restituam? Ita mihi mos est: non finit cor meum, charitate plenum, animam mecum crucifixam, diu sine solatio arescere: non semper in pœnis agere permittit; sed à Cruce transfert ad thalamum, à doloribus ad delitias, ad gaudia ex mœrore. *Volo* enim, *ut ubi ego sum, & illa sit mecum*: quæ mecum moritur, mecum vivat: quæ gustavit amara, dulcedine repleatur: quámque ignominia depressit, gloria exaltet. *Veni* ergo *Columba mea*, phœnicis æmula: *veni*, & post longum in Cruce volatum, quiesce: mortua es mundo, itaque in sepul-

Animam secum crucifixam Dilectus solatiis divinis recreat

Ioan.17.v.24.

pulchro: in nidulo, inquam, desideratissimo tibi simóque te compone, imò rediviva dulciter respira; ut, quia Christo vivis, gaudeas in Christo.

Ad sacra vulnera invitat.
Isa. 60. v. 8

Non ignoras, quid solemne sit columbæ: nónne excelsas amat petras? nónne post varias accipitrum insidias volando fessa, ad nota sibi foramina sese recipit? vel ad securam *maceriæ cavernam* convolat, ibíque velut *ad fenestras suas* sessitando, rapaces milui ungues eludit, pæana grato murmure canit, viresque jucundissima quiete instaurat? Ecce tibi *petram*, omni pretiosiorem adamante! En, quatuor manuum pedúmque *foramina*, pyropo clariora! En, *maceriam* mei corporis, aheneo muro firmiorem! En, pectoris vulnerati *cavernam*, opulentis regum aulis locupletiorem! An est, quod ampliùs desideres? Cæli Rector, Salvator mundi, animarum Sponsus tibi pro *Petra est.* Ingredere *in* hanc *petram, columba mea, & absconde te in hac fossa*, quâ tutior celsiórque nulla, nulla beatior. Hîc ego *te ponam in foramine petræ* cum Moyse; ut, quoniam faciem divinitatis meæ nondum intueri vales, mortali adhuc corpore involuta; saltem *posteriora majestatis gloriæq; meæ videas*, & veluti per paralaxin cõtempleris. *In hac petra exaltabo te*; ut totum, quem despicis, mundum pedibus conculces: hæc *petra refugium herinaceis*, tibi jucundissimum amoris conclave fiet: *super hanc petram*, veluti sacratam Numinis aram, *pone* tua sacrificia; & cælesti igne conflagrabunt: hîc famem sitímque pasce: hîc *suge mel de petra oleúmque de saxo durissimo*, quod non Moyses *percussit virgâ*, sed *lanceâ miles aperuit*: in meæ, inquam, divinitatis viscera per vulnera ingredere, in illa te absconde: æternam Sponsi bonitatem, totâ animâ totis viribus, totáque mente laudando, amando, meditando ut columba, te penitus immerge: ubi, ubi fueris, in hac simul divinitatis *petra*, in *maceria* humanitatis esto: quidquid videris, gustaveris, audieris: quidquid agas, dicásve, non nisi per hæc *foramina*, audire,

Christus petra mirabilis.
Isa. 2. v. 10.
Exod. 33. v. 22.
Ps. 26. v. 6.
Psal. 103. v. 18.
Iud. 6. v. 20
Deut. 32. v. 13.
Ioan. 19. v. 34.
In qua respirat anima.

audire, gustare, aspicere memento: non nisi in hac *caverna* tibi faciendum dicendúmque puta.

§. II.

NVmquid enim quina hæc vulnera, non minùs ac reliqua redivivus abolere potui? quâ ergo de causâ in glorioso corpore ea retinere? cur cælis etiam inferre? cur ad dexteram Patris in sede majestatis collocare volui? Nimirum, ut essent cæli sidera, Cælitum spectacula, irati Patris placamina, tibi mortalibúsque cunctis perennia amoris monimenta.

Vulnerum Christi excellentia, & utilitas.

Ad hæc *foramina* charas mihi animas invito, tamquam ad tranquillissimos in tempestate portus, ad patentia felicitatis ostia, ad insuperabilia arcendis hostibus propugnacula, ad plena cælestibus loricis telísque armamentaria, ad exoptata bonæ spei promontoria. Ad hæc vulnera, ad hos gratiæ fontes anhelant, dicatæ cælo mentes, non secus ac *cervus ad fontes aquarum*: ad has salutis apothecas, ut æger ad desiderata vitæ pharmaca: ad has meritorum fodinas, ut avarus ad gravidos auro montes: ad has *refugii civitates*, ut reus ad unicum in deploratis rebus præsidium: ad hos deliciarum hortos, ut apis sedula ad floridos madidósque rore campos. Sapienter profectò; In his námque cælestis chrysopæi quinque fornacibus ardent, & liquescunt charitate: in his alvearibus solatiorum mella eliquant: ex his libris cælestem hauriunt philosophiam; ex his pharetris ignita jacula corripiunt: ex his gazophylaciis divini sanguinis depromunt gemmas, lacrymarum margaritas, immensos virtutum sanctimoniæque colligunt thesauros.

Ps. 41. *v.* 2.

Iosue 21. *v.* 36.

§. III.

TV quoque nunc gaudio exultas, Philothea, & non minùs reverenter, ac cupidè ingrederis. Placet: hoc volebam;

lebam; magnum operæ pretium eſt, in hæc ingredi *foramina*, perpetuum eſſe hujus *petræ habitatorem*: mira claritas, in hac latére *caverna*: ſumma ſecuritas, hanc præ omnibus turritorum mœnium faſtigiis *maceriam* amplecti.

Vulnera Chriſti imprimenda cordi.

Non neſcio, meis te ſacris vulneribus mirificè delectari. Et quis me amat, qui ea non diligat? Volo autem, ut illa tuo quoque cordi indelebili caractere inſcribas: tunc denique glorioſa eris, & libera, ſi meis ſtigmatibus compuncta fueris, atque inſignita. In hac ergo *petra*, ò quali chalchographica officina! ſculptorem invenies Amorem: nemo alius incidit profundiùs: nemo meliùs ad vivum exprimit, varióque emblemate pulchriùs repræſentat. Hoc igitur age, ut, ſi has vulnerum meorum notas non datur ferre in corpore, feras in mente.

Habebis enimverò quot vulnera, tot ſpecula, quæ te exemplo moveant: tot ora, quæ pro te in cælis verba faciant: tot vulnera, quæ divino te lacte nutriant: tot ſoles, qui æthereis te radiis illuſtrent: tot magnetes, qui te à terris ultra ſidera raptam ad divinitatis thronum ſuſpendant. Hæc tibi erunt teſſeræ cæleſtis hoſpitii, inſignia nobilitatis, claves miſericordiæ, gloriæ pignora, æternæ pretia felicitatis. Confecta res eſt, ſi mea in te vivant vulnera; tu in vulneribus.

Dile-

Dilectus meus mihi, & ego illi: qui pascitur inter lilia. *Cant. 2. v. 16.*

Philothea Angeli, Virtutes.

EXEGESIS.

§. IV.

O Mira Dei bonitas! ò charitas nullis explicanda verbis! nullis humanæ mentis cogitationibus emetienda largitas! Quantulum est id omne, quod pro Dilecto pertuli? Et quanta pro tenui labore merces rependitur? quàm abundans pro modico cruciatu gaudium? quàm excelsa pro exiguo contemptu gloria? Quæ nuper in Cruce non longo tempore pendebam cum Dilecto; nunc in felicissimo Amoris conclavi perpetua habitatrix versor cum Dilecto. *O petra* pretiosa! ò chara *foramina*! ò nobilis *maceria*! ò *caverna* jucundissima! Nulla hîc durities, nulla sterilitas in *petra*: non dolor, non deformitas in *foraminibus*: non ruditas, non casus timendus in *maceria*: non obscuritas, non ingrata solitudo in *caverna*. Stat tota ex æthereo adamante *petra*: ex jaspide, sapphiro, smaragdo, topazio *foramina*: tota *maceria* amethistus est, carbunculus *caverna*. O corpus Virgineum! ò sacra vulnera! ò amabile pectus! ò cor fidelissimum Dilecti! Quanta in hoc corpore latet sanctitas! quanta in vulneribus potentia! in pectore sapientia! in corde regnat charitas! quanta ubique majestas, abundantia, beatitudo, divinitas!

Anima in vulneribus Christi habitantis deliciæ.

Placétne vobis, ò mortales, audire, quid in hac *petra* dies noctésque factitem? Hîc *Dilectus meus mihi* loquitur; *& ego illi*: ille *mihi* cælestia reserat secreta; *ego illi* mea manifesto desideria: *ille mihi* solatia affundit; *ego illi* lacrymas remetior: *ille mihi* gratiam accumulat; *ego illi*, quas possum,

Ex transformatione in Dilectum.

Xxx laudes

laudes accino: *ille mihi* divinas apponit epulas; *ego illi* cordis mei sportulam rependo: *ille mihi* castissimè blanditur; *ego illi* summâ demissione grates habeo: *ille mihi* honori, exemplo, præsidióque est; *ego illi* curæ gaudióque sum & voluptati. Hìc *Dilectus meus mihi* absolutissimam virtutis sanctimoniæque ideam se præbet; *ego illi*, ne sim deforme ectypon, ad mores formámque tam præstantis archetypi me compono. Cùm ille candet, candico: cùm rubet, erubesco: si gemit, orat: oro, ingemisco: Si gaudet, triumphat; triumpho, gaudeo: cum indignante, indignor: placida sum cum placato. Quidquid agat, applaudo: quidquid amat, amo; odi, quæcumque ipse odit. Sic ille suam *mihi*; *& ego illi* meam voluntatem mentémque tradidi, & pleno jure transscripsi. Hìc in dextro *foramine* disco liberalitatem, diligentiam, justitiam: in sinistro patientiam, misericordiam, prudentiam contemplor: ex dextro pede immobilem constantiam, mansuetudinem, temperantiámque haurio: ex sinistro celerem obedientiam, demissionem atque timorem, qui Filiam Sponsámque decet, colligo: in cordis *caverna*, pietatem, sincerum candorem, summámque sine nævo puritatem invenio, mihíque vendico.

Hìc aspicio præterita, præsentia despicio, prospecto futura, suspiro suspicióque æterna. Quid aliud possim? quid velim faciámque aliud? *Dilectus meus mihi* sol est; annon decet, ut *ego illi* sim heliotropium? *ille mihi* thesaurus; cur non *ego illi* scriniolum? *ille mihi* vita, corona, centrum; cur non *ego illi* corculum, trophæum, flamma? *ille mihi* pastor, magister, Dux; cur non *ego illi* ovicula, sectatrix, æmula? *ille mihi* amicus, Frater Sponsus; cur non *ego illi* amica, Soror, Sponsa? *ille mihi* Pater, Servator, Deus; cur *non ego illi* Filia, ancilla, imago, linea, umbra?

Vultis ut paucis dicam omnia? *Dilectus* ex toto *meus* est; *ego* ex integro *illius*. *Ille* à Patre *mihi* donatus, à seipso tra-

traditus, à Spiritu Sancto desponsus: *Ego illi* naturæ gratiæque jure debita, atque insuper propria voluntate perenniter sacrata. Quidquid ille habet, quoties expedit, *mihi* usurpandum impertit; quidquid *ego* vitæ viriúmque possideo, *illi* amando colendóque medullitus impendo. Sic veterem exuta hominem, desideratissima metamorphosi *novum induo, qui secundum Deum creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis*: sic antiquam penitus abiicio formam, illámque altissimè impressam gero, *quâ formatur in me Christus*: sic *Dilectus meus mihi* per divinum amoris illapsum intimè fit conjunctus; *ego illi* maximo, quem mortalis conditio permittit, charitatis amplexu unita; ut in Dilectum tota transeam, tota meipsam perdo: non jam ipsa, quæ fui, sed quam me *format* charitas, artificio prorsus divino; ut sit ille *meus*, ego *illius*: ille *mihi*; ego *illi*: ille *in me*; ego *in illo*: quid amplius? Superi! *ille ego, ego ille.*

Ephes.4. v. 23. & 24.

Gal.4.v.19

§. V.

O Casta, pura, sancta transformatio! sic aurora in diem vertitur, aquæ guttula in gemmam, stilla roris in margaritam. Nihil hîc nisi candidum, sincerum, mundum integrúmque cogitare fas est. *Dilectus*, qui me suo beat illapsu, inque suam transfundit formam, ipse pulchrior est Sole, candidior lunâ, stellis clarior, intacta nive, sincero lacte, rosis liliisque, argentea siderum luce gemmisque fulgentibus longè purior: ideóque non nisi inter nivea Virginitatis *lilia*, lilium ipse divinum pascitur, puritate liliorum gaudet, delectatur integritate, recreatur odore, albedine exhilaratur. Tot certè in cælesti viridiario *lilia*, quot castas mentes numerat: quas inter, velut in lilieto æternùm florido inambulat: Virginea nimirum soboles, Virginitatis corona, Virginúmque Sponsus: qui quemadmodum, quas præ cæteris, ceu

Quam perfecta puritas conciliat.

Sponſas amat, vult eſſe Virgines; ita, ut intactæ maneant, creſcántque puritate, amando facit. Tantùm eſt in cælis Virgineæ integritatis pretium, atque excellentia!

Puritatis præſtantia.

Neque hoc videri mirum debet; quò enim quiſque mortalium Cælitúmque eſt purior, atque tam corporis, quàm mentis incorruptione præſtantior; hòc eſt ſimilior propiórque Deo: qui ex illibata Paterni pectoris ſubſtantia Filium æqualem, ſine ſexu, ſine conſorte, ſine labe, ceu lux lucem, Virgo Virginem, æternus æternum genuit, ſimúlque docuit: rem quidem divinam; minimè tamen ſterilem eſſe Virginitatem. Jure itaque admiratur cælum Virgines, tamquam terreſtres Angelos: ſuſpicit terra, ceu delapſas ex æthere ſtellas: veneratur natura, veluti peregrinas gratiæ gemmas; ipſe ſummus unicúſque naturæ auctor rectórque Deus, non ſecus ac divina quædam cimelia, in pretio habet: atque ut Omnipotenti brachio defendat, innumeris pugnare prodigiis non ceſſat. Illius imperio cælum pro Virginitate certavit, quando falcatam Catharinæ rotam fulmine diſiecit, ardentem Agnetis rogum imbre extinxit: illius voluntate caſto pudori famulatum exhibuit ignis, ut Dunſtanus candens ferrum illæſis tractaret manibus, Kunegunda pedibus calcaret: illius nutu purum Virgineis mentibus obſequium præſtitit, quando Victoriam è tecto præcipitem molliter humi depoſuit: Martinam verò in altum à terra ſuſtulit, atque in regia ſede vivam inter Cælites collocavit: illius juſſu caſtitati ſuppetias tulêre flumina & mare, quando Sebaldus rapaces Iſtri undas, Franciſcus de Paula vaſtum maris æquor pallio pro nave, remis veliſque uſi, transmiſerunt: illius denique providentiâ tellus integritati Virginum prodigiosè conſuluit, quando Theclam aperto montis látere, veluti ſinu excepit: Ægidio ad teſtandam Deiparæ incorruptam ante partum, in partu, & poſt partum Virginitatem, iniquiſſimo anni

Virginitas Deo chara

anni tempore tria nive candidiora lilia repentino partu effudit.

§. VI.

QVid multa? *Dilectus meus* in gratiam Virginei pudoris voluit, ut Glyceriæ crudeles in theatro feræ parcerent: Anthusam triginta duobus annis bestiæ in silvis pascerent: Martinianum delphinus, Helenum crocodilus trans mare fluviósque dorso veherent, Irene denudari non posset, Anatolia serpentem domaret, Agatha terræ motu tyrannum prosterneret, Margarita dæmonem profligaret, Wenefrida à proco mactata in vitam rediret, Gertrudis post mortem suavissimo fragraret odore, Walpurgis salutiferum liquorem exsudaret, Agnes de monte Politiano post funus incorrupto corpore permaneret. *Dilectus meus* in præmium Virginalis pudicitiæ Senensi Catharinæ suum cor, Osannæ stigmata, Claræ de Monte Falco passionis signa, Coletæ sui corporis escam admirabili amoris significatione impertivit: Hildegardi divinarum rerum peritiam infudit, Teresiæ pretiosum amoris vulnus igneo Seraphini telo inflixit: Julianæ de Florentia Crucifixi imaginem impressit, Sitæ panem in rosas, aquam in vinum convertit, portas, pontésque clausos aperuit.

Sæpe mirabiliter defensa.

Dilectus denique *meus* adeò jucundè *inter pura* Virginitatis *lilia pascitur*: ut ea, tamquam peritissimus hortulanus etiam in conjugio, etsi inimico hisce floribus solo, plantare gaudeat, atque artificio prorsus divino inter spinarum aculeos, inter densas tempestatum injurias, inter mundi carnísque insidias pullulare faciat, perpetuóque virore fulgida mirandum superis spectaculum conservet. Testes mihi sunt duo Virginitatis conjugatæ ocelli, cæli sidera, terræ gloria, Josephus & MARIA, Sponsi divinitus in matrimonium

Etiam in coniugio servata.

vocati, idque inaudito omnibus retrò sæculis exemplo integerrimæ Virginitati jungere docti: testes sunt, quos in generosam tantæ virtutis æmulationem tam nobile par conjugum pertraxit, Julianus & Basilissa, Valerianus & Cæcilia, Chrysanthus & Daria, Henricus & Kunegunda, Elzearius & Dalphina Virginei conjuges: testes quoque subscribunt Sancti Conon, Theophanes, Eduardus, Sebaldus, Wandregesilus, Catharina Suecca aliique viri, feminæque complures, quibus in maritali thoro perpetua Virginitas ad mortem usque defensa, palmam tulit: obstupescente fragili natura, ringente orco, cælo applaudente.

Est itaque præclarum Virginitatis decus à *Dilecto* pro lilio haberi: magna gloria, in cælestis Sponsi lilieto florere: quam ut sibi laudem compararet, Brigida lippientes oculos, Balbina strumam à Numine petiit atque obtinuit: Ermenildis ipsa sibi capillos, Euphemia nasum labiáque incidit: Benedictus in sentes, Bernardus in aquas, Franciscus in nives se immersit: Alexius longæ paupertatis ærumnas elegit, Lupicinus & Romanus inter Silvarum tesqua se abdiderunt, Thomas in procacem mulierculam titione, licet captivus, strenuè pugnavit. O si & mihi hæc obveniret **felicitas, ut *Dilectus inter* sua me *lilia* connumeraret!**

Fasci-

FAsciculus myrrhæ Dilectus mihi: inter ubera mea commorabitur. *Cant.* 1. *v.* 12.

Philothea

EXEGESIS.

§. VII.

OHe! quid loquor? nimis ambitiosum est hoc votum: non sum ego tali digna lilieto plantula. Sufficiat mihi in viridario Dilecti inter ignobiles herbas, atque etiam serpylla recenseri. O quàm longè adhuc absum à lilii candore! sunt mihi etiamnum in animo nævi: nondum omnem in affectu curvaturam posui: non semper excelsam ad sidera mentem erigo: non passim virtutis sanctimoniæque odorem spiro, inque alios diffundo. Quid ergo consilii capio; ut nitore, atque integritate auctior, si non datur esse lilium, saltem non ingrata Dilecto nardus fiam?

Vbi desunt lilia, non desit fasciculus myrrhæ.

Gratulor Dilectum puris Virginibus, atque insignitæ perfectionis mentibus Sponsum, candidum candoris præmium, liliis lilium; ego magnificè me excultam arbitror, quòd mihi *fasciculus myrrhæ* esse non dedignetur. Illæ caput coronent; ego pectus armabo: illæ triumphanti Sponso similes dulcè rideant; ego pugnantis æmula suaviter lugebo: illæ rosas gemmásque legant, debita victoriæ virtutique præmia; ego floridos *myrrhæ* surculos carpam, necessaria laboris gratiæque adjumenta: sequar Dilectum, qui antè *myrrham*, quàm *lilia* quæsiturus: *Vadam* inquit *ad montem myrrhæ*, *ad collem thuris*: Illuc comes ero; ad olivarum collem, ad Golgothæ montem festinabo. Quidquid id loci vernat, floret, fragrat, *myrrha est*: gustu quidem nauseanti amara; dulcis tamen amanti, odore jucunda, salutifera virtute.

Cant. 4. *v.* 6

tute. Et quò suspiret aliò fidelis anima *Christo confixa Cruci*? Etiam cùm Cruce caret, Crucem quærit: cúmque non habet quod patiatur; patientis tamen Sponsi memoriâ gaudet, pascitur aspectu, amplexu ad omnem exquisitæ sanctitatis normam fingitur, & convalescit.

Ex patientis Christi signis compositus.

Ecce, uberem *myrrhæ* segetem: amplam ubique patientiæ messem: omni ex parte florent sacra passionis arma, doloris instrumenta, amoris trophæa: in omnibus areolis occurrit Dilectus: hîc triginta venditus *argenteis*, quæsitus *facibus*, ligatus *vinculis*, pulsatus *fustibus*, percussus *colaphis*: illic *velata* facie divexatus à Judæorum fæce, cantante *gallo* negatus à Discipulo, alba *veste* delusus ab Herode, *detractis* indumentis raptatus ad columnam ab impuro satellite, virgis *flagellísque* toto corpore *laceratus* à militum cohorte: hîc video *spinas*, quas gessit in capite: *arundinem*, quam tenuit dextrâ, quem tulit tergore *centonem*: trabalem, quam humeris *Crucem* portavit: *Sudarium*, quod sanguinea vultûs imagine pinxit: Illic *spongiam* cerno felle & aceto plenam, quam ore lambit: *clavos*, quibus manus pedésque perforandos porrexit: *lanceam*, cui pectus feriendum præbuit: duros gravésque *malleos* quorum ictus sustinuit: regium in Cruce *titulum*, quem jure sibi vendicare potuit, sed despexit.

§. VIII.

Animæ amanti utilissimus.

O Pretiosi *myrrhæ* ramusculi! ò surculi cælestes! vos ego præ omnibus paradisi flosculis dignos æstimo: quos pia manu decerpam, atque in fasciculum compingam. Ite quò lubet, Filiæ Jerusalem, ut delicatos florum manipulos colligatis: quibus ex collo pendulis, vel pectorali fasciæ insertis, odorem naribus, vigorémque capiti concilietis; ego ex his *myrrhæ* fruticibus *fasciculum* mihi compono. Istis ego *argenteis* Dilectum, cæli thesaurum emo: hisce *facibus* men-

tem

tem illumino: his *vinculis* collum manúsque, veluti monilibus, atque armillis exorno: his *fustibus* in canes inferos pugno: hac è ferro *chirotheca* libertatem oris castigo. Dilecti mei *velum* mihi est pro tænia, *gallus* pro monitore, *vestis* ridicularia pro stola, *columna* pro fulcro, *flagella* virgæque pro flabellis & penicillis. Sponsi mei *spinæ*, mihi sunt rosæ ad coronam: *arundo* sceptrum, *cento* purpura, *Crux* lectulus; *sudarium* verò arcanum cælestis pulchritudinis speculum. Dulcissimi JESV mei *spongiam* verto mihi in poculum, *fel* atque *acetum* in potionem atque escam, *clavos* in cæli claves, malleos in arma, *lanceam* in trophæum, *titulum* in scutum atque insigne nobilitatis.

Quidquid horum aspicio, Dilectum video: ille, ille meus est *fasciculus*, & quidem *myrrhæ*, sed *electæ*: ille meam servat animam corruptionis expertem: ille divinam redolet fragrantiam: ille caput corroborat, exhilarat mentem, pectus exornat; ideóque cordi meo arctissimè illum adstringo. Cùm *argenteos* aspicio, mox impietatem avaritiæ detestor: dum *faces* intueor, libidinis invidiæque tædas execror: quando *funes* cerno; Mundi dæmonísque laqueos contemplor: quoties *fustes* cogito; non sine dolore miseram peccati servitutem aversor: cùm armatum ferro *pugnum* specto, pestiferæ adulationis memini, & exhorresco. A *velo* continentiam oculorum disco, à *galli* cantu flebilem resipiscentis animi luctum, à ludicra *veste* sapientem Sanctorum stultitiam, à *columna* immobilem in adversis constantiam, à *flagris* virgísque sanguineum tuendæ verecundiæ ruborem. Quid aliud spineum *diadema*, quàm evanidi honoris aculeos mihi repræsentat, docétque demissionem? quid *arundineum* sceptrum, nisi terrenæ potentiæ imbecillitatem in mentem revocat, suadétque obedientiam? quid purpureæ *chlamydis* lacinia, quàm vestiariæ pompæ inanitatem damnat, modestiámque paupertatis commendat? quid ex funesta Crucis *tra-*

be, nisi infamem peccati sarcinam intelligam, & mille cruces mortésque ferre malim? quid ex candida *sudarii tela*, nisi corporis mentísque nitorem accipiam, & cor divinæ imagini imprimendæ syndonem genis Dilecti admoveam? De cæteris quid dicam? *Spongia* noxarum delet maculas, *clavi* configunt petulantiam, *malleus* ad laborandum excitat, *lancea* ad pugnandum animat: titulus invitat juvátque ad vincendum.

Seriò sedulóque contemplandus.

O *inscriptio* vera quidem, sed præ parca! Ita scilicet dictavit scribæ Pilatus: *Rex Iudaorum*. At longè ampliùs Ioanni Angelus: *Rex Regum, & Dominus Dominantium*! ò *lancea* dura, sed fecunda! non *casso vulnere perlata in parietem*, sed in cor JESV impacta: ubi fontem vitæ aperuit, unde *exivit sanguis & aqua*: nimirum, non illam Saulis vibravit furor, sed humanæ salutis amor! ò *malleus* gravis, sed mirificus & animæ pœnitentis *conterens petram*! Væ cordi, quod hoc malleo non frangitur, durius quidem adamante; si malleo non cedit, igni cedet: ò *clavi* crudeles, sed salutiferi! non in *cerebro Sisaræ* defixi, sed in manus pedésque Servatoris adacti, illi tulêre mortem, nobis vitam: ò *spongia* amara, sed pretiosa! ex qua *acetum felle mistum* Dominus hausit, ne servus *fel draconum* biberet. Ecce anima mea, quale *sudarium*: annon *multo labore sudatum est* Dei Filio; ut æternam mortalibus quietem pararet? Ecce, quàm ponderosa crucis *arbor*! en, gigas gemit sub hoc onere: & humeros contrahit, qui *tribus digitis appendit mollem terra*! sic fructus vitæ suam ipse fert arborem; ut arbor mala bonos faciat fructus! Ecce vestimentum! an magis ludibrium? at non erubescit *chlamydem coccineam* hic archistrategus; suam potiùs in his humeris vilitatem chlamys erubescit. Ecce *arundinem*! an calamum dicam? sive enim calamum dixerim *scribæ velociter scribentis*, sive *calamum mensuræ in manu viri*, rem dixi: hic hic vir ille est: qui metitur omnia, ipse immensus; hic est ille Scriba;

Apoc. 19. v. 16.
1. Reg. 19. v. 10.
Io. 19. v. 34
Ierem. 23. v. 29.
Iud. 4. v. 21
Ps. 68. v. 22.
Io. 19. v. 30.
Deut. 32. v. 33.
Ezech. 24. v. 12.
Ps. 44. v. 2.
Ezech. 40. v. 5.

Scriba; qui æterno caractere cuiusque facta, cogitata, dicta scribit, signátque sententiam.

Ecce, pungentes coronæ spinas! *numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Res mira! de istis, si non ficus & uvæ, profectò quot sanguinis guttæ fluunt, tot gemmæ rosæque cadunt. O flagella! *multa* quidem *peccatorum*; at nónne nec unum quidem *appropinquabit tabernaculo tuo*, Deus? ergóne etiam *flagellas hunc Filium*: nimirum pro reis innocentem. O columna! ad te ligatus núdusque tremit, cujus *thronus est in columna nubis*; & *columnæ cæli non contremiscant*? O vestis alba! quid tibi cum meo Dilecto? non est ille albæ mentis homo, *sed candor lucis æternæ*: qui *apprehendit sapientes in astutia eorum*: *candidus* quidem, sed & *rubicundus*. O tristis galli cantus, qui Petro movit lacrymas! Iam non quæro: *quis dedit gallo intelligentiam*? is certè, qui fecit ut gallus Petro sui daret perjurii notitiam. O velum! frustra hanc tegis faciem: is cui oculos obnubis, etiam *videt in abscondito*. Qui videri timet, nil pœnâ dignum faciat. Heu, manus immanis & impia! quem alapâ cædis? *in quem desiderant Angeli prospicere*, tu cruentare audes? næ ferreus fuit, qui te impegit; mitior agno, qui excepit! Heu, fustes duri atque immites! si non licet *hominem Romanum & indemnatum cædere*, quid erit cæli terræque Dominum per contumeliam pulsare? Heu catenæ funésque infames! quomodo ligâstis eum, *qui ligat aquas in nubibus suis*? nemo tenuit, nemo strinxit, nisi amor? Heu, faces infaustæ! Solem quæritis? qui *refulgens radiis suis obcæcat oculos*, clausis invenitur oculis; sed malè illis, qui malè quærunt. Heu, nummi! impium proditionis pretium! quo discipulus simul magistrum vendidit, sibi laqueum emit, ut *suspensus creparet medius*: & qui argenteum corrasit, *viscera effunderet*: an unquam alius bonam mercem viliùs vendidit, malam cariùs comparavit?

Sic ego nunc hunc, nunc illum ex meo *fasciculo myrrhæ* surcu-

Matth. 7. v. 16.
Ps. 90. v. 10.
Heb. 12. 6.
Eccl. 24. v. 7.
Iob. 26. v. 11.
Iob. 5. v. 13.
Iob. 38. v. 36.
Matth. 6. v. 4.
1. Pet. 1. v. 12.
Actor. 22. v. 25.
Iob. 26. v. 8.
Eccl. 43. v. 4.
Act. 1. v. 16.
Fasciculus

est ipse Dilectus supra cor positus.

surculum depromo, meásque delicias haurio: sic Dilectum in oculis, ore, corde numquam non circumfero, & profundissimè insculpo. Nemo certè hunc mihi *fasciculum* eripiet; antè tollet vitam, quàm hanc *myrrham* auferat: dum spiro, inter meas hærebit ulnas, dies noctésque mecum erit: domi forísque non me deseret: *inter ubera mea commorabitur*: ut semper sit in oculis, semper ad manus, semper in corde: sícque memoriam excitet ad imitationem, intellectum ad æstimationem, quódque caput est votúmque meum; ut extimùlet inflammatæ voluntatis ardorem ad perenne amoris incrementum.

Cant. 8. v. 6

Facio nimirum, mi suavissime JESV, quod jussisti. *Pone me*, ajebas, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Dum hunc *fasciculum inter ubera mea* colloco, numquid *te ut signaculum super cor meum pono*? numquid te medullitus menti imprimo? nónne præclaro atque inviolabili signo dicta factáque mea confirmo? tuæ thesaurum gratiæ probè communio? Dum ergo ex *fasciculo signaculum* facio, feliciter planè vitam vitǽque clausulam obsigno; quia quem teneo Dilectus ipse mihi *est fasciculus*; *ipse mihi signaculum* Dilectus.

CHO-

CHORUS

Christus, Angeli, Virtutes.

TOta pulchra es amica mea, & macula non est in te. *Cant. 4. v. 7.*

EXEGESIS.

§. I.

Anima in Christum transformata, totà est pulchra

VAh! Philothea; Tibi mihique gratulor perfectam, quâ ex *fasciculo* tuo fulges, animi venustatem: sic me, sic omnes mecum Cælites exhilaras: sic cunctos in admirationem atque amorem trahis: sic *amica*, sic Dilecta, sic Sponsa es; quia decóra, formosa, *tota pulchra es.* Non te tantummodo *pulchram* dico, atque inter multas numero; sed inter paucas, quia *totam* omnique ex parte *pulchram* conspicor. *Pulchra est*, quam gratia candidam, sanguis meus rubicundam facit: quam sedula cupiditatum edomatio ad symmetriam rationis componit, ac denique debitus virtutum apparatus claram spectabilémque reddit. Quod si levis interdum *macula* compareat: si tenuis pulvisculus adhærescat, aut repentina fumi fuliginisque nota fortuitò aspergatur; illam mea dissimulat bonitas, abstergit clementia, charitas excusat. Sed, quæ ex integro atque adeò *tota pulchra* esse dicíque vult, plus suavitatis à colorum temperie, plus decóris à partium figura & proportione, plus splendoris à luce; nihil verò pulveris: fuliginis, maculatúmque nihil habeat necesse est. Talem ego te divino munere, Amoris magisterio, Sponsi imitatione, glo-

riosâ tui victoriâ, longo virtutum usu atque exercitatione effectam cum voluptate & gaudio contemplor: omnis expertem maculæ, ex toto *pulchram*, corporis animíque cultu ad sanctitatis leges formatam.

Extrà. Quidquid enim tui intus forísque oculis lustravero: meam, hoc est, expressam Divinæ pulchritudinis imaginem intueor. *Caput tuum, ut Carmelus*, excelsum, non elatum: decenter compositum, non calamistratum: aptum regiæ mentis domicilium, non curiosum mundanæ sapientiæ theatrum: *coma capitis tui sicut purpura regis*, densæ quidem & molles; at non ad luxum elaboratæ: fulgidæ & collectæ, non per neglectum sine lege sparsæ: non lasciviæ laquei, sed indices honestatis. *Oculi tui* non accipitrum, crudeles, vagi, fallaces; sed *columbarum*, quàm nitidi, tam pudici: non ad prædam fraudésque facti; sed vigilantiæ candidǽque mentis ministri. *Dentes tui*, non sicut ferarum rictus, mordere, lacerare, gulæ invidiǽque servire sueti: sed *sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro*: fortes, albi, æquales, ad jejunia, cibi potúsque parsimoniam exercitati. *Sicut vitta coccinea labia tua*, roseo Sponsi sanguine toties ad aram purpurata, non fabulis jocísque dedita; sed piis sermonibus divinísque laudibus mancipata. *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua, tam* verecundo rubore, quàm innocentiâ animi foras in vultum emicante, veluti sidereâ quadam cerussâ pictæ. *Collum tuum* erectum validúmque, *sicut turris eburnea*, non servili carnis mundíque jugo attritum; sed soli Deo sanctíque Amoris legibus sese inclinare doctum: non tam monilibus ornatum, quàm claris victoriæ signis torquatum.

Cant.7.v.5

Cant.4.v.1

v. 2.

v. 2.

v. 3.

v. 4.

Cant.7.v.3

Taceo castos piósque digitos inter assiduas preces ad sidera conversos: sileo manus ad dandum paratas, brachia ad omnem pro Deo laborem prompta atque indefessa, pectus setoso cinctu, ceu pudoris arcem, diligenti custodiâ septum: prætereo reliquam corporis habitudinem, ad Di-

vinæ legis amussim exactissimè formatam, ideóque in meis ac Superûm oculis perelegantem. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis*, quibus incedis, ut *Filia Principis*? dum terrenas opes, delicias, honores, favorésque generoso pede calcas: non serico auróve, ut rosis inambules, crepidata; sed ut ad sidera per spinas enitaris, mundi contemptu cælique desiderio, tamquam ferro calceata. *Statura tua assimulata est palmæ*: semper scilicet erecta, non prosperis inflexa, non adversis depressa; quidquid accidat in rebus humanis, semper tibi similis, victrix atque inconcussa. *Tota pulchra es, & decóra sicut Ierusalem*: illi quidem turrita mœnia, fastigiata principum palatia, fora, fontes, plateæ, regiæ majestas aulæ, templique sanctitas miram conciliabant elegantiam; tibi non lignorum lapidúmque spectabilis structura, sed elegantissima morum motuúmque corporis & animi ad omnem virtutis honestatísque regulam compositio, jucundissimam Cælitibus veræ pulchritudinis formam imaginémque comparavit. Sunt tibi pro mœnibus, munita sensuum propugnacula: pro magnis splendidísque ædibus, amplæ ac variæ tam animi quàm corporis facultates, præclaris virtutibus ornatæ: pro foro facies, pro fontibus oculi, pro plateis membrorum decóra dispositio, pro arce caput, pro templo cor: omnia sanè *pulchra*.

Cant. 7. v. 1

v. 7.

Cant. 6. v. 3

§. II.

SEd age, penitùs in tui contemplationem mentis oculum defigamus. Quod si enim hæc, quæ foris lucet pulchritudo, sic delectat: quanta illud, *quod intrinsecus latet*, venustate præcellere, atque animos demulcere necesse est? Ridet equidem flosculus delicatis pictísque cinctus foliis, fulgurat gemma tersis politísque elaborata angulis, nitet avicula variis coloratísque vestita plumis, splendet stella argenteis

Et intus.

Cant. 4. v. 1

teis aureiſque radiis gratiosè extrà circumfuſis; at longè pulchriùs nitet illa mirifica naturæ virtus, quæ intus latet, tantámque in radios, plumas, angulos ac folia elegantiæ copiam foras diffundit. Sic & *omnis gloria Filiæ regis ab intus*: ſic ſumma, & minimè *fallax* formæ *gratia*: ſic vera & non *vana pulchritudo* in mente præcipuam ſibi ſedem elegit. Sic ergo & tu *tota* quidem *pulchra* es corpore, ò Philothea, ſed magis animo *tota pulchra*: cœleſti atque arcana, quæ corporeos fugit oculos, venuſtate ſplendes, Cœlitúmque amorem magis magíſque accendis.

Pſ.44.v.14
Proverb.31 v.30.

Spectant illi tuam cum voluptate animam: ſicuti Sponſam Chriſti jam cœleſti thalamo deſtinatam; atque idcirco præ cæteris pulcherrimâ Dei inſignitam imagine: quâ inter Filias Jeruſalem, veluti ſtellas minores, *pulchra ut luna* fulges, *electa ut Sol* ardes, atque eminentiore locata tramite incedis. Quantum tibi eſt ſanctificantis gratiæ, tantum gratulantur tibi eſſe lucis ex divinæ conſortio naturæ affuſum: quantum charitatis, tantum ardoris: quot virtutum decóra, tot colorum ornamenta. Vident *pulchram* intellectu: tamquam elegantiſſimum Dei templum, Solymæo quondam miraculo millies antè ferendum, tecúmque triumphant; quòd hoc nobile ſacrarium nulla erroris, dubii, pertinaciæ, temeritatíſque *macula* contaminet; ſed ſana fides, ſerena dies, clara humanarum divinarúmque rerum diſcretio, ſapientiæ fulgor, conſilii lumen, Sanctorum ſcientia, intentio recta, cogitatio caſta, juſta præſentium æſtimatio, providentia futurorum undique illuſtret.

Cant.6.v.9

Cernunt *pulchram* voluntate: non ſecus ac vivam lucidiſſimámque Numinis regiam, aureæ gemmeæque Beatorum civitati æquiparandam, gaudéntque nullam in ea deprehendi cupiditatum anarchiam: nullam iræ, rancoris odiique umbram: nullam mundi, terræ propriíque amoris labem inveniri; ſed puros cœli amores, ſancta gratiæ meritorúmque

deſi-

desideria, sincera Beatorum gaudia, abundare: peccati odium, fugam periculi, horrorem terrenæ voluptatis, pœnitentiæ luctum, justitiæ zelum fervere: ingentem in divina bonitate fiduciam, perfectam cum Dei placito consensionem, communem in omnes amplissimámque charitatem, plenam suimet expoliationem, exactam cum Crucifixo Amore per omnia conformitatem effulgere. Contemplantur te *pulchram* memoriâ, veluti amœnissimum voluptatis hortum, ipsis paradisi deliciis longè præstantiorem, mirantúrque, nullas ibi sordidarum imaginum hærere notas: nullas inanium curarum larvas, ridiculorum phantasmatum simias, curiosæ levitatis nugas volitare: nullas oblivionis nebulas diffundi; sed perennem beneficiorum reminiscentiam, pulcherrimas mandatorum atque exemplorum imagines, claras mysteriorum virtutúmq; ideas ad omnem nutum occursare: pacata esse omnia, seriísque intenta rebus, Deo divinísque plena.

Hæc itaque tua corporis mentísque perfecta pulchritudo quem non rapiat? cui non sit in pretio? quem non mereatur encomiasten? Sed alium non expectas. Pulcherrimus ipse fons pulchritudinis in tuas effluit laudes: *pulchram* laudat, qui, ut esses *pulchra*, fecit.

§. III.

Debet tamen ex pulchra fieri pulchrior.

LAudat nempe suum artifex opificium, ut opus quoque suum laudet magistrum: quid verò mihi jucundius? quid tibi gloriosius? quid decentius utrique? Beata certè es, Philothea, sive me laudes, sive ipsamet à me lauderis: neque enim illud est sine prœmio; neque hoc ex vano. Qui te laudat, pulcherrimus ipse, est æquus arcanæ pulchritudinis æstimator: quem tu laudas pulchritudinis auctorem tuæ, ipse est pulcherrima merces & gloria laudatricis. Laudis tuæ com-

pendium esto, te divinis etiam oculis *totam* judicari *pulchram*; meæ præmium laudis erit, spectare te magnis factam incrementis ex pulchra pulchriorem. *Tota* quidem *pulchra es*; sed non dum pulcherrima. Non est ulla tui pars sine gratia venustatis; nulla tamen non capax majoris elegantiæ. Etsi hodie *macula non est in te*, cras fortè, si langues, si non caves, si nitori non studes, non modicus mentem inficiet nævus. Quæ non semper magnâ ad id contentione incumbit, ut seipsâ fiat pulchrior, brevi nec *pulchra* erit: quæ *maculam* non horret, fœdas citò sordes contrahet.

Judith. 8. v. 7. 9. & 9. v. 3. Juditham cogita. An non *erat eleganti aspectu nimis*? Et tamen, ut Holoferni placeret, *lavit corpus suum, & unxit se myro optimo, & discriminavit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis jucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextrariola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornavit se. Cui etiam Dominus contulit splendorem; quoniam omnis ista compositio à virtute pendebat.* Hem! quis labor, quæ contentio! Hæc fecerat vidua, ut mortalem hominem falleret. Quid Sponsa faciat, ut immortali Deo placeat? Non tibi opus est lacte, quo lavéris; non stibio, quo pingaris. In promptu est lacteum purpureúmque seu balneum, seu pharmacum, divinæ pulchritudinis nutrimentum. Hinc latus Sponsi, illinc Matris pectus. Fac ut identidem *pascaris à vulnere, lacteris ab ubere*, mergaris in utroq; & semper teipsa pulchrior evades. *S. August.*

Ps. 44. v. 5. Quare te tuíque similes hortor, atque extimulo: *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.* Vidisti Solem, cùm è roseo cubili surgit, aureósque comæ radios terris impertit? nónne totus est ad miraculum formosus? an verò hoc illi sat est! nónne illustre frontis jubar ad singulos ferè passus auget? donec celsissimo cæli vertice positus, immensum lucis oceanum orbi affundat? Tu quoque, quòd *pulchra* sis, auroram crede: ut plenam facias diem, *pro-*

sperè

ſperè procede, in dies horáſque *pulchrior*; ſic tandem cum pulcherrimo Sponſo in meridie beatitatis pulcherrima *regnabis*.

Et vos, ò ſtolidi fluxæ pulchritudinis amatores, quouſque umbras ſectamini? Natura vos eſſe voluit philocalos, Sapienter. Eſt enim pulchritudo præſtantiſſimus quidam radius divinitatis. At quàm vos inſipienter ſcintillas præ radio amplectimini! Pulchros Mater, Patérque prenſat liberos, pueri puellæque veſtes, Sponſi Sponſæq; conjuges: formoſam vult herus familiam, domum pulchram, elegantem ſupellectilem: pulchros miles amat equos, arma, canes. Heu dementia! quotuſquiſque pulchram habere mentem ſatagit? quis in gratiæ, virtutis, ſanctimoniæque ſtudium, quo ſolo venuſtatur anima, tam cupidè fertur? quis tam laborioſè in excolenda mente, quàm corpore ornando deſudat? Omnia ergo, quæ circa vos ſunt, pulchra eſſe vultis; vos ſoli non eſſe pulchri! At, pulchra veſtis ſordidam poteſt mentem tegere, non facere pulchram. Quî autem ſordidata mente coram ſupremi Numinis pulchritudine audetis comparere? *Hominem non veſtitum veſte nuptiali*, è convivio ejecit *in tenebras*; & pretioſâ gratiæ ſtolâ privatum, polymitáque virtutum veſte deſtitutum feret! abſit. *Ad nuptias agni non intrabit aliquid coinquinatum*. Pulchri ergo ut ſitis, animæ vobis pulchritudo curæ ſit. Vt eſſetis ſine *macula, agnus immaculatus* pro vobis mactatus eſt; ut pulchros faceret *ſuo* vos *Sanguine lavit*.

Sat erunt pulchra cætera, ſi ſat pulchra vobis ſit anima.

Matth. 22. v. 11.

Apoc. 19. v. 7. 21. v. 27.

1. *Pet*. 1. v. 19.

Apoc. 1. v. 5.

PARS V.

AMOR DEI IN ANIMAM PERFECTAM,

ATQUE

DIVINO AMORE LIQUESCENTEM.

Scena I.

SIcut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter Filias. *Cant. 2. v. 2.*

EXEGESIS.

§. I.

Deus mirificè delectatur animæ pulchritudine *Pſ. 44. v. 5.*

LAudavi te, Philothea; at nondum ſatis. Video enim jam te non modò pulchram; ſed teipsâ longè, quàm eras pulchriorem. O quantum tibi gratiæ ſedula fortíſque exercitatio adjecit! Viden', quàm facile ſit generoſis mentibus, *ſpecie & pulchritudine* cæleſti *proſperè procedere*? Cælitum in ſe oculos convertere? amorem extorquere? ciere admirationem? Dum ergo tuæ pulchritudo animæ indies creſcit; mea quoque augeſcit voluptas, inflammatur amor, benevolentia ſumit incrementa. Laudo te; quia ipſe mihi in te placeo. Et cur laudibus parcam, quæ te non inflant inani vento; ſed verecundo rubore ſuffundunt? quæ te non ſegnem ad obſequia reddunt; ſed ad excelſos heroicæ charitatis impetus extimulant? Quod Deus approbat, id laudat: ſed bonus non niſi bona approbat, mediocria mediis, ſumma ſummis propenſæ voluntatis affectibus complectitur, atque encomiis exornat. Pares ergo tuæ virtuti laudes me ſcilicet amicum tibi amicæ, Dilectum Dilectæ, Sponſum Sponſæ admetiri non mireris.

Anima ſan

In votis tibi erat, inter mea poſſe te lilia connumerari: En

En, tui te, voti damnatam! *Sicut lilium inter ſpinas* eminet; *ſic* & tu *inter Filias* excelſo virtutis apice inſurgis. Nulla tibi par puritatis candore: nulla flavo profuſæ charitatis auro; nulla conſtanti mentis rectitudine: nulla vegeto animi vigore: nulla ſuaviſſimo exempli odore: nulla denique regiæ indolis celſitudine comparari poteſt; uti nulla quoque *ſpina lilio* conferri. Sunt *Filiæ Babylonis* multæ & *miſeræ*: mentes nimirum mundo vitiiſque addictæ, at quid niſi *ſpinæ*? has ego meis non accenſeo; ſed tamquam ſpurias averſor, flammíſque addico. Sunt porrò *Filiæ*, quas neſcio meas dicam, an alienas; certè *Filiæ Ieruſalem* non ſunt. Quamvis enim virtutis callem ingreſſæ, meos ambire amplexus videantur; adhuc tamen frequenter non levibus ſanè maculis ex incuriâ aſperguntur: pungunt aculeatis dictis ut *ſpinæ*: ſunt in precandi ſtudio aridæ, ut *ſpinæ*: in riſu jocíſque ſtreperæ, ut in igne *ſpinæ*: in rectè factis ſteriles *ut ſpinæ*: admonitoribus duræ, atque intractabiles, ut *ſpinæ*: conſiliis animíque propoſitis perplexæ & inextricabiles, ut *ſpinæ*: ſine cordis ſenſuúmque cuſtodia ut *ſpinæ*: ubique velut in curioſitatis compitis obviæ, ut *ſpinæ*: quidquid apprehendunt, mordicus tenent, lacerántque ut *ſpinæ*; at profectò numquam ſic *lilia* futuræ.

Margin: Ecce, lilium eſt. — Filiæ Babylonis, ſpinæ. *Pſ.* 136. *v.* 8 — Animæ irreligioſæ paullò meliores.

O quanto tu, Philothea, ab his diſtas intervallo? quàm longè alii tibi ſunt mores! quanta tibi verborum ſuavitas! quàm fecundæ preces! quàm verecunda hilaritas! quæ meritorum ubertas! quæ parendi promptitudo! quanta animi conſiliorúmque ſerenitas! quanta corporis mentíſque cuſtodiendæ cura! quàm conſtans ſanctæ ſolitudinis amor! quàm ſerius caducarum rerum contemptus! His adde perennem Sponſi memoriam, accenſum patiendi deſiderium, plenam cum Dei placitis conſenſionem, ſtudioſam cum Dilecti moribus conformationem, atque id genus alia: quæ te *inter* alias *Filias*, etiam meas, eminere faciunt, ut inter cuniculos

Margin: Inter has ſpinas floret, quæ lilium eſt, anima.

culos leæna imperat, inter cornices aquila dominatur, inter metalla aurum nitet, ſtella inter faculas coruſcat; vel quod *ego flos campi & lilium convallium* jam de te dixi: *ſicut lilium inter ſpinas* refulget, ſuóque ſe ſplendore ac odore prodit. Adhæc video, medullitúſque gaudeo: te inter æmularum dentes, inter inſectatorum calumnias, inter calamitatum ſtimulos, inter morborum aculeos, intérque occultas ex aliorum ſceleribus animi lanienas: ò verè crudeliſſimas *ſpinas*! ſicut *lilium* paradiſi blandum ridere: non colorem mutare, non folia mœrore contrahere: non quicquam á recto inflecti; ſed amore mei inter tot cuſpides perſtare, florere, ſuaviſſimúmque longè odorem diffundere. Quare nunc meis te liliis accenſeo, cæleſti lilieto cum plauſu inſerendam. O quàm pauca mihi lilia; quàm denſas ſpinarum acies terra germinat!

Cant. 2. v. 1.

Philothea

SIcut malus inter ligna: ſic Dilectus meus inter Filios. *Cant. 2. v. 3.*

EXEGESIS.

§. II.

Anima pia omnem laudem in Deum refundit.

EGóne Dilectæ ſim *lilium*, quæ tibi quondam *ſpina* fui? faciliùs optare id poſſim, quàm de me ipſa tam magnificè ſentire. Eſto: ſit mihi aliquid commendatione non indignum; quidquid tamen id ſive boni, ſive pulchri eſt, totum tibi debeo. Si quid *lilii* habeo; id omne mihi *faſciculus myrrhæ, Dilectus meus*, contulit; quia idem & *ſignaculum, & faſciculus*; uti divinæ pulchritudinis effigie animam informat; ſic odore ſanctitatis corroborat: idem *flos campi* & hortulanus: ille, dum varias virtutum elegantias menti impri-

imprimit; iste, dum *plantat, rigat, dátque gratiæ incrementum.* Non est ergo, cur me laudibus exornes. Super omnem mihi laudem est, divinis placere oculis, exiles tibi Philotheæ conatus non improbari. Quantò æquiùs in tuas ego excurro laudes? quantò rectiùs, quæ virtutum décora in me plenâ manu congeris, toto ego pectore tibi refundo? si ego sum *lilium inter spinas*; tu certè malus *es inter ligna silvarum.*

1. Cor. 3. v. 8.

Ignosce precor, mi pulcherrime JESV, agrestem imparémque tui comparationem. Quid aliud à rusticella expectes? saltem, cùm te *malum inter ligna silvarum* dixi, plus quàm *lilium* dicere, atque aliquid grande, pulchrum, sapidúmque proferre animus fuit. Nónne enim humile quid est *lilium: malus* autem excelsa? illud infirmum; hæc robusta? illud caducum; hæc durabilis? illud infrugiferum; hæc fecunda? illud angustis circumscriptum limitibus; hæc ramis latè diffusis opaca? illud oculos narésque recreat; hæc venustate visum pascit, odoratum fragrantiâ delectat, gustum suavitate demulcet.

Christus, malus pomifera.

Sed quam ex pomiferis arboribus ego te malum existimem? an illam, quæ Adami poma gignit, aspera atque acerba? absit! *fructus* tuus *dulcis est gutturi meo; quia spiritus tuus super mel dulcis & hereditas tua super mel & favum.* An quæ spinosa fert mala, stomacho nociua? neutiquam: tu *quasi plantatio rosæ in Hiericho*, sæuis ipse spinis coronatus es; ut alios rosis coronares. An quæ insana dicitur, quòd capiti non parùm damni afferat? procul hinc: fructus tuus, *fructus vitæ, ad sanitatem gentium.* An quæ specioso nomine poma amoris profert? castitati tamen inimica? avertat hoc à me Deus: *fructus tui, fructus honoris & honestatis.* Sunt hæc quidem *ligna* hortorum; sed quibus meliora sunt *ligna silvarum.* Aliam ergo Malum intelligo, mi Dilecte; nempe arborem, quam dicunt mirabilem, non tantùm balsami, quo vulnera curentur,

Cant. 2. v. 3
Eccl. 24. v. 25.
v. 18.
Apoc. 22. v. 2.
Eccl. 24. v. 23.

feracissimam; sed quæ cælestis hortulani artificio una sit instar omnium, omnísque generis præstantissima poma ferat.

§. III.

Arbor mirabilis.

QVis enim, nisi lippis sit oculis, in te non videt poma aurea æternæ veritatis: quæ oculos sanant? poma armeniaca sobrietatis: quæ stomacho conducunt? poma aurantia castitatis: quæ pectus corroborant? poma cidonia religionis: quæ spiritum restaurant? quis non cum voluptate in te admiratur hîc mala persica prudentiæ: nimios opum famæque ardores refrigerantia? hîc mala citria sanctificantis gratiæ: veneno culpæ mortalis adversantia? illic mala limonia misericordiæ: vermibus conscientiæ inimica? isthic mala punica clementiæ: quot granis gravida, tot donis prægnantia? omni ex parte pendentia sine numero mala orbiculata: non minùs colore, & figurâ admodum varia, quàm odore ac sapore: ex æquo jucunda & salutifera? omnium scilicet absolutæ sanctitatis fructuum atque exemplorum poma, cælo digna?

Omnes Sancti sunt ligna silvarum.

Fuerunt equidem Patriarchæ, quos mundus nascens pædagogos habuit: Prophetæ Regésque inclyti, quos orbis adolescens morum censores, sensit: Apostoli, Martyres aliique innumerabiles viri sanctimoniâ illustres; quos terra jam adulta magistros agnovit: fuerunt inquam *ligna paradisi*, quodsi autem hos quantumvis charos Dei *Filios* tecum comparem, quid sunt nisi *ligna silvarum*? Fatetur certè non invitus Abel cum omni sua vitæ innocentia, Enos cum eximia sua in Deum religione, Henoch cum insigni sua morum sanctimonia, aliud se non esse, quàm vulgare *lignum* in nemore Dei adhuc inculto consitum. Agnoscit *perfectus justúsque Noë: magnus Pater*, atque *in tentatione fidelis Abraham*: castus sapiénsque Joseph, se non nisi arbustum in Dei saltu censeri

Eccl. 44. v. 17. v. 20, 21.

ſeri poſſe. Clamat *Dilectus Deo & hominibus Moyſes*, virorum mitiſſimus: clamat *fortis in bello Ioſue*, tot Regum debellator: clamat *Propheta Domini, Samuel*, incorruptus judex, Sacerdos integerrimus, quidquid tandem fuerint, ſe in amœno ſacróque Dei luco humiles tantùm myricas fuiſſe.

Eccl. 45. *v.* 1. *Eccl.* 46. *v.* 1. *Eccl.* 46. *v.* 16.

Quid aliud cantant David, Ezechias, Joſias: non tam regiâ ex auro gemmiſque coronâ conſpicui, quàm cæleſti virtutum diademate inſigniti Principes? quid Elias, Eliſæus, Iſaias: pleni divino Numine occultarum abſentiúmque rerum arbitri, futurarum præſagi Vates? quid Daniel leonum victor? quid Ananias cum ſuis flammarum domitor? quid lectiſſimi ſeptem Machabæi Fratres Tyrannorum tormentorúmque contemptores aliud loquuntur, quàm ſe non plus fuiſſe, quàm ſtipulas ſteriléſque avenas in Synagogæ arvo dicendos? Quis ſenſus omnibus hucuſque ſæculis à tuo in mundum ingreſſu fuerit in ſacro Apoſtolorum ſenatu, in tot purpuratis Martyrum phalangibus, in tot Pontificum Doctorúmque cœtibus: quæ mens, quàm conſonum veritati judicium in tot Aſcetarum atque Anachoretarum agminibus, in tot Virginum innocentúmque choris altè infixum hæſerit, quanti ſe ſuáque omnia virtutum ornamenta; præſertim tuis collata prærogativis, æſtimaverint: quàm ſincerè, nec quidem *ligna ſilvarum*; ſed umbræ, atque omnino nihil videri voluerint, omnium ore Paulus pronunciat: *ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit; ipſe ſe ſeducit.*

Gal. 6. *v.* 3.

Christi excellentia.

Vt multum ipſis tribuam, atque id ipſum quod tuo munere fuerunt, dicam; ajo, te inter eminentiſſimos quoſque Sanctos haud ſecus incedere, quàm inter oves *paſtor*, inter diſcipulos *magiſter*, inter Fratres *primogenitus* ingreditur: inter plebeios Conſul, Dux inter milites, Rex inter ſervulos excellit. Nimirum, ipſi ſunt *palmites, tu vitis*: ipſi *lapides*, tu *angularis petra*: ipſi *ligna ſilvarum*, tu *malus*: ipſi faculæ, tu *ſtella matutina*; ipſi ſtellæ, tu *Sol juſtitiæ*: ipſi ſoles, tu fons lucis

Io. 15. *v.* 5. *Epheſ.* 2. *v.* 20. *Apoc.* 22. *v.* 16. *Malach.* 4. *v.* 2.

cis non factæ, sed æternæ; tu Judex vivorum mortuorúmque, ipsi clientes: tu caput Ecclesiæ, ipsi membra: ipsi *Filii* quidem Dei, sed adoptivi; tu verò, unigenitus, de Deo Deus.

Quodsi etiam in felicissimam beatorum regiam me penetro, téque inter *Filios* Dei Angelicósque Spiritus, ceu *paradisi ligna* contemplor, continere me nequeo, quin exclamem: *sicut malus inter ligna silvarum; sic Dilectus meus inter Filios.* Tibi suam Angeli, Archangeli, Principatus, pulchritudinem, velocitatem, legationem: tibi suam Potestates, Virtutes, Dominationes, auctoritatem, potentiam, fasces: tibi suam Throni, Cherubim, Seraphim, pacem, scientiam, amorem substernunt, tibiq; se lubentes subiiciunt: Cui enim Angelorũ æternus immensúsq; rerum Conditor Deus dixit: *Filius meus es tu; ego hodie genui te*: nulli certè; nisi ab æterno tibi. Gaudent ergo etiam Seraphicæ mentes, tuis, Dilecte, ramis inseri ut paradisi ligna, vel ut volucres cæli in illis nidulari.

Ps. 2. v. 7.

§. IV.

Christi pulchritudo accendit mortis desideriũ.

AT quid ego? non opus est, ut tibi secretum pandam, cui nihil est secretum. Dicam tamen. Sub hac *malo* optima, sub hac arbore mirabili, & vivere, & mori statuo: illius me rami protegent, poma nutrient, odor reficiet, firmabit stipes, sustinebit radix, pulchritudo delectabit, refrigerabit umbra; Aliud viva palatium: mausolæum mortua non peto; ut autem semper tecum vivam: mori flagito, ad tuos sepelienda pedes; utinam tam bonæ arboris, fructus, ut par est, bonus!

Perfectissimæ scilicet conjunctionis

Adhærere quidem tibi, mi JESV, ut vitis ulmo, hedera muro, *bonum est*; sed quæ sic adhærent, quàm facilè separan-

Ps. 72. v. 28

rantur! plus est uniri, ut lignum ligno agglutinatum, ramus arbori insertus; sed & ista, quàm citò divelluntur! multò amplius est; penetrare & immergi, sicut aquæ spongia, ferrum igni; sed hæc quoque alterutro subtracto non operosè denuo sejunguntur; Tutius est ergo penitus transformari, uti solet, cùm candida lana purpuram imbibit, vel gemma splendorem à luce haurit; at verò & hæc manca est conjunctio: aliud namque lana, aliud est purpura: aliud gemmam dicimus, aliud fulgorem. Quid ergo super est, nisi unum idémque tecum fieri, velut aqua in vinum, cibus potúsque in carnem & sanguinem conversus? Fiam obsecro, unus tecum spiritus.

Hoc est igitur, mi Dilecte, hoc est, quod totis animi viribus exopto. Jam te Magistro, te Duce, te Adjutore ascendi ad te, mentem elevando: accessi, terrena omnia, méque ipsam deserendo: Te apprehendi, summam, ut potui, de te concipiendo æstimationem: Sum insuper tuo quidem munere arctissimè tibi unita amando, immersa contemplando, ac denique imitando aliqua saltem ex parte in te transformata. An hoc mihi sufficiat? an hîc acquiescam? Ignosce clementissime Deus, suavissime JESV; non quiescit spiritus meus, nisi *unus* tecum *spiritus* fiat. Quomodo autem fiet, nisi ex hujus corporis ergastulo exeam; ut tota in te transeam?

1. Cor. 6. v. 10.

Ad hæc non nescis, quàm grave mihi accidat, infelicem cernere perversi mundi statum. Quo, putas, dolore me, cum cogito, tantam illius partem dæmonum, siderúmque cultui addictam? Mahometanorum Saracenorúmque spurcitie fœdatam? Judæorum Schismaticorúmque perfidiâ excæcatam? Hæreticorum Politicorúmque fraudibus irretitam? Eam, quæ sana est fide, orbis particulam, tot sceleribus passim obrutam? Quis mihi sit sensus, dum tot támque infandas tibi supremo Numini specto audióque irrogari injurias?

Accedit dolor spectando tot Numinis injurias.

rias? jacére ubique justitiam, honestatem, temperantiam? frigere charitatem, religionem, modestiam? exulare concordiam fidelitatem, candorem? fervere odia, crapulam, fastum? fraudes, perjuria, rapinas dominari? tantum humani sanguinis per injusta bella: tantum auri & argenti in luxum: tantum sudoris temporisque in vetitas voluptates temerè profundi? Quomodo fieri possit, ut non contabescam dolore? migrare ex hoc circo non cupiam? cum Beatis in cælo mentibus tibi laudes gloriámque sempiternam cantare ardentibus votis non exoptem? Hinc illa ex imó pectore suspiria: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar*: quàm pronum est ab illis infici & demigrari! *Coarctor* sanè, *desiderium habens dissolvi & esse cum Christo*, ut separetur corpus ab anima; ne quando anima à Christo dissolvatur. *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ? & volabo & requiescam*? heu! timeo rapaces accipitris ungues! nisi ad cæleste columbarium evolavero, non sum secura. *Infelix ego homo! quis me liberabit à corpore mortis hujus*? malo equidem, ut suo me spiculo mors ipsa convulneret, quàm ego amabilissimum cor Dilecti mei quacumque vel levissimâ offensiunculâ vulnerem: opto potiùs in mortem oculos claudere, quàm Sponsi oculis displicere. Sic ego millies cogito, milliésque voveo: una verò cogitandi causa est timor, timoris amor. Tu, si non displicet amor, imple votum; & timor cum vita evanescet, solus triumphabit amor: longæ daturus finem morti, æternæ principium vitæ, tesseram securitatis.

Ps. 115. v. 5.
Philip. 1. v. 18.
Ps. 54. v. 7.
Rom. 7. v. 24.

Vul-

Vulnerâsti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. *Cantic. 4, vers. 9.*

Christus.

EXEGESIS.

§. V.

Ulnera lóqueris, ò Soror; sed chara vulnera: quot verba profers, tot jacula torques; sed jacula amoris: dum me amas, usque ad cor meum penetras. Ferrum infligit vulnus corpori, dum altiùs in carnem descendit; amantis animæ vota cor sauciant, cùm profundiùs in animum se immergunt. Et tua me desideria, tam defæcati amoris sensa ad ipsas animi mei medullas delata non saucient? Confirmo tibi *Sponsa*; *Vulnerâsti cor meum*, non uno tantùm vulnere, sed multiplici & profundo. Solent mortales Sponsi scintillantibus Sponsarum oculis, singulísque oculórum nictibus, veluti ardentibus amoris jaculis feriri, flaventibus crispatísque capillaturæ filis tamquam blandis formæ laqueis irretiri.

Defæcata animæ desideria cor Christi amore sauciant.

Sed hæc sunt infausta perditè amantium deliria. Mihi pro Sponsæ oculo, est recta mentis intentio: pro *crine colli*, sancta divinarum rerum cogitatio. Hic me ferit *oculus*, hic me *crinis* capit & illaqueat: his tu Philothea, amabili plaga sauciâsti, & velut hamato telo, *rapuisti cor meum*: hæc faciunt, ut veluti crescente magis magísque amoris incendio, dulce vulnus clamore prodam. Vulnus à spiculo mortis desideras. Euge, præclara cogitatio, arduum generosæ mentis consilium! Causam desiderati vulneris allegas; ne scilicet umquam mihi displicitum quid committas; sed sine metu offen-

Sponsæ nimirum oculi & crines.

offenſæ tota in me tranſeas, atque *unus* mecum *ſpiritus* efficiaris; ut denique nec ulla vi, vel dolo, nec culpa vel caſu, non tempore aut loco, non mente vel affectu æternis ſæculorum lapſibus à me, Deo tuo, ſeparari; aut, quò minus ſummo, quoad licet, honore, atque amore me proſequaris, impediri queas. O pura intentio, ſcopus omnino excellens, irrefragabile ſinceriſſimi amoris argumentum!

§. VI.

Multi tamen oculi dolore vulnerant.

O Oculi! ò crines! quanto diſcrimine fulguratis? Sunt, Philothea, ſunt *oculi*, ſunt *crines* & corporis & mentis, qui cor meum vulnerant, ſed dolore, non amore: & ſunt, qui ſauciant amore, non dolore. O quàm gravem cordi plagam facit, *nequam oculus* lividi, quem aliena virtus ſuo lumine perſtringit! quàm crudeliter ferit vagus *oculus, qui deprædatur animam* facitque, ut *mors aſcendat per feneſtras*, ſcelerum dux & auctor! quàm mihi profundum vulnus infligit *inſatiabilis oculus cupidi*, qui velut immenſa vorago, quò plura vi dolóque intercepta glutiit, hoc plura eſurit! quam diro me ſpiculo configunt *oculi ſublimes*, qui ſe ſuáque ſuſpiciendo alios deſpiciunt, ipſi Cælitibus deſpicabiles! *oculi pleni adulteriis*, lenones animæ, pudoris hoſtes, conſcelerati innocentiæ proditores! oculi *excæcati donis*, ne jus fáſque videant, ſpontanea cæcitate depravati! Pròh oculi lippi, diſtorti, luſci, nictantes!

Eccl. 14. v. 8. *Thren. 3. v. 51.* *Proverb. 6. v. 17.* *Eccl. 14. v. 9.* *2. Pet. 2. v. 14.* *Eccl. 20. v. 31.*

Multi quoque crines.

Sic quoque infeſti mihi ſunt calamiſtrati, compti, cincinnati vertices; turrita, faſtigiata, multóque cinifiorum labore ſubſtructa capita; virorum feminarúmque ſimulacra: quæ *tortis crinibus, extento collo ambulant*; quot annulis criſpata, tot armata tragulis: quot ſcorpiis diviſa, tot laqueis inſtructa. Non his eſt alia quàm hominibus placendi cura, ſtulta & perverſa ſcelerum cogitatio, inane perituri commodi,

Iſa. 3. v. 16.

modi, lucri, voluptatis, famæque aucupium: proh pudor! quàm fucati, viles, putridíque capilli!

Qui sint oculi, & crines animæ, qui amore vulnerant.

Aliter se habent tui, Philothea, *oculi crinésque colli tui*: alia meditaris, aliò collimas. Quamcumque sceleris umbram aversaris, honestatem virtutémque cogitas: caduca, terrena, humana contemnis; cælestia, æterna, divina meditaris; grandia facere patìque gaudes: excelsum vitæ genus sectaris, merita accumulas: cælum, gloriam, Sponsum suspiras. O pretiosi animæ capilli! quàm mundi, quàm compositi! ò auro pulchriores, prolixi, verecundæ frontis, decóri capitis, nitidíque *colli crines*! Neque tamen isto cogitationum desideriorúmque apparatu tuum spectas commodum, pacem, voluptatem, gloriam, salutem: sed solum Dei Sponsíque obsequium: meum etiam per tua vulnera, doloréſque gaudium: meam cum tuo vituperio odióque laudem, meam denique non sine sannis tuóque contemptu gloriam constanter avidéque sine fuco quæris. O *oculi* vivaces, nitidi, pudici: solis æmuli, divini amoris indices, cordis mei cælestes charíque prædones! *Unus* hic *oculus, crinis unus* mihi pro mille est aliis: sic unico *cor meum* feris, ut nisi jam antè tui arderem desiderio, totus nunc certè inardescerem. Perge modò, perge me sic *vulnerare*: jucunda sunt amoris vulnera; dum sauciant, demulcent. Certemus, tu desideriis; ego beneficiis. Cùm victa cecideris, tu triumphabis; mihi sat est, non posse vinci.

Multiplex Dei in animam charitas.

Dilexi te, antequam mundus esset; en quàm prolixè! dilexi, cùm hunc adspectabilem mundum tuo obsequio condidi; ecce quàm providè! dilexi, quando corpus animámque tibi sum largitus: viden', quàm liberaliter. Dilexi scilicet, non quod eras; sed quod meâ potissimum gratiâ futura eras. Charitas me impulit; ut te sacris lavarem, munirem, pascerem mysteriis: Charitas fecit; ut te quærerem errantem, vocarem dubiam, hæsitantem traherem, currentem

lætus exciperem: charitas persuasit, ut te mihi *amicam, Sororem, Sponsámque* ex millibus unam deligerem: tótque aliis divinæ benevolentiæ donis cumularem; At nunc, quasi mutuo *vulneratus* amore faciam; ut summo omnium benevolentiæ signo discas, te tuáque vota ad cor usque meum penetrâsse. En, tuis nunc precibus annuo. Vasa collige: migrandum est. *Educam de custodia animam tuam*: faxo ut læta mortis victrix beatam ingrediaris vitæ æternitatem.

Ps.141.v.8.

Amor, Misericordia Iustitia, David.

VEni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano: veni coronaberis: de cubilibus leonum, de montibus Pardorum. *Cant. 4. vers. 8.*

EXEGESIS.

§. VIII.

Cælites piam invitant animam.

AVdistíne, Philothea, felix Sponsa, tuas à Sponso auditas esse preces? Vtique: jam enim profectioni te accingis: bene habet. Longum iter uno absolves passu, ex hospitio temporis ad æternitatis regiam momento citiùs transitura. O te beatam! cui Pater æternus, ut Filiæ acclamat: *Veni!* quam optimus maximúsque Dei Filius, tamquam Sororem compellat, *Veni!* atque insuper divinus utriúsque Spiritus, ceu charissimam sibi amicam suavissimè invitat, allicit, optatissimáque vocandi formulâ, *Veni*, tertiùm iteratâ clementissimè accersit! Et quis non festinet, non exiliat, non ardeat *transire de Libano* ad paradisum? *de cubilibus leonum* ad sedes Beatorum? *de montibus Pardorum* ad regnum felicitatis.

Can-

Candicat quidem *Libanus*; ſed quoque nivibus alget: placet Mundus, etſi nigricet; ſed charitate deſtitutus infelici frigore torpeſcit. Quot ubique crudelibus *leonum cubilibus* horret? quot immanes ſuperbiâ, avaritiâ, iráque efferatos, ſanguinarios, intolerabiles fovet mortales? quorum domus rapinis cædibúſque tegendis latibula præbent? quot paſſim fallacium *Pardorum montibus* inſurgit? è quibus fraudulentos, verſipelles, larvatos hiſtriones, callidos potentium adulatores, ſimulatores honeſtatis, pietatis ſimios, velut maculoſo tergore blandientes, ſuavíque corporis odore pellaces pantheras, non tantùm inter Africæ deſerta; ſed toto quàm longè latéque patet orbe, ut fallendo ſæviant, occurſare videas.

Felix tranſitus ex hac vita; quia mundus feris plenus.

Taceo alias magno numero feras, tam horridas aſpectu, quàm crudelitate funeſtas: quibus ubiq; locorum mundi impietas *cubilia*, luſtra, *montes*, receſſus, antra, foramina non gravatè indulget. Quis numeret indomitos pervicacis ingenii onagros? inexplebiles voracitate apros? informes pigritiâ urſos? plenas nequitiâ vulpeculas? ringentes invidiâ moloſſos? quis ſuis depingat coloribus carnivoras alienæ famæ hyænas? ſpurcos libidinum Centauros? naſutos hæreſum rhinocerotes? hiantes odio crocodilos? peſtiferos peſſimi exempli baſiliſcos, & ſexcenta id genus monſtra? Hæc tu omnia uno ſaltu evades; omnes, quas mundus ponit pedicas, quos orcus tendit laqueos, quæ caro nectit vincula, feliciter exibis: quaſcumque paratas animæ foveas, ſcopulos, offendicula, cum ultima vitæ linea brevi tranſilies, mortis compendio ad perennem translata ſecuritatem.

O felix hora! ò momentum beatiſſimum! quo enim temporis puncto *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum* corporis claudet oculos; eo cælum aperiet: animam corpore; corpus ærumnis abſolvet, dúmque ſua tibi falce truncabit vitæ filium, ſimul omnium, quas terra catenatas iniicit,

Mors Sanctorum pretioſa. *Pſ. 114, v. 15*

Ærumnis corporis tollit.

calamitatum, longam profectò seriem uno ictu incidet. Tunc enimverò nullæ tibi tempestates: venti, frigora, calores nulli: nulla naufragia, ruinæ, fulmina erunt infesta: non tibi fames, sitis, labor, dolor, morbus, senium timendum: non calumniæ, luctus, curæ, insidiæ, fraudes litésque tibi incumbent: tunc cessabunt jactationes, exilia, lacrymæ, suspiria, tenebræ, timores: tunc ipsammet adeò mortis sicam deinceps læta ridebis; quidquid uspiam malorum est, secura ex alto *despicies*: post tot pugnas felix epinicion *cantabis*: in sidereas recepta arces *dominaberis*, atque æterna triumphatrix non lauro, vel auro, non gemmis aut stellis; sed coronâ *gloriæ & vitæ*, divinis scilicet Sponsi radiis redimita *coronaberis*. Nobiliorem nemo coronam dare potest; dabit autem, qui suam per os Prophetæ fidem obligavit. *In illa die erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis.* Aliæ ornant coronæ, hæc sola beat.

Ad vitam evocat. *Apoc. 2. v. 10. Isa. 28. v. 5.*

§. IX.

Absque timore est.

HÆc tu, Philothea, cum animo tuo reputans, audito mortis vicinæ nuncio, exultas, ut cernimus: quámque tot votis desiderabas, nunc intrepida hilarísque amplécteris. Piè omnino, ac sapienter. Nempe mori non timet, qui didicit rectè mori: artem scilicet unicè cunctis necessariam, magistro tamen Christo perfacilem.

Et quid timeat devota Deo anima? an eximi vivâ corporis sandapilâ? an gravissimis expediri vinculis? an è fæcenti cœno extrahi? Tergiversabitur fortè è circo excedere? ad palmam victoriæ capiendam festinare? caput dare radiis coronandum? Gravè fortassis accidet, perituras opes cum æternis, fallacem honoris umbram cum perenni gloriæ splendore, mortales cum immortalibus amicos, fluxæ voluptatis guttulas cum torrente, luteam terræ domunculam

cum

cum aureis cæli palatiis commutare? Verebitur forsan severum Judicis vultum? dulcissimum meminit esse Sponsum: forsitan hostilem dæmonis furorem? jam dudum millies debellavit: an prioris vitæ maculas? jam olim propriis oculorum imbribus, pretioso Sponsi sanguine eluit: an expiatorios ignis ardores? jam diu charitatis divinæ flammis mitigavit: an terrificum sententiæ tonitru? jam jam audivit triumphale carmen. *Veni Sponsa mea: veni coronaberis.* Non ergo jam timet; quia ante amando timuit, timendo amavit.

Magnæ spei gaudiique plena.

Est verò cur speret gaudeátque plurimum. Quî enim Servatoris promissa secum recolat fidelis anima, & non in voces fiduciæ lætitiæque plenas erumpat cum Paulo? Quod felix, faustum, fortunatúmque sit! *Ego jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum eius.* Nunc meam ditabit egestatem: modestiam, opum contemptum, labores, incommoda remunerabitur, qui pauperibus *regnum cælorum* pollicitus est: nunc meas absterget lacrymas: luctum, pœnitudinem, dolorem, suspiria, vigilias, jejunia cæli deliciis compensabit, qui *Beatos* pronunciavit *lugentes*; *quoniam ipsi consolabuntur*: nunc condonatas facilè injurias, erogatam in pauperes stipem, auxilia corporibus animísque impensa fœnore centuplicato restituet, *qui misericordibus misericordiam* spopondit. Pacem concordiámque sanctè colui; & non sperem me inter charas *Dei Filias* referendam? Prima mihi cura fuit, ne *cor mundum* culpa inquinaret; & non confidam fore, ut *Deum* læta *videam*? Vt ancillam me fidelem atque industriam supremo rerum Domino probarem, pro viribus contendi, & fidem non habeam dicenti: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus & ubi sum ego, illic & minister meus erit*? Quot luctas carnis,

2.Tim.4. v.7.

Matth.5. v.2.

Io.12.v.26

quot mundi prælia, quot Satanæ insultus Deo auxiliante, Sponsi mei armis instructa, meritis animata, confirmata robore victrix sustinui? & credam defuturum mihi eum, cujus effata sunt; *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda: vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ: & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius: faciam illum columnam in tempore Dei mei; foras non egredietur amplius?* absit hæc à me diffidentia. De optimo maximóque non nisi maxima quæque & optima speranda sunt.

Apoc. 2. v. 11. & 3. v. 5. 12.

§. X.

Exempla alacriter morientium.

IN hunc ferè modum Patriarchæ adventantem excepêre mortem: inter quos Abraham *deficiens* quidem corpore; spiritu tamen vegetus & valens *mortuus est in senectute bona*, atque ex hoc mundo tam promptè ac tranquillè, quàm olim ex Vr Chaldæorum migravit. Jacob *finitis mandatis, quibus Filios instruebat*, veluti ad dulcem somnum membra compositurus, *collegit pedes suos super lectum, & obiit.* Moyses *ascendit in verticem Phasga*, contemplatus promissionis terram, *ibique mortuus* est, non minùs suaviter, quam feliciter; quia *jubente Domino*, qui *& sepelivit eum in valle* Angelico Michaelis ministerio usus. David dispositis regni negotiis dormivit cum patribus suis, gavisúsque est animam tanto tempore captivam à corpore tandem separari; quia *quasi adeps separatus à carne* vixit, & *Dominus purgavit peccata ipsius. Avolavit sanè ut columba*, *qui quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita ad Deum* anhelavit. Tobias, post receptam divinitus lucem, quadraginta annos *in gaudio fuit*; quia memor fuit Dei *in toto corde suo*: multa tandem vaticinatus Filio, *perrexit in pace*; quasi ab exilio in patriam rediturus. Job calamitate multiplici jactatus quantò premebatur magis, tantò altiùs emersit, sempérque paratus moriendo

Gen. 25. v. 8
Gen. 49. v. 32.
Deut. 34. v. 1.
v. 5. & 6.
Eccl. 47. v. 2.
v. 13.
Ps. 41. v. 2.
Tob. 1. v. 13
Tob. 14. v. 4

do emere immortalitatem: *In nidulo meo moriar*, dicebat, & *ſicut palmâ multiplicabo dies meos.* Tandem ingreſſus eſt *in abundantia ſepulchrum*: *ſicut infertur acervus tritici in tempore* ſuo: ex æquo ſcilicet meritorum *plenus* ac *dierum*.

Iob 29.v. 18.
5.v. 26.
42.v.16.

Mors pretioſa cæli favoribus.

Tam ergo *pretioſa* fuerit *in conſpectu Domini mors* iſtorum, ipsíſque jucunda morientibus, quando adhuc obſeratis cæli januis in propylæo limbi multis adhuc ſæculis clara Dei viſio erat exſpectanda: Et non ſit multò illis pretioſior, quibus aſtra jam dudum Servator pandit, viam ſignavit? viaticum quoque divinum præbuit? locum inter Cælites paravit? parvâ, aut omnino nullâ ab obitu temporis morâ coronam gloriæ impoſiturus, nuncios mittit, ut Arnulpho? diem horámque mortis aperit, ut Eduardo? Veſpillones deſtinat leones, ut Paulo? imò Angelos, ut Catharinæ? cælum monſtrat apertum, ut Wandregiſilo? nomen ſuum vitæ libro inſcriptum exhibet, ut Senenſi Franciſco? Sanctos adjungit Comites, ut Heriberto? Cæleſtes ſubmittit muſicos, ut Nicolao Tolentino? ipſemet denique cum Virginea Matre aſſiſtit, ut Chriſtiano? animámque columbinâ formâ ex ore egreſſam cælis inſerit, ut Medardo: aliáſque honoris ac amoris ſignificationes impendit, ut aliis ſexcentis?

O quanti hos cæli favores in morte emerent Reges Cæſareſque, ſi poſſent! quantum auri argentíque pondus profunderent, ſi timorem mortis ac judicii à ſe amoliri datum eſſet! quàm promptè omnes coronæ cimeliorúmque gemmas impenderent, ſi ex hac vitâ evocandis tantùm fiduciæ gaudiíque mercari licitum foret! At, qui *pretioſam Sanctorum mortem* ambit, pretioſam quoque virtutibus vitam agere adlaboret: nihil pretioſum æſtimet, quod non eſt æternitati ſacrum: peccare timeat, ne timeat mori: rectè agat, ut bene ſperet. Tu Philothea, timoris expers, ſpei plena triumphas lethóque læta occurris; quia per Dilecti veſtigia hujus vitæ ſtadium decurriſti.

SCE-

SCENA II.

Philothea

OLeum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis. Curremus in odorem unguentorum tuorum. *Cant. 1. vers. 2. & 3.*

EXEGESIS.

§. I.

Solatia piè morientis.

ERgo moriendum est? favete Superi. Hoc volebam. Nata sum, ut moriar: morior, ut vivam. Pœna fuit amanti, vivere; mori gratia est. Quæ mihi me eripiet mors, eadem Dilecto me in manus tradet. Euge anima mea! nunc te masculam ostende: nunc Christianam te heroidem cælo exhibe. Gravis imminet lucta; quia extrema: sed & non ingrata; quia ultima & palmæ proxima. Certa viriliter; cum Deo vinces. Ne metue mortem, quam Christus pro te mortuus exarmavit: mordere potest, tenere nequit: sternere debet: quin resurgas, prohibere non valebit. Communi lege supremi Numinis cadet corpus; ut singulari Servatoris gratiâ animus emergat.

Fortè solicitam te habet articulus, qui est salutis caput? laudo; sed non habeat te modò anxiam toties támque sedulò expensus. Grande est momentum, à quo pendet æternitas; sed non grave tot annis expectatum, tótque votis expetitum. In limine æternitatis consistimus; sed beatæ: ita

ita infinita Dei bonitas sperare jubet; non solo quidem merito nostro; sed simul inexhaustâ meritorum gratiæque copiâ Redemptoris. Subeunda est severa justi Judicis excussio; at suo nos ore absolvet, qui nostras suo sanguine culpas abolevit. Qui pœnitenti pepercit; non damnabit amantem. Instabunt tabidi ex inferis accusatores; at non deerunt Patroni Cælites, non deseret tutelaris Angelus: succurret *acies castrorum ordinata*, Erebi victrix, Clementiæ parens MARIA. Vrent dolores corporis; sed refrigerabunt solatia mentis. Discedendum est ex mundo; at non ægrè discedit, qui odit. Relinquenda sunt omnia; at quid tandem, quod deserat, habet, qui pridem amore Dei cuncta abjecit. Non tamen nulla timendi causa est: etiam Sanctos persæpe timuisse. Esto: timeant; at non ut servi timent: pellit hunc timorem charitas, spem acuit. Qui timet, ut Filius; plus amat, quàm timeat. *Delicta juventutis* fortè terreant? ea sincerus dolor deflevit, confessio aperuit, cruor Christi diluit, vita castigatior emendavit. *Ignorantiæ, occulta atque aliena* fortasse prement? At hæc ego, qualiacùmque sint pœnitudine castigo, atque in immensam divinæ misericordiæ abyssum demergo: Non potest non misereri, qui totus est misericordia: neque supplicantem à se repellere animam, quam tot beneficiis ad se traxit: non patietur salute excidere, cui tot salutis pignora impertivit.

Ps. 25. v. 7.

Ibid. & Ps. 18. v. 13.

§. II.

ECce ergo, Dilecte mi, JESV Clementissime; jam in procinctu sto. Volentem evocas: currentem trahis. Non dolor est sequi; sed voluptas: nihil mœroris sentio; sed præ gaudii magnitudine vix me ipsam capio. Quò enim vado, nisi, quò me Sponsus ducit, ad æthereum regni thalamum, ad castissimas *Agni nuptias*, ad felicissimam divinæ

Summa solatiorum est sanctissimum Jesu nomen.

Apoc. 19. v. 7.

gloriæ communionem? Quam ergo longa desiderii fatigavit frustratio, indicta tandem profectio miris me modis exhilarat. Mora nulla est, venio: ut magnis ad te passibus festinem, charitas urget: ut expeditiùs *curram*, tu ipse facis.

Jussisti vasa colligere: en colligo. Est mihi vas unum pro mille: *Oleum* scilicet *effusum nomen tuum*: hoc sufficit; alio non mihi est opus viatorio instrumento. Si face indigeo; tot in hoc nomine tædas, quot radios numero: si arma peto; ipsum mihi pro clypeo, clavi pro telis, fulgor pro fulmine est: si baculum circumspicio; in Cruce Scipionem, virgam, gladiúmque invenio: si pallium desidero; hîc tui me cruoris purpurâ involuit: si vehiculum peto; hîc tuæ brachia charitatis me excipiunt: si auro argentóve ad sumptum egeo; hîc ex tuis vulnerum sacrorum venis accipio. Omnia unum nomen complectitur: quia in nomine Salvator, in Salvatore nomen, tamquam in pyxide continetur, atque ut effluat, velut *oleum*, unguentum, balsamúmque, cùm piis agitatur votis, largiter quaquaversum in omnes animæ sinus tam salubriter, quàm jucundè *effunditur*. Hoc nempe oleum rubiginem vetustatis abstergit: hoc lenit dolorem, vulnera sanat, duritiem emollit: hoc sua pinguedine corroborat, dulcedine delectat, substantiâ nutrit: hoc fragrat odore, subtilitate supernatat, luctantem ungit, cælestem denique amoris flammam accendit, fovet, auget, illustrat.

Oleum mirificum.

Ps. 44. v. 8. *Exod. 29. v. 7.* *Exod. 37. v. 29.* *Luc. 10. v. 34.* *Matth. 25. v. 4.* *4. Reg. 4. v. 7.* *Iob. 29. v. 6*

Quomodo ergo lugeam hoc *oleo lætitiæ perfusa*? quomodo in lucta succumbã hoc *oleo Unctionis* delibuta? quid in me desiderabit supremus arbiter, si fuero hoc *sanctificationis oleo* peruncta? an fortè ullum in me remanebit vulnus, cui cælestis ille Samaritanus *oleum* tam pretiosum *infudit*? an à nuptiis excludi metuam, quando *lampadem* cordis mei hoc *oleo* prudenter *ornavero*? an *creditori* fortè non *satisfaciam*, cùm mihi non *lecythus olei* Prophetæ beneficio vasa animæ impleat; sed Dei jussu ipsamet *petra fundat rivos olei*: tu scilicet,

licet, Dilecte mi, ſub torculari preſſus non uno; ſed pluribus omnino *rivis* ſalutem tuo nomine ſignificatam, gratiam, miſericordiámque liberaliſſimè profundas, meæque ſinus animæ impleas?

Stabat olim hoc admirandæ virtutis oleum, nomen inquam tuum, Dilecte JESV, in æterni Patris pectore, veluti pretioſo Deitatis myrothecio incluſum: nec niſi parcè ſemel iterúmque guttulam exſudavit; quando *in Ieſu Filio Nave*, fortitudinem: *in Ieſu Filio Sirach*, ſapientiam: *in Ieſu Filio Ioſedec*, ſanctitatem exhalavit, atque ita unum terræ populum ingentibus beneficiis certáque ſalute impertiit.

Olim incluſum.

Fuit equidem Joſephus ab Ægyptiis appellatus *Salvator mundi*; at erat ipſe ſalutis indigus: miſſus eſt Iſraelitis *Salvator Othoniel*; ſed *mortuus eſt*, umbra ſcilicet Salvatoris. Promiſit Iſaias *fontes Salvatoris*; verùm ex illis non bibit: optavit, ut *germinaret terra Salvatorem*; ſed ante tam prodigioſum felicémque partum ipſe vitam abſolvit: excitavit Zacharias Sionem in ſpem magnam: quando *Ecce Rex tuus*, inquit, *veniet tibi juſtus & Salvator*; ſed ſperare illi licuit, videre non fuit conceſſum. Nimirum hoc pretioſum ſalutiferi *nominis oleum* tunc temporis nondum erat *effuſum*. At ubi à ſanctiſſimis Parentibus tuis *vocatum eſt nomen tuum IESVS, quod vocatum eſt ab Angelo priùs, quàm in utero conciperèris*, non ſe ampliùs continuit hoc oleum; ſed facto impetu, charitatis ardore bulliens erupit, totúmque mundum claritate, fragrantiâ, ac virtute inundavit. Tunc enimvero hoc nomen, in candelabro Crucis elevatum, ſuos quaquaverſum radios diffudit: mox Petrus illud in Judæa novus myropola circũtulit: Paulus, *Vas electionis, coram Gentibus & Regibus portavit*: cæteri diſcipulorum per quatuor orbis plagas diviſi, ſtupendis in hoc nomine perpetratis ſignis, ſalutiferum cæli oleum liberaliter gratíſque mortalium mentibus affuderunt.

Gen. 41. *v.* 45.
Iud. 3. *v.* 9.
Iſa. 12. *v.* 3.
45. *v.* 8.
Zach. 9. *v.* 9.
At nunc effuſum.
Luc. 2. *v.* 21.
Act. 9. *v.* 15.

§. III.

Virtus nominis Iesu.

O Nomen mirificum! ò oleum sacrum: ò unguentum salutiferum! ò balsamum pretiosum! Dixerat Petrus homini *ex utero matris suæ claudo*: *In nomine IESV Christi Nazareni surge & ambula: & mox exiliens stetit & ambulavit. Invenit Liddæ Æneam octo annis jacentem in grabato paralyticum, aitque illi: Ænea, sanat te Dominus IESVS Christus: Surge & sterne tibi: & continuò surrexit.* Audivit ex Anania Saulus: *Misit me Dominus IESVS, ut videas & implearis Spiritu Sancto; & confestim visum recepit.* Imperavit ipse jam factus ex Saulo Paulus tartareo pythoni, uterum puellæ insidenti: *Præcipio tibi in nomine IESV Christi exire ab ea*: nec ille diu cunctatus *exiit eâdem horâ.* Gloriosa sunt hæc tuo nomini, Dilecte; mihi verò tam jucunda, ut plura accumulare lubeat. Quâ, obsecro, virtute idem Paulus *Eutychum de tertio cænaculo cadentem mortuumque* vitæ restituit? qua incantatione *viperam è manu pendentem excutiens in ignem, nihil mali passus est*? quo usus antidoto Joannes Romæ paratum sibi toxicum sine damno hausit? Quâ demum potestate alii quoque Divi complures tot patrârunt prodigia? qua ârte Petrus Episcopus ferreas rupit catenas? Josephus Comes ab insaniente atque energumeno vesaniam dæmonémque fugavit? Patritius baculum suum tot prodigiorum feracem reddidit? Lidvvina egentissima suam pauperibus crumenam inexhaustam fecit? Quo stratagemate Clodovæus jam prælio victus, repentè victor, hostes debellavit? Otto Imperator per fluminis exundantis alveum copias feliciter transportavit; hostilem, qui tergo imminebat, exercitum demersit? nisi tuo, mi JESV, invocato nomine: cujus firma certáque est pollicitatio, tuis ex ore tuo sequacibus facta: *in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non*

Act. 3. v. 6. & 7.
16. v. 11.
Act. 9. v. 17 & 18.
16. v. 11.
20. v. 10
28. v. 5.
Baron. anno. 474.
Anno 974.
Marc. 16. v. 17.

tis nocebit : super ægros manus imponent, & bene habebunt : quoties res postulat, hoc uno Verbi nomine thaumaturgi.

Nimirum quidquid in Verbo divinitatis est, id omne hæc nomenclatura complectitur. Quoties enim dulce *nomen IESV* resonat, mox *Salvatorem* mundi, Deum scilicet hominémque in mentem revocat : quoties insigne *Christi nomen* in aures oculósque incurrit, illico summus Sacerdos & Rex de cælo unctus animo obversatur; Sed ò qualis Rex? quantâ præditus nobilitate, opulentiâ, fortitudine? quàm præclarus potentiâ, clementiâ, majestate? ò qualis Sacerdos! quàm *Sanctus, innocens, impollutus*? quàm *misericors, fidelis & magnus Pontifex*? utpote *segregatus à peccatoribus, excelsior cælis factus, futurorum bonorum* Sponsor & dispensator. Quid hoc homine mirabilius, quem divinitas inhabitat? & tamen mihi magistrum & pastorem, lucem & escam, amicum, Fratrem, & Sponsum esse delectat? Quid grandius, quid sublimius, quídque amabilius Deo, qui humanæ carnis naturam indutus inter mortales mortalis esse cœpit; sed æternus, immensus, beatus esse non desiit? nihil sapientiæ, bonitatis, pulchritudinis amisit? virtutem, dulcedinem, dignitatem non imminuit? Cæli terræque gubernator, felicitatis fons, rerum omnium finis, principium, vita, salus, gloria esse perseveravit? Quid ergo mirum fideles animas tanti Regis ambire gratiam? Pontificis tam præstantis sequi sanctitatem? tam excellentis hominis amicitiam quæritare? tam admirandi Numinis adorare majestatem? Trahit odor columbas, dulcedo apes, lux aquilas, pulchritudo *adolescentulas*, JESV nomen animas.

Significatio.

Heb. 7. v. 26. & 2. v. 17. 4. v. 1.

§. IV.

SEntiunt profectò divinam hujus olei nominísque effusi fragrantiam dicata Deo pectora: *ideóque* jam usque à Virgineo

In piis mentibus amorem Dei excitat.

gineo partu, quotquot fuêre non segnes, frigidæ, ac senescente spiritu, edentulis rugosísque vetulis non impares animæ; sed amoris divini æstu fervidæ, velut *adolescentulæ* formosæ, impigræ, viribúsque recentes mortalium mentes miris *te* modis *dilexerunt*. Quis etenim Paulo ducenties tricies & ampliùs in paucis epistolis tuum Dilecte, nomen in calamum dictavit? quis Ignatii Martyris cordi impressit, ut inter leonum dentes JESVM ille semper ore dulciter appellaret? quis Henrico Susoni auctor fuit, ut pectori suo, velut pulcherrimum emblema, hoc divinum nomen cultello incideret, nisi amor? An fortè non *te Dilexit* Bernardus, cui JESVS Sole serenior, & balsamo suavior, omni dulcore dulcior, & cunctis amabilior erat? annon & Bernardinus, cui solemne fuit ectypa tui sacrati nominis, picta, sculpta, cælata, ficta, tamquam trophæa gloriosissima circumferre? & passim ædibus, cubiculis arísque affigere? annon & alter Ignatius: quem divinæ gloriæ Zelus fecit orbis Phosphorum, atq; inducere nemo potuit, ut aliam suo cœtui appellationem, signum, vexillúmque, quàm sacrosanctum JESV nomen præfigeret? Annon deniquè & Ægidius præclarus Seraphici Patris Filius audito solùm hoc nomine extra se rapi solitus: Franciscus quoque Venetus aliud cogitare nescius: & Margarita Hungara nihil aliud quàm JESVM loqui docta: florentissimæ nimirum *adolescentulæ* te sincerè fortitérque *dilexerunt*? atq; ita tot unguentis, quot divinis humanísque perfectionibus illectæ, *in odorem unguentorum tuorum* magnâ celeritate per aspera & invia anhelando totis viribus *cucurrerunt*?

Vnguenta Dilecti.

Et quis non festinet, non currat, non volet? quando suum divina providentia odorem, charitas, clementia, misericordia, bonitásque effundit? quis non toto feratur impetu ad vitam, salutem, veritatem, gloriam, beatitatem ultrò occurrentem? quem non trahant mirifica tuæ dulcedinis, claritatis, sanctimoniæ, liberalitatis pulchritudinísque *unguenta*?

ta? quem non rapiat ſapientiæ, æternitatis, omnipotentiæ, magnitudinis, celſitatis fragrantia! Clamant enimverò, quotquot te amant animæ: Currimus, ò Sponſe, *curremúſque* ſine ceſſatione *in odorem unguentorum tuorum*, tot paſſibus, quot deſideriis; donec liquefactæ Sancti amoris flammâ ex unguentis ad unguentarium perveniamus, & penitùs expirando è nobis egreſſæ, atque in tui cordis myrothecium transfuſæ, ſuaviter quieſcamus.

At quid ego? cucurri equidem: ſed quoties, prô dolor! in medio curſu ignava ſubſtiti? quoties aliquantum à via imprudens deflexi? quoties lentis pigra greſſibus inceſſi? reſpectando feſſa ſuſpiravi? currendo quoque à contentione ſectatrix languida multum remiſi? Da veniam Dilecte: nunc tuis freta auxiliis *curram*, totíſque curram viribus donec vitæ curriculum abſolvam. Ecce venio! ecce *curro*, pérque ipſas mortis fauces ad beatum Vitæ ſinum, tuum ſcilicet dulciſſimi pectoris ſacratium feſtino! Veniat Parca, vitæ filum incidat; paratam inveniet. Teſtamentarias à me tabulas nemo exigat, nemo expectet. Cui nihil eſt in terris, teſtamentum jam confecit. Sufficit, ſi Cælites meis, quæ dicto, verbis ſubſcribant: Vltima hæc mihi voluntas eſto: Dei amore mori; ut æternùm vivendo Deum amem: ſemper amando vivam.

Ultimæ voluntatis compendium.

VEni, coronaberis. *loc. cit.*

Amor, Miſericordia Iuſtitia, David.

EXEGESIS.

§. V.

PVlchrè, præclarè, ſapienter! Excipimus ò Philothea, atq; adamante ſcribimus verba cedro digna, quæ dictâſti. Non inte-

intestatus moritur, quisquis cum hac ultima voluntate moritur: Deum scribit heredem; quia piam causam instituit: perpetuum nempe sacrificium charitatis. Non è vivis discedit, qui sic decedit; quia à mortuis ad vivos transit. Non alienis effertur humeris odoramentorum indigus; *quia in odorem unguentorum* ipse quoque odoratus currit. Perge igitur Philothea: curre velociter: *veni* properè: amoris flammas quoad potes explica, atque ita igneas induta alas sursum evola.

Multiplex corona diligentibus Deum parata.

Jam te expectant corollæ, serta, coronæ: ex floribus, ramusculis, gemmisque, & si vis, etiam è stellis radiisque contextæ. *Coronaberis*, ne dubita: & quod mireris, *etiam de Libano, de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon* tibi victricia mittentur serta: de *montibus pardorum, de cubilibus leonum corollæ venient.*

Integritatem vitæ, piúmque precandi studium: *candorem* scilicet, atque *thus Libani* suaveolentibus liliis balsamíque surculis coronabit Religio: *fidem veritatémque*, præstantes *Amanæ* dotes, lauri baccis, atque olivæ foliis in corollam compositis cinget Justitia: Spontanea corporis supplicia atque illustria virtutum exempla, veluti *rubus* & *lucerna* ex vertice *Sanir*, in rosas & hyacinthos conversa delicatum capiti sertum conficient: Præclara animi decreta seu vota, quibus te Deo consecrâsti! atquè ita mundi carnísque destruxisti machinas, ex culmine *Hermon*, tamquam allatæ palmarum spathulæ triplex tibi diadema facient. Quot in cubilibus leonum, pardorúmque montibus domuisti monstra: quot gulæ, libidinis, avaritiæque belluas? quot invidiæ, fastûs atque iræ portenta: quot nequitiæ, hypocrisis perfidiæque pestes superâsti: tot tibi palmæ, tot coronæ, tot præmia victrici affluent.

Veni Philothea, veni: jam robusta tibi spes argenteam, infracta tolerantis animi constantia auream, simplex pruden-

dentiæ candor gemmeam, inextinctus charitatis ardor stelliferam in parato habet coronam. *Veni*: non passus Dei amore factus, non verbulum divinæ gloriæ dicatum, non nummulus egeno datus, non frigidæ haustus sitienti oblatus suo carebit præmio: erit sua dictis, factis, cogitatis, ipsísque desideriis merces: in numerato sunt anni, dies, horæ, atque adeò momenta ex virtute transacta, divinóque impensa obsequio, suis quæque stipendiis donísque perenniter remuneranda.

Veni. Jam te Angelorum chori cum tripudio præstolantur felicem vacuæ sedis occupatricem: invitant non degenerem Patriarchæ sobolem: vocant diligentem Prophetæ Apostolique discipulam: hortantur Martyres vitæque melioris Professores assiduam virtutis æmulatricem: desiderant Virgines Viduæque charissimam cunctis sodalem. Gaudet universa cæli curia novam spectare civem, perennem Numinis laudatricem, splendidam beatæ aulæ stellam: pretiosam in Servatoris diademate gemmam: Regina Cælitum dilectam sibi excipere ancillam ceu Filiam: Rex ipse Superûm dilectissimam amplecti Sponsam, gloria & honore redimire amicam, æternæ beatitudinis participem reddere Sororem.

Non sine jucunda Cælitum omnium expectatione.

Curris? suspiras? placet. Itaque jam *venis*; sed antè expirandum est, quàm pervenias.

SCENA III.

Philothea EGo Dilecto meo, & ad me conversio ejus. *Cant. 7. v. 10.*

EXEGESIS.

§. I.

Vocale amantis animæ silentium.

ADhuc ergo spiro? utinam nil nisi amorem! bene spero; quia jam altum circa me est silentium: tacent sensus, quiescunt phantasmata: *hæret defixus* in Dilecti contemplatione intellectus: ardet æstuátque tacitis voluntas flammis. Evanescunt omnia, solus hæret in mente Deus: solum cor silendo loquitur Dilecto, & Dilectus cordi: An potius & ille & ego, dum loquimur, silemus? quidquid enim ego dixero, nihil dico; ille absque verborum strepitu profatur: Dilectus amores; ego laudes.

Beneficiorum grata recordatio, laus in silentio. 2. Cor. 1. v. 3.

Benedictus Deus, & Pater Domini nostri IESV Christi: qui tam clementer, quem ex nihilo creavit spiritum, reposcit: Reddam quod debeo: lucrum erit restituisse, quod dum reddo, non perdo, & pro auctario cælum accipio! Verè *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis:* qui non me opprimit inopinato casu imparatam; sed tot aliorum mortibus præmonitam, noxis expiatam, cælestíque pane viaticatam evocat: mente sanam, sensibus integram, animo tranquillam, piis plenam affectibus, & mori cupidam ad se invitat.

Ps. 143. v. 1

Benedictus Dominus Deus meus, Dilectus meus, *qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*: qui tam aman-

manter, quam sibi despondit animam, ad desideratos divinitatis thalamos accersit. Per hastatas curram acies, ut obtemperem. Cur metuam? pro hasta mihi est Dilecti lancea, pro clypeo nomen, pro framea Crux, pro galea spinæ, pro jaculis clavi, pro cataphracta sanguis, pro commilitone Sponsus. Verè *misericordia mea, & refugium meum*: cujus me fides illuminat, spes corroborat, charitas inflammat, sapientia gubernat, patientia animat, suscipit clementia, liberat majestas, merita locupletant, vulnera sanant, dolores solantur, mors ad vitam ducit sempiternam.

Benedictus quoque Spiritus Dei sanctus, qui ex Deo est Deus: qui ita blandè, quod habitavit animæ meæ domicilium, in paradisi campos è mundi deserto transferre parat. Sequar intrepida prævolantem, columba scilicet columbam: non aliâ mihi opus est face, non aliis pennis, non ductore alio. Hic me spiritus dum præit, trahit: dum aspicit, attollit: dum aspirat, animat. Verè *Spiritus bonus, & suavis*! cujus me gratia in Baptismate initiavit, in Confirmatione inunxit, in Pœnitentiæ tribunali toties absolvit, in Eucharistica mensa saginavit: qui tot annis, mensibus, horis, momentisque meam suo Numine vegetavit animam, mentem collustravit, amorem accendit: cogitata mea, dicta, factáque cælestis gloriæ pretio nobilitavit atque insignivit.

Ps. 88. v. 53
1. Cor. 2. v. 12.
Sap. 12. v. 1

§. II.

ADoro tuam, ò Deus cordis mei, clementiam: liberalitatem in me tuam grata mente recolo atque obstupesco. Et hæc omnia non tibi sufficiant? etiam ad coronam me invitas? Quid autem in me, nisi beneficia tua coronabis? Gratia tua est, quidquid in me boni est. Te peto; non coronam. Dilectus mihi in corde vita, in brachio robur, in dextra

annulus, in ore nectar, melos in auribus, lux in oculis, in capite corona est: salus, gloria, beatitudo: solus omnia.

At quid *ego Dilecto*? illa ego vilis ancilla, terræ Filia, quondam prô dolor! rebellis ac perfida: ignava & stupida, plagis vinculísque digna? quid nisi glacies in corde fui? quid aliud, quàm brachio pondus, lutum dexteræ, acetum ori, fumus oculis, sacrato capiti umbra, si non spina dici poteram? Ah pœnitet me, pudétque mei. Et tamen ille toto dulcissimi cordis affectu *ad me conversus* amicam, Dilectam Sponsámque me sibi clementissimè designavit. O superis terrigenísque miranda ejus *ad me conversio*! Converto ergo & ego me denuò, quanta sum, ad Dominum Deúmque meum, ut fluvius ad mare, ut plena ad solem luna convertitur.

Perfecta animæ ad Christum in terris conversio.

Quærant alii placere Mundo, servire ambitioni, inhiare deliciis; *Ego Dilecto meo.* Satagant aliis in pretio esse, affluere divitiis, amicorum potentiâ fulciri; *Ego Dilecto meo.* Gaudeant nobilitate generis, sapientiæ famâ, corporis formâ, sceptris atque imperiis; *Ego Dilecto meo.* Vixi jam dudum, & nunc quoque *vivo ego, jam non ego: vivit verò in me Christus.* Itaque vivo *ego* jam non mihi, sed *Dilecto meo*: comedo, bibo: esurio, sitio: vigilo, quiesco: dormio, laboro jam non *ego* mihi; sed *Dilecto meo*: valeo, gaudeo: fatisco, doleo: abundo, ardeo: egeo, congelasco: rideo, canto: mœreo, suspiro jam non *ego mihi*; sed *Dilecto meo.* Et cui, quæso, lacrymas seu pœnitudinis, seu amoris consecrem? cui frigidum moriens sudorem? cui morbi cruciatus donem? cui sensuum hebetudinem, membrorum languorem, anhelitûs difficultatem, defectum virium, tremorem, nauseam, pallorem, omnémque fatiscentis corpusculi ærumnam meliùs sacrificem? quàm *Dilecto meo*? cui tandem alii cor, oculos, linguam, manus totiúsque corporis structuram? cui motum, sensum, vires, facultates, vitam? cui mentem, voluntatem, memoriam, & quidquid est infusæ vel acquisitæ virtutis in anima,

Gal, 2. v. 20

nima, animámque ipſam, uti ex toto debeo, ita ex integro ſupplex offeram, quàm *Dilecto meo*?

Euge! Gaudete mecum, ò boni Cælites, & meos veſtra ope conatus ſecundate. Quò ſum letho propior; hòc *ego* ſum vicinior *Dilecto meo*: quò deſerta magis à mundo; tantò arctiùs conjuncta Sponſo. En, ut *ego Dilecto meo* ad pedes accido: ut me veluti vitis ulmo fortiter implecto! An non rectè ego *Dilecto meo* animæ brachia, ſpem amorémque iniicio? & ſacrata pedum manuúmque vulnera dulciter exoſculor? an non ſapienter annuente *Dilecto meo* in hæc reorum aſyla, juſtorum ſacraria, amantium conclavia me abſcondo? quidquid mihi meritorum gratiæque deeſt, ex his gazophylaciis uſurpo? cúmque brevi abhinc æterno Patri ſiſtenda ſim, ne inornata compaream, ſanguinis Divini purpurâ ex omni parte me conveſtio? An non ſanctè æternitatis iter ingreſſura, procuro animæ annonam, atque Angelicâ Divinitatis eſcâ potúque ex vulnerato Dilecti corde paſcor?

Sic ergo animata gaudénſque ex hac mundi cavea diſcedo: ſic *ego Dilecto meo* ſecura vitæ exitum committo: ſic *Dilecto meo* in ſacratas manus, quam nutu condidit, morte redemit animam, ſpei plena commendo: ſic *Dilecto meo*, quò magis à me deficio, eò magis me totam immergo, patienti morientíque conformiorem reddo: ſic *Dilecto meo* ſenſim languendo feliciterque liqueſcendo, ut unus cum eo ſpiritus fiam, quantum ſcio valeóque, me paratam exhibeo, neque ſecus ac ceram vel ſtipulam immenſo igni, ut me *convertat* in ſe, totis viribus obverto: an magis iniicio?

§. III.

Mirificà Dilecti ad animam converſio.

QVid autem proficeret totus hic virium mearum conatus, niſi votis ille meis ultro occurreret, méque expaſſis clementiæ ſuæ ulnis exciperet? Languida profectò eſſet quan-

quantacumque meæ ad ipsum *conversionis* molitio; nisi illam inflammaret *eius ad me conversio*. At ecce! convertit ille se jam olim ad me, ut *pastor* anxius ad oviculam, quæ *perierat*, investigandam: ut *mulier* industria ad *drachmam, quam perdiderat*, recuperandam: *ut negotiator* ad quærendam emendámque *margaritam* summo studio intentus. O sedula constánsque *conversio*: An verò hic acquievit? minimè quidem, sed tota animi contentione se ulteriùs *ad me* convertit, veluti *gallina congregans pullos suos sub alas*; ne milvo præda fierent: *sicut aquila provocans ad volandum pullos, & super eos volitans*; ut alacriùs tutiúsque me in altum librarem, solem meum cominus spectatura: tamquam *pelicanus* proprii cruoris impendio prolem nutriens; ut vitam immortalitate dignam ex vulnerato Dilecti pectore haurirem. O plena solicitæ charitatis *conversio*! Poterámne grandius effusæ charitatis pignus expectare? Enimverò, quod ego vix cogitatione assequi valebam, ille sui quodammodo oblitus, ut totum se mihi impenderet, non secus ac Frater fidelissimus ad charam sibi Sororem: veluti blanda Mater ad tenerè dilectum filiolum: Sponsus castissimus ad destinatam divinis nuptiis Sponsam, amanter liberalitérque se suæque pietatis viscera sæpè sæpius *ad me convertit*. O dulcis & felicissima *conversio*! Et nunc quidem in hac calamitatum arena defigit sacratos in me oculos; ut cor amore vulneret: inclinat beatas ad me aures; ut suspiria precésque excipiat: impertit dulcissimam mihi linguam; ut cælestibus alloquiis aures animæ demulceat: porrigit invicta mihi brachia; ut gradientem ducat, titubantem fulciat, fessámque portet: indulget divina mihi labia; ut casto Dilectam osculo dignetur: pandit adorandum pectoris penetrale, ipsúmque cor explicat; ut suavissimo divinitatis pulvillo felicem Sponsæ somnum concilient.

Luc. 15 v. 6
v. 9.
Matth. 13. v. 45.
Matth. 23. v. 37.
Deut. 32. v. 11.
Ps. 101. v. 7.

Læva

LÆva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Cant. 8. vers. 3.*

EXEGESIS.

§. IV.

DE manibus quid dicam? *Læva eius sub capite meo.* O qualis Dilecti mei læva? quàm plena deliciis! quàm profusè liberalis! Verè *in Sinistra eius divitiæ & gloria*: meritorum scilicet thesauri, gratiarum abyssi, virtutum décora, fulgidi sanctitatis radii. O *læva* tam calida amore, quàm cordi propinqua; tam stabilis fidelitate, quàm Verbo æterno intimè conjuncta! tot gemmis corusca, quot divinis dotata prærogativis! Quàm miranda patrare soles prodigia! A te est illa plenissima solitudo, illud vocale silentium, illa lucidissima caligo: à te est illa sobria animarum ebrietas, ille pervigil somnus, robustus languor, vitalis liquefactio? dum tangis, rapis: dum digito loqueris, silentium facis: dum tenes, involvis? dum oculos perstringis, illuminas. Et hæc læva, Superi! jam quoque, dum mortali corpore inclusa gemit anima, est *sub capite meo*; ut blandè illud foveat, ut suaviter sustentet, ut castè demulceat, ut arctè pectori suo apprimat, ut ad cælestium rerum spectacula attollat! Quid sinistri tam fido hujus *læva* fulcimento stabilita timeam? quid non felicitatis inde traham? quis explicet, quantis affluam voluptatibus, abundem gaudiis, solatiis perfundar? quæ nec ipse, qui excipit animus, capit? sed cælesti suavitate ebrius, nil nisi Deum loquitur, cogitat, amat? Hæc mihi *læva* pro torque, pro casside, & corona est: Hæc intellectum, qui caput est animæ, communit: variis æternæ veritatis luminibus illustrat, inanem caducarum rerum memoriam

Læva ejus raris plena favoribus, *Prov. 3. v. 16.*

riam abstergit, animam ipsam nunc extra se quodammodo rapit, animæque appendicem, carneam corporis molem, à terra abstractam, in aëre suspendit: jam admirabili quiete sensus animique facultates suavissimè sopitas ligat; mentem verò Dilecti contemplatione absorptam vigilémque tenet: modò divinis totam flammis accendit, ut æstu languida ægrè corpus trahat, spiritu liquefacta sensim diffluendo seipsam perdere, inque Dilectum, ceu oleum igni affusum, transire, ardere, consumi, votis omnibus exoptet.

§. V.

Inter quōs censenda solitudo cordis.

O Solitudo! non inamœna; sed jucunda: non corporis; sed cordis: non infecunda; sed florida: non erroribus periculisque obnoxia; sed secura penitúsque felicissima! Vbi nil nisi terræ solum, quòd calcatur: aura paradisi, quæ hauritur: cæli tentorium, quod cupidè spectatur. Vbi præter Deum nihil, in Deo omnia, Deus in omnibus, omnia Deus. Ille ductor & comes, columna nubis & ignis, petra mellis & cæli manna, tabernaculum fœderis, & arca testamenti: mensa panum aurea, atque æterni luminis candelabrum. Hîc enimvero præstat Dilectus meus, quod olim spopondit, quando de Dilecta sibi anima: *Ego*, inquit, *ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Tunc *lætabitur deserta & exultabit solitudo & florebit quasi lilium. Et habitabit in solitudine judicium, & justitia in Charmel sedebit: Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium & securitas.* Quomodo enim non lætetur? non exultet? non floreat? Vbi judicium gubernat, justitia imperat, pax floret, silentium & securitas quiescit? O felix, quæ in hanc solitudinem Sponsa ducitur! Quocumque enim se vertat, quidquid agat, Deum aspicit aliúdque nihil: in compitis & vicis, in foro & curiis, in theatris & circis, in campis & castris sola agit; non amicorum notorúmque

Osе.2.v.14
Isa.35.v.1.
32.v.16.

que cœtibus, non occurſantium commeantiúmque turbis, non famæ rumorúmque bajulis; ſed ſoli Deo diviniſque nutibus intenta: non otioſa, ſed quieta: *audiam*, inquit, *quid loquatur in me Dominus*; ſícque in *ſilentio & ſpe* Dilectum obſervat, quantóque audit avidiùs, tantò ardentiùs amat. An non meritò hanc ſolitudinem pro paradiſo habeat, ínque ea quadraginta hærere annis momentum exiſtimet?

Pſ.84.v.9
Iſa.30.v.1

O ſilentium! non ingratum; ſed amabile: non mentis; ſed linguæ & oris: non ex hebetudine ortum; ſed admiratione profectum, divino blandiens ſuſurro, tacitis æterni Verbi vocibus diſertum, vobis, ò Filiæ Jeruſalem, experientiâ compertum. Non jam obſtrepunt ſenſus, non interpellant phantaſmata, ipſa etiam mentis operosè ratiocinantis certamina ceſſant; ſola avidas præbet aures ratio, audiendo paſcitur: voluntas numquam ſatura Dilecti inhiat ſermonibus; ab illius ore pendet, ſive blandiùs illabendo erudiat, ſive duriuſculè ſonando increpet. O quàm feliciter tunc obmuteſcit anima, cùm ipſamet ſapientia in corde loquitur! quàm celeriter plus diſcit tacendo, quàm omnes mundi ſapientes declamando docere queant! quàm perfectè exiguâ cordis membranâ capit, quod multæ librorum myriades non explicent!

Silentium ſensûs interni & externi.

Vnde enim tam repentè ſummam haurit ſapientiam, veram ſcilicet ſui Deíque cognitionem? quomodo occultas hoſtium declinare fraudes novit? quo pacto rerum futurarum præſentiúmque pretia æſtimare? tam exquiſitos varióſque Deo placendi modos inire? tam pulchras amandi artes exercere? tam expeditum in rebus ambiguis reperire conſilium? tam uberem in piis colloquiis facundiam in promptu habere? majorem cæleſtium, quàm terrenorum notitiam profundere diſcit? niſi docentem intus audiat, qui, *cùm quietum ſilentium continerent omnia &c. Omnipotens ſermo Dei de cælo à regalibus ſedibus venit*? Hunc auſcultando Magiſtrum,

Sap. 18. v. 14.

Eeee anima

2. Cor. 12. v. 4. anima audit *arcana Verba, quæ non licet homini loqui*; aut si liceat, non est tantum eloquentiæ, ut edisserat: Sic quævis, etsi nullis exculta litteris discipula, ex una lectione ad supremam eruditionis lauream profectu repentino evehitur: Sic altissima secretorum cælestium cognitio non per aures inculcatur; sed defæcatæ menti celeriter suavitérque infusa tam altè insidet, ut nullo umquam tempore elabatur, aut obliterata consenescat. Quid mirum? qui loquitur, Verbum est, non prætervolans, sed æternum: quæ audit, Verbi Soror atque amica est, non obliviosa; sed quàm discendi cupida, tam studiosa, quæ didicit exequendi: amor ad magisterium compellit Deum: animam ad scholam trahit charitas: docentis merces est, Dilecta; Dilectus, prœmium discentis: discitur, contemplando? illustres fulgurando radios, docetur.

Illustratio mentis in contemplatione.

O lumen! ò claritas! non à sole, sed solis Conditore: non carneis concessa oculis; sed intimis animæ pupillis largiter infusa: non terrenis coloribus figurísque discernendis facta; sed cælestes detegere amœnitates solita. Non perstringit illa mentis aciem, non obruit, non fatigat; sed blandè ingreditur, sensim corroborat, totámque animam suaviter illustrat. Ecce! Dilectus meus *lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* Sunt tamen *Nubes & caligo in circuitu eius*: siquidem venit in *caligine nubis* ad charam sibi Sponsam, ut olim ad Moysem, ne nimius fulgor opprimat; sed nubem caliginémque penetrat, ut fugatis errorum ignorantiæque tenebris elevatus animæ Dilectæ oculus mirabilem in corde lucem, in luce scenam contempletur: affulget menti claritas, ut ardeat; sed operit nubes, ne deficiat: apparet in igne Deus; quia cor illuminat: sed non nisi sacra quadam caligine circumfusus; quia maxima sui parte latet: quidquid tamen sui revelet, animæ sinum explet; quia peregrinum atq; incomprehensibile mortalibus theatrum pandit.

1. Io. 1. v. 5. Ps. 96. v. 2. Exod. 19. v. 9.

Quid autem Dilecto faciliùs? quid jucundius, quàm

totam mundi machinam ſub uno radio collectam oſtendere? multis antè ſæculis geſta, veluti ſi modò coràm fierent, repræſentare? quæ fatali orbis die eventura ſunt, in anteceſſum ſpectanda exhibere? arcanos cordium receſſus, conſilia, ſenſa, deſideria inſpicienda patefacere? ex obſcuro Europæ angulo quid Tartari, Sinæ, Japones moliantur: quid Braſili, Chilenſes, Mexicani factitent, conſpiciendum non ſecus ac in tabula menti proponere?

O quale ſpectaculum Dilecta Deo Sponſa ad has Sponſi faces contemplatur? quando jam gratioſæ apud Deum animæ excellentiam, modò admirabilem virtutis pulchritudinem, modò cæleſtem divinæ gratiæ ſplendorem, tamquam vivis expreſſum coloribus, oculíſque oppanſum, videt! quando abſcondita providentiſſimi Numinis conſilia, ſenſum captúmque excedentia fidei Myſteria, æternæ beatitatis gloriǽque magnificentiam, veluti per feneſtram, inſpicit! quando denique deſideratiſſimam Dilecti faciem omni pulchritudine pulchriorem; Sapientiam, majeſtatem, potentiam nullis limitibus circumſcriptam: aliáſque Sponſi excellentias, quaſi reducto velamine patefactas, quantùm mortali fas eſt, liquidò intuetur!

O exoptata multis, conceſſa paucis contemplatio! ò præclara; ſed mira viſio! eò menti facilior, quò clauſis mundo oculis quietior! Non illam denſa noctis caligo impedit; ſed multum adjuvat: non comitatur tædium; ſed acuit voluptas: non ſequitur laboris faſtidium! ſed faciendi, pro Deo patiendíque deſiderium abſolvit: quantum virium debilitato corpori ſubducit; tantum roboris illuminatæ menti adiicit; fidei magiſtra, nutrix ſpei, incendiaria charitatis, pulcherrima ſanctioris vitæ corona, beatæ in cælo viſionis æmula; ſed umbra. O verè fortunata anima, cui tam rara divinitus eſt conceſſa viſio! dicat illa ſecum, dicat liberè: *tùm*

Mich.7.v. 8. *ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt.* Enimverò quæ ſic videt anima, hanc meritò Videntem dixero.

§. VI.

Dextera, æternæ beatitudinis abyſſus

SIc equidem, ò charæ Sionis Filiæ, ſic feliciſſima Dilecti *læva*: dum adhuc mortalium turbis implicita ſuſpiro, *ſub capite meo* poſita in animam corpúſque meum ſuam effundit liberalitatem; quid *dextera illius* non faciet ad cumulum felicitatis, quando inter ſidereæ aulæ Sponſas collocatam *me amplexabitur*? *O dextera* ſemper mihi deſiderata! dextera æternis plena bonis! quàm Omnipotens ad opitulandum in terris: tam ad remunerandum coronamdúmque in cælis prompta atque excellens! Quid eſt enim hanc amplecti dexteram, niſi Summum Bonum inſolubili nexu ſtringere? quid viciſſim in hujus dexteræ amplexum venire, quàm ab ipſamet divinitate ſtringi, atque adeò ab immenſo felicitatis Oceano abſorberi?

Omnis ergo ab hac Dilecti *dextera* beatitudo mea pendet: ut, quæ in exilio me tenuit peregrinantem, quieſcentem in patria ſuſcipiat: quæ condidit, coronet: quæ attraxit, amplectatur: quæque amantem ſtringit, uniat amore liquefactam.

Lætitia Beatorum Pſ.15.v.11 1. Cor. 13. v.12. 1.Io.3.v.2.

Tunc, ò mi dulciſſime Sponſe, *adimplebis me lætitiâ cum vultû tuo*: quia non *jam in ænigmate*; ſed in gloria: non per ſpeculum; ſed *facie ad faciem*: non in nube; ſed *ſicuti es*, te videbo, amabo, amando & videndò fruar, fruendo *unus* tecum *ſpiritus* efficiar. O qualis tunc felicitatis copia! quæ majeſtas, quæ gloria, quæ lux, quæ claritas me intimè pervadet? quanta voluptatis copia? quantus lætitiæ affluxus, quantum ſolatiorum pelagus me funditus demerget? Nullus profectò cordis angulus, nullus animæ ſinus, nulla corporis particula non erit plena gaudio. Neque enim tantummodo me

me complues, non solùm perfundes, non inundabis deliciis; sed totam penitus *adimplebis*: tot lætitiæ fontibus me ditabis, quot divini vultûs radiis: quorum unusquisque est mille voluptatum caput, & perpetuo duratura fluxu scaturigo. Exhilarabis *vultu*, *dexterâ* oblectabis: ridebit in vultu serenitas; in dextera exuberabit charitas: in fronte affulgebit plenitudo gratiæ; in dextera abundantia felicitatis, undequaque se mihi, quantùm capere valeo, infundet: intrabit in me integrum mare gaudiorum; ego *in gaudium*, in abyssum dulcedinis læta *intrabo*.

Vita: *Ps. 35. v. 10*

Apud te enim, ò Dilecte, *est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Est vita in lumine; lumen in vita; splendet in vita felicitas; vivit in lumine Majestas; dabis ergo vitam; ut gaudio fruamur: infundes lumen gloriæ; ut divinitatis lumen contemplemur: apud te, mi Christe, sunt deliciæ; quia sicut *longitudo dierum in dextera tua*; ita & sunt gaudia, voluptates, solatia, *delectationes in dextera tua*, non ad unum vel plura sæcula; *sed usque in finem*: vitæ scilicet æternitas, & beatitudinis possessæ immensitas: dies sine nocte; voluptas sine noxa: serenitas sine nube; sine felle, sine aceto, sine nausea illecebræ sacrosanctæ.

Ps. 15. v. 11

Delectationes.

O delectationes! ò gaudia! in corpore illustrior sole claritas! celerior sagittâ agilitas! subtilitas, quæ saxa penetret! soliditas, quæ ferrum ignésque rideat! vulnera, dolorem, morbos, mortémque nesciat! In anima æternæ veritatis, cui credidit, clara visio! Summi Boni, quod speravit, firma comprehensio! supremæ Deitatis, quam amavit, plena fruitio! & hæc *usque in finem*.

O voluptates! ò solatia! tam excelsa cælestis aulæ structura, tam mira stellati vestibuli pulchritudo, tam ampla regiæ domûs vastitas, tam firma regni stabilitas! quies sine torpore, securitas sine labore, ordo sine æmulatione, abundantia sine luxu, sapientia sine fastu, sine umbra splendor, sine

fastidio satietas, desiderium sine molestia, communicatio bonorum omnium sine detrimento: & hæc *usque in finem*.

O deliciæ! ò jucunditas! quam ex amœnissimo tot millium Angelorum hominúmque beatorum consortio, ex sincerissima omnium amicitia, ex plenissima voluntatum concordia, ex cælesti corporum spirituúmque venustate & fragrantia, ex suavissimo vocum concentu, exquisitissima saporis dulcedine, amabilissimo blandientis auræ ambitu Dilectæ Deo Sponsæ capiunt; & quidem *usque in finem*!

O delectationes! ò gaudiorum voluptatúmque torrentes! spectare in profundissima Dei sapientia pulcherrimum totius universi ordinem; in providentia admirandam mundi gubernationem: in potentia innumeram rerum conditarum, quæque adhuc condi possent, multitudinem: in justitia exactissimam pœnarum præmiorúmque æquitatem: in misericordia dulcissimam, plusquam paterni pectoris, pietatem: cernere inexplicabilem, quâ Filius ex Patre ante sæcula natus est, generationem: æternam, quâ Spiritus sanctus ab utroque procedit, spirationem: Patrem in Filio, Filium in Patre, utrumque in Spiritu sancto, hunc in utroque: unitatem substantiæ, personarum Trinitatem: æqualitatem in potestate, ordinem in relatione: unius ab altero originem; unam verò tribus æternitatem: naturam omnino simplicem; innumerabilem tamen perfectionum copiam! & quidem *usq: in finem*.

O immensa delectationum abyssus! in Deo esse, Deum tenere: summo stringere amore, & majore stringi benevolentiâ: Deum sibi, se Deo intimè unire: haurire ad placitum ex ipso divinitatis Oceano gloriam, immortalitatem, sanctimoniam, voluptates, divitias, perfectámque ex omni parte beatitatem: & hoc quidem *usque in finem*, sine fine.

Hæc ergo *me dextera amplexabitur*? talis ac tanta? vilissimam terræ Filiam? amplexu tam dulci atque æterno? An non

non ego omnem terræ delectationem jure despicio; ut has obtineam delectationes? annon meritò mille mortes obviis amplectar ulnis, ut hæc me dextera amplexetur? Quid non Dilecto pro hac læva dexteráque debeo? quid rependo? O delectationes! ò dextera! ò amplexus!

IAm hiems transiit, imber abiit, & recessit. *Cant. 2. v. 11.*

Amor, Misericordia, Iustitia.

EXEGESIS.

§. VII.

QVid repentè conticescis, Philothea? quò tuus peregrinatur animus? cur modò rubes, modò expallescis? An *lævam* Dilecti *dexterámque* suaviter contemplando abriperis? Bene habet: ita fieri amat. *Iam* itaque tibi hæc è vicino *dextera* offertur: *jam* totum se tibi brachium amanter explicat; mox integri *delectationum* fluvii in tuum se pectus exonerabunt. O quanta brevi rerum mutatio erit! Cogita serenissimos solis radios post atram longæ tempestatis noctem tibi pleno jubare affundi: tristissimam crudæ *hiemis* asperitatem evanuisse, simúlque omnes, veris delicias, æstatis gaudia, & calores, totámque pariter auctumni opulentiam tibi affluere.

Vita mortalium, hiems.

Quid enim aliud est illa, quam mortales in terris ducunt, vita, nisi dura *hiems*, molestus *imber*, terrifica tempestas? quàm crudele passim frigus grassatur? quantus animos torpor invadit? quàm densa glacies obvallat pectora? ubi pietatis ardor? ubi charitatis æstus? ubi salutis æternæ studium? Annon, sicut *hieme* ubique steriles jacent campi, deflorati squalent horti, spoliatæ foliis ac pomis arbores silvescunt,

ſcunt, pigra atque exhauſto alveo jejuna flumina, vix tacito lapſu incedunt, vel congelata curſum omnino inhibent; ſic in mortalis vitæ bruma, pias quoque animas perſæpe magna fatigat cordium ſterilitas, atque infecunda durities? virtutum raritas affligit? rectè factorum inopia premit? parcus tenuíſque gratiæ fluxus angit? incrementa perfectionis modica conturbant? itinera ad excelſum ſanctitatis apicem, ceu luto nivibúſque impedita, terrent?

Mundi calamitates, imber.

O quoties, tamquam in lubrica glacie, temerario greſſu etiam bonæ mentes ambulant, hallucinantur, cadunt? quàm longas patiuntur perplexæ obſcuritatis noctes? quàm breves ſupernæ lucis dies? quanto doloris ſenſu longiùs ſuum abeſſe ſolem, JESVM? ſéque non directis, ſed vix etiam obliquis tangi radiis experiuntur? Habet *hiems* ſuam aëris intemperiem, ventos, morbos: fluxa mortalium vita ſuas quoque viciſſitudines, motus, turbines, languores: illa, quod æſtas laborioſè paravit, otioſè abſumit; hæc, quod fervor ſpiritus collegit, frigore pietatis invaleſcente prodigit: illa, quia ſine calore ac luce corpus emoritur, à lignis, oleo, ſævóque fomenta emendicat; hæc, cæleſtibus flammis radiiſque deſtituta ad rerum terrenarum ſolatia ſe convertit.

Quodſi ab infeſto mentis frigore, pactis ad breve tempus induciis, nonnulla quies fortè concedatur; inopinatò gravidæ adverſis rebus tempeſtates inſurgunt: injuriarum grandines, calamitatum procellæ, triſtitiæ nubes, lacrymarum *imbres*, periculorum fulgura, minarum fulmina, anguſtiæ, caligines, timores irruunt: quæ cognata humanæ vitæ mala, quamvis vigilem fortémque animum raro Numinis favore non deiiciant; graviter ſaltem concutiendo non perfunctoriè exercent. Quis eſt autem, quem non quandoque triſtes ejuſmodi caſus, velut *imber*, compluant; vel magno potiùs fragore, quaſi nimbus, obruant?

Sed brevis

Et ſunt tamen, qui tam infelicem miſerabilis vitæ *hiemem*

mem amant! qui, ut diu vivant in terris, impensè satagunt; ut beatè in cælis vivant, vix etiam se movent! qui fatale mundi gelu, torporem animi, mentísque tenebras jucundè ferunt; vernas æstiválque cæli delicias insuper habent! An non patriâ meritò excluduntur, quos exilium delectat? jure à glacie ad flammas relegantur, qui frigere quàm calere malunt? Tu, Philothea, meliùs philosophando, tam frigidam præsentis vitæ brumam scitè prosperéque transegisti: quando creberrimos imbrium tempestatúmque impetus, animi corporísque pœnis infestos, fortiter excepisti; ut patientiâ augeres meritorum cumulos: simul tamen promissam super astra immmortalis vitæ felicitatem anxiè suspirâsti; ut ibi æternùm degeres, ubi ver est sine pruina & tempestate, æstas sine pulvere & sudore, auctumnus sine labore & *hieme*: ubi florilegium perenne, messis continua, vindemia æterna: ubi non avicularum garritus, sed Angelorum cantus: non roris copia, sed gaudiorum pluviæ: non rosæ & lilia, sed stellæ & sidera: non molles venculi, sed spiritûs divini auræ: non alterna serenatum noctium silentia, sed dies, quæ nesciat occasum, sempiterna. Cùm arida mens in lapidem abiret, sterilis jaceret animus, tuus sub densa nube sol lateret, ajebas ipsa tibi: quidquid hoc pœnæ est, *transibit*. Cùm adversa premeret valetudo, sævirent dolores, languor enervaret, dicebas: quidquid hoc mali est, *abibit*. Cùm frequentes tibi insultarent hostes: cùm injuriæ, damna, contumeliæ imminerent: cùm pericula, ludibria, plagæ irruerent; occinebas tibi: quidquid hoc tempestatis est, detonabit, detumescet, *recedet*. Generosè & sapienter! ita Christiadem decebat! Age ergo, Philothea, *surge, veni propera, jam* triumpha: *jam* illa mœroris *hiems transiit*, jam ver lætitiæ advénit: *jam imber* calamitatum *abiit*: jam æstas gloriæ affulsit: ille non rediturus à te, velut ab indomita rupe *recessit*; hæc perpetim mansura, tamquam ad invictam heroidem, advolavit. *Iam*

Futura vita, annus perpetuus sine hieme.

non te laboris piget; quia *transiit, abiit, recessit.* Quidquid per omnem vitam molestiæ, doloris, adversi te exercuit, evanuit: quidquid grave fuit, fuit; *jam* non est: cúmque esset, breve *jam* fuit, & si licet dicere, momentum fuit: quid? *mille anni tamquam dies hesterna, quæ præteriit.* Ergo quod momento afflixit, ne quidem fuit momentum. *Surge, veni, propera* illuc, ubi nihil *transit*, nihil *abit*, nihil *recedit*: ubi *jam* perenne: ubi quod fuit, id est, eritque semper: ubi tempus exulat, regnat æternitas; ubi scilicet bonum omne, finis nullus.

Ps. 89. v. 4.

Philothea

FVlcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. *Cant. 2. v. 5.*

EXEGESIS.

§. VIII.

HEm! quid me fit? O Dilecte! quò feror? ò Sponse! ah! vacillo, fluctuo: juvate Sorores! ah! *langueo*, fatisco: succurrite fideles animæ! ah! ardeo, liquesco: ferte opem, Filiæ Jerusalem! Miramini ebriam, languidam, inflammatam? Cogitate amantem. Sum *ebria*, fateor; *sed non à vino, in quo est luxuria*: sum ægra, nihil dissimulo; sed non violentâ humorum intemperie: sum accensa, non nego; sed non profanæ flammæ incendiis: non culpa hoc facit; sed gratia: non pœna sequitur; sed gloria. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*; & non sim ebria? *Deus mollivit cor meum*, & non languescam? *Anima mea liquefacta est, ut locutus est* Dilectus; & non etiam tota corporis compago sensim colliquescat?

Isa. 29. v. 9.
Ephes. 5. v. 18.
Cant. 2. v. 4
Iob. 32. v. 16.
Cant. 5. v. 6

O sancta ebrietas! quando jejuno carnis ventriculo, mens inter cælestis aulæ delicias epulatur! quando *inebriata ab ubertate domûs* Dei, quò plus de melleo divinæ *voluptatis*

Sancta spiritûs ebrietas.
Ps. 35. v. 9.

tis torrente potavit, eò amplius ingurgitare geſtit: ſatura haurit, hauriendo ſitim accendit! ſatiari licet; voluptas eſt ſitire! quando ſui oblita nil niſi Deum cogitat, loquitur, ſomniat: pleno gutture faucibúſque plenis meritas Dilecti laudes cantando largiter eructat! quando ſpiritus, lætitiæ ferendæ impar, *exultat in Deo ſalutari ſuo*; cor ſaliendo emicat, omnes animæ vires tripudiant, jucunditatis impetu inſtar fluminis in corpus etiam redundante! O ſobria nuptialis epuli vinolentia: quæ mordaces corporis opúmque curas mergit: quæ ad profana confabulationum nugamenta linguam balbutire facit: quæ ad frivola mundi carníſque obſequia manus ac pedes reddit inofficioſos: quæ ad arduas pro Deo pugnas animat, ad laudabilem cuiuſque periculi contemptum excitat, viréſque ad tolerandum ac faciendum grandia, mirificas ſubminiſtrat: quæ denique ſuaviſſimum in Dilecti pectore ſoporem conciliat: amabilem inter brachia Crucifixi quietem indulget: divina ex Sponſi corde ſomnia, præſagia futurornm, laborum ſolatia; ut ſuaviter inſtauret animam, gratiosè repræſentat. An me pudeat ſic eſſe ebrioſam? At, ſequitur ebrietatem languor. Ita eſt.

Luc. 1. v. 47.

Felix corporis languor.

O felix languor! quando vitalis à ſenſibus calor fugit; ut cordi flammas miniſtret: proſtratæ jacent corporis vires ut ſuus animo vigor conſtet: languidum in humeros caput recumbit; ut cælo vultum explicet. Quando fracti caligant oculi; ne jam terreni quidquam aſpiciant: patulæ ſurdeſcunt aures, ne Sirenum illecebris capiantur: exſucca pallent labia; ne quid aliud, quàm amoris ſuſpiria exhalent: quando brachia torpent, rigent manus, hæret lingua, cor palpitat, genua labant, corpus ſuo feſſum pondere ſubſidit; interea mens altius inſurgit, amoris brachia manúſque Dilecto iniicit, Sponſum arctis ſtringit amplexibus, dulciſſimis compellat verbis, intimos animi ſinus Deo pandit, magnis denique paſſibus ad beatæ vitæ gaudia feſtinat.

An valet quiſquam meliùs, quàm, qui ſic languet? an languere quis graviùs poteſt, quàm, qui non Deo; ſed mundo valet? Non eſt cur timeat, quem hæc ægritudo corripuit. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem*; *ſed pro gloria Dei*. Non ſe infirmum credat, qui ſic languendo jacet. Viget, floret, qui non lethali torpet frigore; ſed æſtu vitali diffluit. Non ſe otioſum exiſtimet; multum agit, qui foris nihil, intus cum Deo agit: *fulcris* indiget, non medicamentis: *ſtipari* cupiat, non levari.

Ioan. 11. *v* 4

Ego certè me felicem arbitror; quia ſic me languere ſentio. Gaudeo, quòd jam ægrum in terram corpus propendeat, membrorum evaneſcat vigor, anima fugam meditetur. O quàm præclarè mecum agitur! Langueo; quia ardeo; ardendo amo & liqueſio. Immortalitatis prodromus eſt languor; liquefactio, proximus ad ſummam cum Dilecto unionem gradus.

Mira liquefactio.

Nónne ferrum, æs, argentum, aurum ab igne liquantur? nix, glacies, nebula, fumus ad igneos meridiani ſolis radios in auras abeunt? *petræ, montes, terra*, & ipſi denique *cæli à facie Dei* ſolvuntur, fluunt, *liqueſcunt*? Et non ſolvatur invalidus corpuſculi mei nexus? non diffluat in terram caro, ex qua deſumpta eſt? non fiat cor meum *tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei*? non equidem timore; ſed amore: non cruciatu; ſed voluptate: non in pœnam; ſed præmium: non *à facie furoris* Domini; ſed à facie tua, mi IESV, quæ *plena eſt gratiarum*?

Iudit. 16. *v.* 18. *Pſ.* 96. *v.* 5. 2. *Reg.* 13. *v.* 8. *Iſa.* 51. *v.* 6. *Pſ* 21. *v.* 15 *Iſa.* 51. *v.* 3. *Eſth.* 15. *v.* 17. 2. *Cor.* 5. *v.* 1.

Enimverò deſtruatur lutea compages corporis: *terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur*; fluant tabo membra, captivus è carcere animus diffugiat, quid tum? nónne *ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam in cælis*?

At non hoc mihi ſufficit: juvat ipſam quoque animam liquefieri. Abſorbeat Sapientiæ Divinæ profunditas intel-

lectum

lectum, ceu tenuem rivulum Oceanus; ut omnia in Deo, Deum in omnibus intuendo, æternis ſemper judiciis ſe conformet. Invadat infinitæ bonitatis dulcedo voluntatem, eámque, ceu exiguam ignis ſcintillam ingens incendium, abſumat; ut neglectis, quæ perire poſſunt, bonis, omni ſtudio totóque amoris impetu in unum, verum, Summum Bonum feratur.

Occupet, pervadat, ſubigat ſupremæ majeſtatis præſentia memoriam, ceu plena ſolis facies reſolvit tenebras; ut mens in Deo, ſolus in mente Deus hæreat. Sicque tota, quantulacumque eſt, Philothea, ſi etiam ferro ſit durior, tuis, ò Sponſe, flammis: tuis, ò *ignis conſtans*, ardoribus igneſcat: ſi vel frigido ſit marmore magis indomita, vel ipſis ſolidior cæli fornicibus, tuo, ò *ignis conſumens* æſtu, tui amoris incendio tota, velut holocauſtum, prorſus abſumatur: tota, uti ſolet roris antelucani guttula, tuis, ò ſol pulcherrime, percuſſa radiis liqueſcat; tota ſicuti fumus in ſuavitatis tuæ auram abeat: tota veluti nebula ad clementiæ nubes aſcendat: tota ut nix glaciéſve tuo pectori ſe inſinuet. Tuis decocta flammis non ſecus ac cera flectatur ad nutum, fingatur ad exemplum, fluat ad obſequium: tamquam liquata æris maſſa tuam recipiat formam: ſicut herba in ſuccum, ſtipula in ignem, aridus telluris halitus in claram aërei cæli faculam convertitur; ſic tota in te tranſeat.

Mal. 3. v. 2

Deut. 4. v. 24.

§. IX.

O Dulcis liquefactio! ſentio tuas, Dilecte, flammas: æſtuo, molleſco, ſensímque ſuaviſſimo amoris balneo liquata viribus deficio. Accurrite Sorores, manum porrigite! *fulcite,* quæſo, labentem; ne in oculis Sponſi indecorè cadam: *ſtipate* omni ex parte, ut erecta exoptatum mortis, an amoris? ſpiculum cordatè excipiam.

Augendæ flammæ, non temperandæ.

Nolo me *fulciatis* mollibus è pluma pulvillis: nolo me *stipetis* ductâ ex argento vel ebore sellâ. Odi delicias: fastum pompámque execror. Si è *floribus* ac *malis* suggestum torulósque mihi conficitis, sat habeo. Hic pauperem & rusticellam decet apparatus. Odor potiùs languentem fulciet, quàm pretium: virtus instaurabit vires; non voluptas.

Jam nôstis, ò Filiæ Jerusalem, quos *flores* quæque *mala* intelligam.

Animæ confortatione.

Non illa, quæ terra gignit veris atque auctumni pignora. Ah! citò nimis marcescunt. Vt etiam os, oculos narésque delectent; animæ tamen nihil opis conferunt. Paradisi *mala floré͡sque* flagito. Mihi pro *floribus* in hoc rerum articulo piæ Beatorum cæli civium preces erunt; pro *malis* gloriosa mei Servatoris merita. His suffultam nemo prosternet: nemo impellet tam feliciter stipatam. *Flores* appello præclara Cælitum exempla: pulcherrima Divorum facta inter *mala* numero: præstantissimos florum *flores* intelligo, collectos gratiæ thesauros: optima dico *mala*, acervata æternæ gloriæ vitæque præmia. His adminiculis eget, quæ virtutis meritique nihil admodum habet, Philothea: alienam prensat abundantiam, quæ suam erubescit mendicitatem: Non illa suum tolli languorem supplicat: non flammas mitigari desiderat; sed suæ ægritudini incrementa addi, ignibus affundi oleum, fortiùs ut ardeat, citiùs liquescat, summis precibus exposcit.

§. X.

Sanctorũ patrocinio

SVbvenite ergo Angeli: vestris *me fulcite floribus*: date de vestris ardoribus scintillas, de vestris fulgoribus faculas, de vestra puritate nives: facite, ut mea vestris cantibus suspitia jungantur, sanctissimis erga Deum officiis misceantur preces: desideria atque obsequia mea exquisitissimis vestris

ſtris ſupremam colendi majeſtatem ſtudiis animentur. Succurrite Sancti, veſtris *me malis ſtipate*: Veſtra, ô Patriarchæ, fides & fiducia: veſter, ô Prophetæ candor & Zelus: veſtrum, Apoſtoli, propagandæ religionis ſtudium, quid niſi granata *mala* ſunt. Et veſtra, ô Martyres, charitas, patientia, fortitudo in pœnis: veſtra, ô Confeſſores, demiſſio, obedientia, pietas in rebus divinis: veſtra, ô Virgines, ſolitudo, verecundia, animi corporíſque integritas in cogitatis, dictis & factis, nónne *mala* ſunt aurea? His *fulciri floribus*, hiſce *malis ſtipari* flagito. Veſtra ſunt equidem hæc décora; ſed & mea ſunt: quæ mecum una fides, ſpes, charitas jubet eſſe communia. Vnius membra capitis ſumus: quod uni deeſt, alia de ſuo largiter faciléque ſubminiſtrent. Veſtra pro me jejunia, flagella, certamina: veſtras, quas fudiſtis, lacrymas, ſudores ſanguiníſque rivos æterno Numini exhibete: plenam erratorum veniam, ampla gratiæ fluenta, immenſas charitatis flammas mihi impetrate; & egregiè *ſtipabitis*, feliciſſimè *fulcietis*: languorem non mitigabitis; accelerabitis liquefactionem.

Vos verò ante omnes oro quæſóque, ô boni Cælites, quos ego Patronos ex univerſo Beatorum numero mihi comparare ſtudui: quos toties in me beneficos ſum experta: quorum illuſtriſſimis vitæ exemplis adſequenda Dilecti veſtigia invitata fui: *fulcite me*, licet ignavam veſtræ virtutis æmulatricem; ne in terram cælo dicata defluam: *ſtipate*; ne in ultimo, qui faciendus eſt, paſſu vacillem: juvate; ne langueat in me amor; ſed ego magis magíſque langueam *amore*! Tu quoque, ô Tutelaris Angele, quem fidiſſimum tot annis magiſtrum ductorémque habui: cuius conſiliis gubernata, præſidiis ſecura, monitis erecta, illuſtrata radiis, accenſa flammis, adjuta precibus, ſuperíſque conciliata ad ultimam vitæ lineam proſperè pervéni; nunc maximè, quamvis indignam prorſus clientem, *fulcire* perge, *ſtipando* perſevera:

vera: tam longo pióque amoris, quo me complexus es, obſequio coronidem appone, flammas; ut quæ *amore langueo*, moriar amore.

Iesu & Mariæ auxilio.

Eccl. 24. v. 24.

1. Ioan. 4. v. 16.

At quomodo amore moriar; niſi ad divini clibanum amoris, te ò MARIA, Dei Mater auguſtiſſima: ad ignem conſumentem, te, mi JESV, Sponſe dulciſſime, accedam? Tu, ô *Mater pulchræ dilectionis*, flammas auge. Tu, ô *Deus charitas*, incendia divini ardoris in immenſum dilata! Tibi, ô Virgo, poſt Deum debeo ſalutẽ; quæ mihi peperiſti Servatorem: Tibi, Dilecte, Virginem in acceptis refero: qui illam tibi Matrem, mihi Advocatam conſtituiſti. *Fulcite*, obſecro, languentem: *ſtipate* liqueſcentem. O Domina, ſuſcipe devotam tibíque ſupplicem ancillam in Virgineas ulnas, quibus Dei Filium tuliſti! Excipe, ò Rex ſupreme, paupérculam, tibíque debitam omni jure famulam in vulneratas manus, quarum ſanguine peccatrices animas redemiſti!

O Mater omnium clementiſſima! per tua ego glorioſa naſcentis privilegia, per admiranda viventis merita, per cæleſtia morientis ſolatia, languentis gaudia, amore liqueſcentis incendia oro & obteſtor: *monſtra te eſſe Matrem*, & ſerva Philotheam, quæ *in cælis* ſuum quærit agneſcitque *Patrem*: O Frater omnium fideliſſime! per tuos ego vagitus in cunis, ærumnas in exilio: per ſudores in laboribus, jejunia in deſerto: per injurias in vinculis, ludibria in aulis, tormenta ſub flagellis & ſpinis, dolores in Cruce & clavis, ſummâ, quâ poſſum, contentione precor: exhibe te Fratrem, & complectere Sororem, quam dignatus es vocare Sponſam, facere Dilectam. Ardeo, langueſco, liquefio. Aſperge Virgo, lactis guttulam: adiice cruoris ſtillam ò Sponſe. Sic candida & rubicunda morior: ſic animam exhalatura in pectus Matris, in Sponſi cor me totam immergo: meum ſanctiſſimæ Trinitati ſpiritum commendo: ò MARIA! ò

JESVS

JESV! ô Deus cordis mei! ultimùm exclamo, ſimúlque expiro.

IVbila, lætare, exulta in omni corde, Filia Ieruſalem: Dominus in medio tui. *Sophon*. 3. v. 14. 15. Lætare in Deo tuo. *Ioel*, 2. v. 21. 23.

Filia Ieruſalem.

EXEGESIS.

§. XI.

BOnum factum! Philothea: factum pulchrum! Superis jucundum; tibi glorioſum! Viciſti; ergo triumpha: cucurriſti in ſtadio; bravium accipe: portum tenes; quieſce: patriam ingreſſa es; gaude. Sponſum revelata cernis facie; exulta: Divinitatem amplexu ſtringis; immergere. Sic tibi Cælites omnes ſolemni plauſu gratulantur.

Animæ feliciter è corpore migranti Cælites gratulantur.

Vixiſti; imò nunc verè tandem vivis. Cùm viveres, bellè tuam egiſti perſonam; ut ſolent piæ Numinis ancillæ: moriens inter brachia vulnerati JESV, beatam egiſti animam; ut decet Dilectam Deo Sponſam. Hucuſque ille te inter adoleſcentulas educavit blanditiis, ornavit donis, meritis cumulavit: nunc caſtiſſimo maturam thalamo ad æternas transfert nuptias, domúmque ducit: nunc ſuæ conſortem gloriæ, ſuarum te opum, beatitudinis, Virgineíque thori participem facit. Age ergo, indulge gaudiis, *in jubilum* lætáſque voces prorumpe: canta laudes, pange hymnos, funde grates, ride, exclama, totam hilaritate mentem dilata, toto ſpiritu *exulta*.

Nunc enimverò ſincera ſunt gaudia, liquidæ voluptates, integri animæ tripudiantis plauſus: nunc adlecta inter

Poſt mortem ſince-

rum est gaudium.

felices *cælestis Solymæ Filias* secura gaudes, verâ pace frueris, æterni luminis solem libero contemplaris oculo: nunc deniq; licet, quod non erat concessum, quamdiu in lacrymarum valle hærebas, *jubilare* sine metu, *lætari* sine solicitudine, *exultare* sine periculo: nunc pleno fluxu, *in omni corde* totáque animâ diffundi potest jucunditas; quia nullam cordis mentísque partem terrena sibi vendicat cupiditas. Nihil habet inconditi clamoris *jubilus* Sanctorum: non effusionem *lætitia*; non *exultatio* quidquam indecorum. Nulla *jubilanti* timenda est levitas, *lætanti* excessus, fatigatio *exultanti*: non saturitas generabit nauseam: non *luctus occupabit gaudium*: non tempus voluptati modum finémque imponet. Immensa lætitiæ sementis est, æterna nuptiarum solemnitas: inexhausta gaudiorum est abyssus, illa inexplicabilis ex admiranda Spiritûs divini humaníque conjunctione felicitas.

§. XII.

Io.19.v.9. Divinæ nuptiæ, perfecta cum Deo conjunctio.

O Verè *beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt!* ô numquam satis obstupescendæ nuptiæ! ô planè summa nuptialis pompæ majestas! Quis pulchrior, locupletior? quis sapientior, amabilior? quis dulcior potentiórque Sponsus, Deo, Deíque Filio, cæli terræque Domino? Quæ nobilior, felicior? quæ purior, formosior? quæ charior gratiórque Sponsa, æterni Verbi Sorore, animâ castâ, gratiæ gloriæque dotibus ornata? Quantæ dignitatis ac excellentiæ censendus est uterque Sponsorum parens? Pater feminam nescit; Mater virum: ille Omnipotens, optimus, maximus æqualem sibi Filium ab æterno genuit; hæc Angelorum hominúmque Imperatrix, divinum illud Verbum humanis induit membris, Virgineo lacte nutrivit: ille *omnem dedit potestatem* Nato; hæc Filiam cælestibus cumulatam divitiis Filio in manus tradit, novámque nuptam in divini thalami sacrarium introducit.

Matth.28. v.18.

O quas

O quas tibi, Philothea, delicias afferunt tam faustæ sanctǽque nuptiæ! in quibus Amor æternus, idem cum Patre Filióque Deus, Paranymphum agit! Amici affinésque gratulantur cæli Proceres? symphoniacis modulis chorísque cœtus Angelici applaudunt! genialem præbet lectulum cor Servatoris! Divinitatis nectar & ambrosia nuptiale epulum perennibus lautitiis exaggerant! Vbi Sponsos non jugum excipit; sed regnum: non pueri; sed beatæ aulæ Genii pro nucibus spargunt, gemmas: pro floribus, stellas: non faces quatiunt; sed sidera in gyrum torquent. Vbi pro cyclade, vestis purpureo Christi cruore tincta: pro pallio, fulgor septemplici sole illustrior: pro serto, immortalis gloriæ corona: pro annulo æternitas: pro dote, beatitudo: pro arrha, Deus.

Nuptiales deliciæ,

Grandia sunt hæc: nónne? sunt splendida nuptiarum adjuncta, pulcherrima lætandi argumenta. Quid verò intima ac prorsus divina inter Virgineos Sponsos animarum conjunctio? annon infinitam præbet materiem exultandi? *Dominus in medio tui*; & non exultes? tu quoque *in Deo tuo*; & non læteris? *Dominus in medio tui*. Superi! quis? qualis ac quantus? dic, si potes: saltem cogita; at cogitandi finem non facies. Fuit is olim *in medio* Hebræi populi per tabernaculum; & quàm inclytum tutúmque reddidit? Fuit *in medio terræ* per spectabilem inter homines conversationem; & quàm felicem clarámque fecit? Fuit *in medio* castissimæ Matris pectore; & quanta illam sanctitate implevit? stetit *in medio* Discipulorum collegio; & quantis eos gaudiis accumulavit? Fuit quondam *Dominus in medio tui*, tibi præsens, per essentiam, te spectans per scientiam, in te operans, per potentiam: fuit tecum atque *in medio tui*, in anima tua, per gratiam, ut medulla: per Eucharistiam, ut esca: fuit animæ veluti cor, cordi vita, vitæ spiritus, spiritui omnia; & quantis te deliciis donísque beavit? Quid modo! cùm sit ipse *in medio*

Fons beatitatis, unio cum Deo,

Ps. 37. v. 12

dio tui per gloriam; tu *in Deo tuo* per beatificam animæ totius unionem? Ille in te, atque etiam *in medio tui*; tu *in Deo*, quamvis non *in medio Dei*? Vbicumque fueris, in Deo, qui totus est ubique, futura sis? Nunc suam liberavit fidem Dilectus olim sanctè pollicitus: *vos in me*, *& ego in vobis*. Es profectò *in Deo tuo*. At quomodo? an ut arbor in radice, ramus in arbore, fructus in ramo? an ut flamma in igne, ignis in silice, radius in sole? Parùm hoc foret. An ergo, ut infans in sinu Matris, amicus in amici pectore, Sponsa in corde Sponsi? neque hoc satis esset. *Iubila ergo*; quia æternùm unita es Dilecto, una uni, toti tota, immersa, absorpta. *Lætare*; quia, si umquam aliàs ille in te, tu in illo: exulta; quia nunc tandem, quoad fieri potest, ille tu, tu ille.

Io, 14, v. 21

Philothea in cælo.

EGo dormio, & cor meum vigilat. *Cant. 5. vers. 2.*

EXEGESIS.

§. XII.

Exultatio animæ beatæ. *Luc. 15. v. 9.*

Io, triumphe! vicimus. Ille & ego: Dilectus in me; ego in Dilecto. *Congratulamini mihi*, Sodales. Protritus est ferus inferorum draco; cæsa est seditiosæ Carnis acies: prostratus Mundi fallacis exercitus: debellata sævæ invictæque Mortis tyrannica crudelitas. Vicimus Mortem, sustinendo: Mundum, fugiendo: Carnem, insectando: Dæmonem, contemnendo. *Alleluia: Salus & gloria, & virtus Deo nostro est.* Illo auctore, Duce comitéque Dilecto rupimus terreni ergastuli catenas: exivimus sparsos toto orbe laqueos: enavigavimus procellosum mare: emenso vastæ solitudinis deserto patriam tenemus.

Apoc. 19. v. 1.

nemus. *Laudem dicite Deo omnes servi eius, & qui timetis eum, pusilli & magni.* Ille suâ me gratiâ, & ineffabili miseratione *de tenebris vocavit in admirabile lumen suum : de servitute transtulit in regnum Filii dilectionis suæ* : de longa fugacis vitæ *morte, ad vitam* nulli obnoxiam morti traduxit.

v. 5.
1.Pet.2.
v. 9.
Col.1. v.13
1.Io.3.v.14

Vitâ equidem defuncta sum; at non extincta : mortua dicor; rectiùs soporata dicerer. Mors invasit corpus, non animam : sensum, motum vitámque eripuit; in vitæ principium, inquilinum corporis, immortalem spiritum, nihil juris, nihil virium, nihil potestatis habuit : migravit ex lutea taberna hospes animus, ínque auream cæli regiam transiit : sociam deseruit carnem, totúsque in Deum immigravit. Iacet in terræ gremio exanime corpus; sed ut *in pulvere dormiat*, ut curis, *laboribus* pœnísque liberum *requiescat*, ut vires instauret, atque *in pulverem* revertatur; sed *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* efformandum. Erit, erit cùm *surget in incorruptione, in gloria, in virtute : in momento, in ictu oculi, in novissima tuba : in jussu, & in voce Archangeli.* Tunc; ut *suam* quoque *accipiat mercedem*, prodibit de terra : quódque modò squalet, *florebit sicut lilium* : quod fœtet, erit *sicut odor balsami* : quod obscurum latet, *fulgebit sicut sol* : quod sub terra defossum est, *in cælestibus regnis habitabit* : atque ita ego *rursum circumdabor pelle mea*, non aliena : eâdem, non diversâ: novâ quidem; sed illâ ipsâ, quæ tumulata est : *Tunc in carne mea* ipsissima, quam ex utero Matris accepi, *videbo Deum Salvatorem : quem* etsi nunc mente video; tunc tamen & corpore *visura sum* : ego ipsa; *ego*, inquam, *& non alia* : illa, quæ huic mundo nata fui, & denata: *& oculi mei*, quos modò mors clauserat, *conspecturi sunt. Reposita fuit* olim *hæc spes mea in sinu meo*; nunc tenetur manibus : quandoquidem id certò certiùs futurum scio, quod in Deo clarè prævideo.

Corpus dormit.
Iob.7.v.21
Apoc. 14.
v. 13.
Gen.3.v.19
Ephes. 4.
v.13.
Quia resurget.
1.Cor. 15.
v.42& seq.
1.Thess. 4.
v. 15.
1.Cor.3 v 8
Isa.35.v.1.
Eccl. 24.
v. 21.
Matth. 13
v. 43.
2.Tim. 4.
v. 18.
Iob.19.v.26.

Certò certiùs.

Quid enim? An unicus Dei nutus potuerit, ut novus è bulbo flosculus, plena ex grano spica, grandis ex surculo arbor pullulet: ut serpens, aquila, phœnix senectam ponat: ut sol quotidie velut è tumulo redivivus surgat: ut terra quot annis verno tempore juventam induat: & non possit pro imperio jubere, ut redacta in cineres caro ex integro sibi restituta prodeat? Qui fecit, ut immensa mundi machina in nihilo sepulta, cùm non esset, nec unquam fuisset, momento tamen citiùs prosiliret; is efficere nequeat, ut corpus, quod antè fuit, atque esse desiit, denuo existat? An, qui scit omnia, nesciat, quo quæque putrescentis, aut combusti cadaveris particula devenerit? qui nihil non potest, atque inter obscuras materni ventris angustias ossa, nervos, venásque fingit, non possit in gelidis terræ visceribus tabefacta membra instaurare? Recessus ergo meus non est mors; *sed umbra mortis*, somnus: ô felix somnus! quando, qui dormit, vigilat: quando sopor est sine torpore; vigilia sine tædio, ac defatigatione: quando somnus pascit; pervigilium exhilarat, confortat, beat.

Luc. 1. v. 79.

§. XIV.

Anima vigilat.

SIc *ego* nunc dormiendo vigilo; *dormio* vigilando. Soporatum est corpus; at melior pars mei, *cor meum*, imò mens mea pervigilat. Videt, ô spectaculum admirabile! videt Deum, in Deo omnia, & obstupescit. Audit, ô dulcis harmonia! audit cælestium Symphoniacorum cantus, & accinit. Gustat, ô triumphale epulum! gustat *manna absconditum*, & divinitate satiatur. Tangit, ô deliciæ Divinæ! tangit, quod credidit: tenet, quod speravit: complectitur, quod suspirando quæsiit, summum, æternum, immensum Bonum.

Apoc. 2. v. 17.

Vigilat sanè animus, dum modò cum Deo, modò cum

Cæli-

Cælitibus jucunda miſcet colloquia: dum laudibus effert ſupremam Numinis Majeſtatem: dum perpetuo amoris motu ad Deum fertur, charitatis æſtu flagrat, immenſis denique gaudiis in Deo exultat.

Delectatur.

Et quomodo non *vigilet* beatæ mentis oculus in tanta luminis claritate? quomodo ſe totam non avidè immergat occupétque in tanta voluptatum affluentia, epulantium hilaritate, tripudiantium plauſu, cantantium ſuavitate? quomodo dormitet in tam multiplici ſpectaculorum pompa? in continua triumphorum frequentia, in perpetua majeſtatis divinæ præſentia? videndi, adorandi, amandi Deum, fruendíque ſtudio? Vbi felix anima, *de ligno vitæ* æternùm paſcitur? *coronâ* gloriæ æternùm decoratur? *calculo candido, novôque* honoris *nomine* donatur? *ſtellâ* felicitatis *matutinâ* illuſtratur? *albis* lætitiæ *veſtimentis* induitur, *nomine Dei* ſacroſancto inſignitur, *in throno Dei* collocatur?

Capit præmia. *Apoc. 2. v. 7. & ſeq.*

Vigilat cor meum, vigilat. O ſumma Deitas! Mens mea te contemplatur, ô beata Trinitas! te adorat, amat, prædicat, verúmque agnoſcit, quod ſacris edocta paginis olim credidit. Verè enim *Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te*: verè *fulgent juſti ſicut ſol in regno Patris eorum*: verè *accipiunt regnum decóris, & diadema ſpeciei de manu Domini*: verè *momentaneum & leve tribulationis ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur*: verè *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit: quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

Pſ. 83. v. 5. *Matth. 13 v. 43.* *Sap. 5. v. 17* *2. Cor. 4. v. 17.* *1. Cor. 2. v. 9.*

Vigilat cor meum, vigilat, ô Dilecte! nunc enim te verè *inveni*: nunc *teneo, nec dimittam*: nunc *gaudens* gaudeo, atq; æternùm *gaudebo in Domino, & exultabo in Deo IESV meo*: nunc *introduxit me Rex in cellam vinariam*: nunc *ſub umbra illius, quem deſideraveram, ſedeo, & fructus eius dulcis gutturi meo*: nunc *faſciculus myrrhæ, Dilectus meus, inter ubera mea commoratur*: nunc *læva eius ſub capite meo, & dextera illius* am-

Deo plenè fruitur.

amplexatur me: nunc *Tu Dilecte mihi, & ego tibi*: tu in me, ego in te: Tu mecum unus; ego una tecum: tu humanæ particeps naturæ; ego consors divinæ. Quid ergo dico? quid facio? Sine cessatione canto: *Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sacula saculorum Amen.* An non sic præclarè *vigilo*? simul tamen in Dilecti pectore recumbo, in Deo absorpta spiro, in centro meo quiesco: annon sic feliciter suavissiméque soporata *dormio*?

Apoc. 7. v. 12.

Christus. ADjuro vos, Filiæ Ierusalem, per capreas cervósque camporum: ne suscitetis, neque evigilare faciatis Dilectam, donec ipsa velit. *Cant. 2. v. 7.*

EXEGESIS.

§. XV.

EIa! sic dormi, Philothea. Nemo sanctiùs vigilat: sic vigila; nemo securiùs dormit. Non excitabere, nisi cùm volueris; neque ipsa voles antè expergefieri, quàm decretorius mundo dies adveniat; ut corpore simul atque animo vigil, post longam labentium sæculorum noctem, beatissimum agas diem, *in perpetuas æternitates* nullo vespere claudendum.

Dan. 12. v. 3.

Vos verò, fideles animæ, terrestris *Ierusalem Filiæ*, cavete, lugeatis Philotheam, vel lacrymis planctúque dormientis quietem interpelletis. Sic sanctè prohibeo, & quàm charas habetis per summa montium juga salientes *capreas*, atque ad fontes aquarum anhelantes *cervos camporum*: animas, aio,

divi-

divinarum contemplationi rerum deditas, ſanctiſque deſideriis æſtuantes, more *adjurantis* interdico, ne importuno queſtu aut ſingultu *ſuſcitetis*: neque votis ac precibus veluti in vitam revocaturæ, *evigilare faciatis Dilectam* tam dulciter ſopitam: *donec ipſa* velit & glorioſum induta corpus, auditâ Sponſi adventantis voce, de tumulo proſiliat obviam itura. Non eſt hæc dolenda mors; ſed exoptanda: quam qui non gratulatur, is aut invidet, aut non intelligit. Cui verò ſic mori placet, non diſpliceat ſic vivere: vigilet bene, ut non malè dormiat.

EPILOGVS.

ECce nunc *2. Cor. 6. v. 2.* Chariſſimi *7. v. 1.* dicite juſto: quoniam bene. *Iſa. 3. v. 10.* dicite in Gentibus: *Pſ. 95. v. 10.* Vidimus mirabilia hodie. *Luc. 5. v. 26.* Dicite: Et nos aliquando eramus naturâ Filii iræ, ſicut & cæteri. *Epheſ. 2. v. 3.* Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, & conſedere fecit in cæleſtibus; ut oſtenderet abundantes divitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos, in Chriſto IESV. *v. 4. 5. 6. 7.*

Angeli, Miſericordia, Bonitas, Veritas.

EXEGESIS.

§. I

PLaudite nunc licet, ſpectatores. Philothea jam intra ſiparium recepta eſt. Seriò egit, non luſit: non fabulam dedit, ſed hiſtoriam. *Bene* ſuam, hoc eſt, amantis perſonam ſuſtinuit: plauſum date:

dicite felicem tali Dilecto Sponsam. Sed palmam Sponso date; chorago præmium: amorem scilicet Amori.

Dei in hominis animam charitas omnem excedit admirationem.

Quid moramini? quid hæsitatis, & velut attoniti in proscenium oculos defigitis? an adhuc mentibus obversantur divinæ prodigia charitatis? Vtinam diu! an vos rapit tanta novarum rerum tenétque admiratio? Non immeritò. Spectâstis, audîstis grandia; etsi antiqua ac ferè quotidiana. *Dicite* securi intra cordium penetralia: dicite domi forísque: narrate in patriis Europæ regnis, & in barbaris remotarum *Gentium* terris, vos *hodie mirabilia vidisse*: nec quidquam supra verum dicetis. Vidistis certè, *quàm suavis sit Dominus*: quomodo *mirificet misericordiam suam*: quàm ardenti studio & conatu is, qui nullius indiget, *inopem à terra suscitet*: quàm ineffabili clementiæ excessu *collocet eum cum principibus populi sui*, æterni jubeat regni consortem: quódque omnem superat admirationem, quo charitatis miraculo faciat; ut Deus & homo in unum coalescant.

Clarum in Philothea exemplum

Res quidem mira est; cæcis lumen oculis impertiri, tympanum surdis aperire auribus: mutæ loquelam linguæ, enervatis manibus pedibúsque motum, calorem, usum largiri: fœtidam exesi corporis lepram abstergere: ferinam amentis rabiem pacare: malos ex obsesso genios fugare: frigido putridóque cadaveri vitam inspirare. Quis neget? quis ambigat? At multò plus admirationis habet: Philotheam principio ad meridiani solis radios cæcutientem, ad divini Verbi voces ac tonitrua surdam, ad Dei laudes mutam, in virtutis stadio enervem, in scelerum lepra putrescentem: quot vitiis, tot stygiis infessam larvis, efferatam, jugulatam, atque inferis fuisse propinquam; repentè tamen vitiorum nexibus solutam: morbis nævísque liberam, omni ex parte curatam, vitæ, sanitati mentíque redditam fuisse. Quis hæc patravit mira, nisi suavis ille Dominus, thaumaturgus ille Dilectus, magnus ille *Deus, qui dives est in misericordia*?

ricordia? Quis persuasit? immensa *bonitas*: quis induxit? inaudita, incomparabilis, infinita, & si fas esset dicere, *nimia Dei charitas*? Huc illum *divitiæ bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis* impulerunt: huc *abundantes divitiæ gratiæ* adegerunt. Habet ille profectò *divitias sapientiæ & scientiæ*, sine fundo: habet *divitias gratiæ & gloriæ*, sine fine: habet thesauros potentiæ & majestatis, sine modo: habet immensas sanctitatis & virtutis opes, sine numero; at, quia nec sapientiam aut scientiam effundit, nec gratiam aut gloriam impertit, nec potentiam aut majestatem ostendit, nec sanctitatem aut virtutem sine misericordia largitur, nónne palàm est, quòd *divitias bonitatis* vel maximè agnosci, prædicari, ipséque *dives in misericordia* haberi dicique amet?

Rom.2.v.4

Rom. 11. v. 33. Ephes.1. v. 7. & 3. v. 16.

Rom.2.v.4

§. II.

QVas non effudit miserationum opes in Philotheam *dives ille Pater misericordiarum, & totius consolationis Deus*? Misit Cælites: qui *viam vitæ mortisque* ostenderent: hanc sedulò cavendam, illam fortiter emetiendam. Quasi verò id parùm foret; *Exivit* ipse à sidereis cæli sedibus, & *venit in mundum*; ut se ducem comitémque præberet: obtulit *lectulum* totum *floridum, tigna domorum cedrina, laquearia cypressina*; ut invitaret: *lilia, flores, aromata*; ut pelliceret: *gloriam, opes superbas, justitiam*, & nectaris divini *calicem*; ut ad se pertraheret. Quid illa? *Deum dereliquit*; ut *sequeretur* mundum, cruentum macellarium, *sicut bos ad victimam*: *oblita Domini Creatoris sui recessit à salutari suo*; atque ut strenuè esset impia, *immolavit dæmoniis* & non Deo: cúmque ille nunc blandè moneret, nunc seriò *obiurgaret*: *oppressit* justum: *contumeliâ & tormento* exercuit: colaphis, flagris spinis barbarè habitum *morte turpissimâ condemnavit*, in Crucem egit. An propterea *divitias misericordiæ* exhausit? Tam

Peccante.
2.Cor.1.v.3

Resipiscente.

parùm, quàm modicum aviculæ rostellum universas Oceani undas. Ditior *est Deus in misericordia*, quàm ut ad fundum veniat. Nemo potest tantùm peccare, quantùm ille dimittere: quò major est miseria, eò magis se explicat misericordia. Quare illico *surgere* jussit mortuam, *illuminavit* caligantem, pro tribunali sedit, Judicem induit; sed Patrem non exuit. Vix illa contrito corde dixerat: *Peccavi*: vix suspiraverat *capiti suo aquas*, doloris testes: vix ingeminaverat superis jucundum, terrificum inferis carmen: *miserere*, *parce*: cùm mox *Dominus* ac *Pater*, tam graviter offensus, in cassum obnitente justitia, parricidii ream absolvit: suis *sanavit* vulneribus vulnera, cruore maculas *lavit*, candidâ justitiæ stolâ *vestivit*, gratiæ bullâ *ornavit*; &, quasi nulla umquam intercessisset offensa, injuriarum immemor, *perpetuâ* in posterum *charitate diligendam* ad se *attraxit*. O verè *abundantes divitiæ* miserationum, patientiæ & longanimitatis.

Incipiente

Quis suspicari poterat, fore, ut anima tantis ad amandum Deum excitata stimulis torperet? At ecce! otiatur, languet, dormitat: inter blanda corporis commoda, opes, delicias obdormit. Quid ad hæc Dilectus? quomodo inertiam castigavit? non dictis aut factis, non minis aut doloris significatione; sed *miserationibus* suis *multis*. Vidistis ipsimet stantem ad cordis januam; quoties pulsavit? quàm suaviter ingeminavit: *surge*, *propera*, *aperi mihi*? quàm amanter compellavit: *amica*, *formosa*, *Dilecta*, *Soror mea*? quàm patienter expectavit, etiam *rore & guttis noctium* madefactus? Post longas tandem moras se subduxit; ut amoris ignem velut aquâ conspersum excitaret; sicque Philothea circumeundo, per elementa ipsósque cælos quærendo; dum cruenta etiam Dilecti vestigia sequitur, plagas & vulnera sustinet: ingentem sibi meritorum cumulum compararet. Neque tamen vel sic quæsitus defuit quærenti: nónne alieno schemate latens occurrit? quòd *in horto nucum* inveniri facilè

queat,

queat, docuit? quandoque *stetit post parietem, respiciens per fenestras*? denique *saliens in montibus* properè advolavit? in amplexus ruit? *cor* petiit, accepit: atque hoc pignore desponsam, *vestimento salutis induit*? denique *in agrum egredi*, cum nova nupta, *inque villis commorari* non est dedignatus. O verè *abundantes divitiæ bonitatis & gratiæ*!

Ad hæc, dum qualecumque hoc urbanitatis officium novis gratiis remuneraturus, Sponsæ suum quoque ostendit *hortum* paradiso amœniorem, *myrrha aromatúmque* feracem: dum cælesti illam convivio excipit, divina *carne* pascit, *sacro* lateris *cruore* potat: dum *in cellam vinariam introducit*, atque *ordinatæ charitatis* philtro *inebriat*: dum victricem Crucis *palmam ascendere* docet, *exaltatus à terra* terrenis avulsam rebus, ad æternas anhelantem, suorum facit cruciatuum pœnarúmque participem: séque ipsum insuper, ceu pretiosum *myrrhæ fasciculum*, in pectore ferendum clementissimè permittit: quid est, nisi dulcis, prolixa, summa *charitas*? Quòd denique pulcherrimus ipse Deus, omnis elegantiæ fons, laudando animæ apud se gratiosæ pulchritudinem videatur non posse satiari: *uno* illius *oculo* vel *crine* cor suum *vulneratum* asserat: ideóque ad divinum vocet thalamum, ad *coronas*, multiplicésque palmas invitet: luctantem sacro nominis *oleo* inungat, *lævâ* sustineat, *dexterâ* amplexetur, demigrantem de mundo Dilectam sibi, se Dilectæ penitus immergat, *amore* liquefactam, intiméque sibi unitam æterna suæ divinitatis communicatione beet: quid aliud est, quàm sine modo ac mensura, supra captum atque intellectum, admiranda, & nisi divina esset, prorsus *nimia* dicenda *charitas*?

Proficiente.

Perfecta.

§. III.

QVid nunc vos deiectis in terram oculis ingenuo rubore suffusi mussitatis? quid vestra loquuntur suspiria? *Dici-*

Vtinam, quot imi-

 te.

tántur errantem, etiam pœnitentem sequerentur.

te. Etsi arcana cordium vulnera tegatis; non tamen Cælitibus (cùm Deo placet) non sunt aperta: qui secretissimas quasque animi voces audiunt, mentes penetrant, vota intelligunt. Nónne? *Et nos?* dicitis: *Et nos?* ô cælum! ô terra! *Et nos?* nónne *fuimus aliquando naturâ Filii iræ?* nónne sumus etiamnum peregrini, *vitæ mortisque viam* docti? Et quam ex duabus gradimur? an Dei Filium per spinas sequimur? quem arripimus? Christi, an Babylonis calicem? quas sectamur opes? æternas, an caducas? cui nostra mancipamus obsequia? Deo, an mundo, carni, orco? *Et nos?* non *sequimur* fortè, *sicut bos ad victimam?* non reiicimus monitorem Angelum? non quandoque sceleribus nostris *crucifigimus nobismetipsis Filium Dei?* non audimus illum modò cordibus nostris insusurrantem? *Popule meus, quid feci tibi? Responde mihi:* modò severè objurgantem: *Si Pater ego sum, ubi est honor meus? si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* nunc terrifico fragore intonantem? *Væ! qui potentes estis ad bibendum vinum! Væ! qui trahitis quasi vinculum plaustri iniquitatem! Væ vobis! quoniam recessistis à me!* Quid ergo? cur *viam peccantium* non deserimus? *in cuius finem inferi, & tenebræ, & pœnæ* concurrunt?

Ah! quoties (cùm *essemus peccatis mortui*:) nos nostrúmque casum *Angeli pacis amarè flebant? quoties Deus* ille, *qui dives est in misericordia*, non nostris impulsus meritis, non aliquâ coactus indigentiâ, non æquitate adductus, non ob ullum suæ felicitatis augmentum; sed propter *nimiam charitatem suam, quâ* ad miraculum usque *dilexit nos, gladium* Justitiæ, *fulguris* instar *acutum* recondit? terribile damnationis fulmen inhibuit? *sagittas* æternæ pœnæ avertit? quoties, ut primum peccâsse pœnituit puduitque, vilissimos terræ vermiculos cælesti vitæ restituit: sacratis Filii plagis, doloribus mortéque sanavit? sanguine lavit, vestivit gratiâ, *ornavit* meritis, cæli cives conscripsit, & hereditatis jure donavit: Capite nostro *Christo IESV in cælestibus* regnis jam *considente*?

Sic

Sic vos taciti vobiscum sermocinamini. Præclarè. At; hîc non stitit mentis impetum Philothea. *Quid retribuam Domino?* inquit: nec diu cunctata: *Diligam te Domine fortitudo mea.* Dixit, fecit.

NOs ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. *1. Ioan. 4. v. 39.*

Filiæ Ierusalem, in persona Spectatorum.

§. IV.

Serium virtutis sectandæ propositum.

ET *nos*? quid dicimus? facimus? Vah! boni Cælites! Vah! animæ fideles! Miramur Philotheam; cur non imitamur? placet vitæ clausula; cur non & vita? Eia! agite. Epilogus Philotheæ, nostræ sit vitæ deinceps agendæ Prologus. Quod ipsa non sine Deo potuit, *& nos* cum Deo possumus: erimus *& nos*, quod nunc ipsa: Sancti, felices, gloriosi; si quod illa fecit, faciamus. Quisquis divinæ charitati agendo patiendóque ad ultimum usque halitum dat operam, *invenit*, quem *quærit*, Deum. Heu! pudeat non reddere vicem amanti! Qui prior diligit, numquam satis diligitur: semper serò nimis amatur. Deo concedere primas in amando par est; at non occupare secundas, turpe. Cur non ergo *& nos* cum Philothea tam *abundantes gratiæ divitias* experti *diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos?* ut ipse triumphet *in bonitate*: nos in dilectione. *Surgamus*, eia! surgamus: excusso mentis torpore deseramus *lectulos*: *veniamus* ad Dilectum: *properemus* ad JESVM: *aperiamus* præcordia divino Amanti. Quàm vilis est anima, quæ non exurgit ad grandia illa *Dilectæ, amicæ, columbæ, Sororis, Sponsæ* nomina! Imitemur simplicem columbæ prudentiam, nitoris studium, volatûs celeritatem, frequentes gemitus, placidos mores metúmque salutarem. *Diligamus* Deum, etiam cùm *declinat*, ut exerceat: *quæramus*

per

per vicos & per plateas, quem diligit anima nostra : Et nobis elementa sunt condita: nostris quoque mentibus patet per sidereos orbes ad regiam Beatorum via: etsi densæ mentem tenebræ involvant. Legamus præeuntis vestigia, cruentis pedibus usque ad Golgothæum montem, ad Crucem, ad mortem. *Si & nos inveniant custodes, si percutiant, si vulnerent*; patiamur, exultemus: memores, quòd *fortis sit, ut mors dilectio*: quòd exiguas tantùm *lampades aquæ multæ*, possint extinguere; non verò *charitatem*.

Diligamus Deum, & quidem *propter nimiam suam charitatem*, plusquam *nimia*, si fieri potest, *charitate*. *Cor* petit, qui illud condidit: & negabimus? *Sponsas* quærit animas: & tergiversabimur? *fidem, misericordiam, miserationes* offert: & recusabimus? absit. Gratulemur hunc nobis Sponsum, adhæreamus lateri, eamus in *hortum*, etsi tormentis fertilem: *metamus* patientiæ *myrrham*? *ascendamus* cum illo Crucis *palmam*: feliciores numquam aut gloriosiores futuræ, quàm simul *Crucifixæ*. Sic, sic erimus *& nos sicut lilia inter spinas*: sic *& nos cor Dei vulnerabimus*: sic *& nos* evocabimur ad *coronas*, intimè Deo conjungemur, *lævâ dextrâque* Sponsi amplexante gaudebimus: securæ, lætæ felicissimè mortem oppetemus. Quid, mortem? vitam ordiemur mortis nesciam: dulcissimè *dormiemus* vigiles; quia in sinu divinitatis: quietem dabit æternitas; summi possessionem boni

CHARITAS.

CHO-

CHORUS

VAnitas vanitatum, & omnia vanitas! *Eccles. 1. v. 2.* præter amare Deum, & illi ſoli ſervire. *Thom. Kemp. lib. 1. cap. 1.*

Chorus.

EXEGESIS.

§. V.

O Inanes mortalium curæ! ò cæcæ cupiditates! ò ſtulta Adamidûm conſilia! Beatus eſſe nemo non vult: quàm pauci, quæ vera ſit beatitas, non ignorant! totos dies, menſes, annos: dictis, factis, cogitatis: per mille diſcrimina, ſudores, pugnas id unum ſpectant omnes, ſibi ut bene ſit; at pernicioſo ſpontaneóque errore, ſibi ut malè ſit, permulti faciunt: dum, *quæ videntur temporalia* amant bona; *quæ verò non videntur, æterna* negligunt. O excordes *Filii hominum! ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* quæ vos inſatiabilis terrenarum rerum eſuries tam graviter ſtimulat? ò grandævi infantes! quid tam anxiè catenatis laboribus caduca prenſatis Bona: quid irrito conatu felicitatem inter quisquilias ſordéſque tam ſtolidè, quàm periculosè quæritis? An nondum piſcatores icti ſapitis? nondúmne advertitis, vos oleum & operam perdere? nondúmne erubeſcitis in aëre piſcari, in aquas ſementem ſpargere, venari muſcas, umbras ſectari, vel certè in arundine longa equitare?

Explodenda vanitas, amplectenda Dei charitas.

2. *Cor.* 4. *v.* 18.

Quidquid extra Deum eſt: præ Deo inane, leve, fluxum, modicum, vile, fallax, vanum eſt; imò ipſiſſima *vanitas*

nitas & *vanitatum* ſpuma, inanitatis fumus, vapor, umbratilis imago. Pura, puta, eſt *vanitas*, quidquid charitas non animat. O infelices terrigenæ! Non beat, quod non durat: non delectat, quod mentem non ſatiat: non ſufficit, quod non implet: Quomodo ſtabit felicitas, ubi nulla eſt firmitas? ubi ſolicitudo pungit, timor angit, frangit labor, dolor rodit atque excruciat? ubi non eſt gaudium ſine luctu, voluptas ſine amaritudine: non opulentia ſine hoſte, ſine ignorantia grande nomen ſapientis? Vbi infortunia terrent, clades involvunt, flacceſcunt vires, defluit venuſtas, ſenſus deficiunt, tempus omnia conſumit, graſſantur morbi, mors inexorabili falce vix cœptam vitæ telam incidit?

Quid eſt ergo ſine Dei *charitate* ſanitas, robur, forma? quid palatia prædia, veſtes? niſi *vanitas*? quid epulæ, choreæ, venationes? quid colloquia, ſales, muſica, niſi *vanitas*? quid potentia, fama, dignitas? quid nobilitas, ſapientia, libertas, niſi *vanitas*? quid liberi, amici, ſodales? quid denique fortunæ favor, mundi dominium, animus per omnia magnus, ſi ſola deſit charitas, niſi *vanitas, vanitatum*, & miſeranda *vanitas*? Omnia labant, ruunt, pereunt: *omnia* fugiunt, evaneſcunt, deſinunt; error, culpa, pœna manet. Non poteſt poſt fata emendari error, nec excuſari culpa, vel pœna declinari.

Et hæc vobis, ô mortales, adeò cordi eſt *vanitas*? hæc, inquam, rerum infimarum inanitas? quæ aliud non eſt, quàm ſplendidum mendacium, fallax momentaneæ volupatis ludibrium, blanda iris, vitrea gemma, umbra ſpecioſa? non eſtis fortè veſtro edocti malo, quòd hæc â vobis tantopere adamata *vanitas* ſit fumus mordens oculos, fulgur prætervolans, aura fugiens: momentum evaneſcens, puerile crepitaculum, Mundi eſca, hamus diaboli, muſcipula mortis? Teſtibus ſaltem credite. Nerones, Auguſtos, Alexandros audite: Cræſos, Craſſos, Heliogabalos conſulite: Epulones,

Cyros,

Cyros, Euclionesex inferis adducite. Numquid clamant? *Quid profuit nobis superbia? aut divitiarum jactantia contulit nobis? transierunt omnia illa, tamquam nuncius percurrens: tamquam navis, cuius non est reperire vestigium: tamquam avis, cuius nullum in aëre invenitur argumentum: tamquam sagitta, cuius ignoratur transitus.* Aut si mavultis, superos interrogate: Abrahamos, Iobos, Davides percipite: ex Henricis, Carolis, Ludovicis quærite. Annon quisque illorum cum Paulo candidè fatetur: *si linguis Angelorum loquar: si habuero omnem scientiam: si montes transferam: si distribuero in cibos pauperum omnes facultates: si tradidero corpus meum, ita ut ardeam: charitatem autem non habuero, nihil sum.* Sceptra, opes, deliciæ, forma, vires, gloria non me fecerunt beatum! miserum fecissent, nisi calcâssem. Non deest robur & forma: non divitiæ & gloria: non sapientia & potentia: non libertas & tranquillitas, non voluptas & felicitas, non virtus & sanctitas; ubi non deest charitas. Itaque beati esse vultis? spernite vanitatem: Deum amate. Charitas Dei cælum implet; inferis addicit vanitas. Timetis inferos? charitas claudit; sidera suspiratis? Amor Dei pandit. Charitas potest omnia: quæ Deum fecit hominem, facit, ut homo fiat Deus. Vanitatem ergo explodite: Plaudite charitati.

Sap. 5. v. 8. & seq.

1. Cor. 13. v. 1.

PRAXIS PHILOTHEÆ

In qua

Legere & conſiderare juvabit.

F. Ad

INDEX ALPHABETICVS

Locorum ſacræ Scripturæ, quibus Philothea contexta eſt.

A.

B.

C.

D.

Di-

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

Nolo

S.

T.

V.

Veni-

INDEX. PHILOTHEÆ.

Pro

I. Infe-

affert

Ad majorem DEI Gloriam.